
NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
12
26 E
28

VIRTVTES
ET VITIA
HOC EST

VIRTVTVM ET VITIORVM
DEFINITIONES DESCRIPTIONES
CHARACTERES.

OPVS

CAROLI PASCHALII
REGIS IN SACRO CONSISTORIO
Consiliarij.

Accessère huic Editioni, eiusdem Authoris opera, Censura animi ingrati, De optimo genere elocutionis, & preces Christianæ.





Excudebat Petrus de la Rouiere.

M. DCXX.



CAROLI PASCHALII

REGIS IN SACRO CONSISTORIO CONSILIARII

IN

VIRTVTES ET VITIA

HOC EST

VIRTVTVM ET VITIORVM

definitiones, descriptiones, characteres

AD PHILIPPVM FILIVM Abbauillæ Præsidem.

PRÆFATIO.

VIX *vllus tam securè infelix est, Philippe fili, vt quanti ipse apud animum suũ, quãti apud quẽque sit, nihil pensi habeat. Quin sibi quisque, quimodò sanè sapiat, assiduus quæsitor & cognitor adest in hoc, vt conscientiæ simul, & alienæ existimationi satisfaciat. Illi ipsi qui probi dici quàm esse malunt id saltem curant vnum vt videantur ij qui esse deberent. Nec enim carent intellectu eius quo censeri volunt, sed inanium, aut etiam turpium delinimentis irretiti sola sunt virtutis, quãtis falsa specie, contenti. Sic solent ij qui non consciẽ-*

¶ ij



tiam verẽtur, sed famam reformidant. Qua in re vehementer hallucinatur animus, cuius vt omne decus non simulatione virtutis sed innocentia, sic omne probrum vel sola flagitij destinatione continetur. In huius sententiæ veritatem iamdiu vniuersa mortalitas vsque eò concessit, vt hodie quidem nihil magis apud omnes gentes increbuerit. Cuiuscũque authoritas vspiam pollet hoc decantat, Innocentiã vti omnes amplexentur, improbitatem auersentur. His vocibus iã inde à priscis sæculis & scholæ perstrepunt, & auditoria personant, & fora reboant. Hoc ipsum omnes nõ solùm frequenter, sed & magnificè iactant, etiam ij quibus est mala mens, & ab eo quod loquuntur, discrepãs. Huius doctrinæ nullus non est antistes, hi docendo & scribendo, alij audiendo legendóque. Cùm tamen post tot ætates neutris euadat mẽs castior, neutris vita fiat emẽdatior. Quippe satis est speciosis nominibus aures irrigari, nihil interim pectus haurire quo sit purius & firmius. Hanc rem quilibet ad aliũ potiùs quàm ad se pertinere putat. Maxima pars hoc sibi sunt præfidentes & magnidici, quòd se ferunt posteritatem illorum, qui fuerũt proceres pietatis Christianæ. Quid nunc simile? Pulcherrimas pietatis notas apparet eò fuisse cupidiùs assumptas quò pietas est infestiùs exturbata. Sub magna specie est magna inanitas. Dum impiæ simulationi opera datur, consciẽtia deseritur, probitas profligatur. Quisque se priùs, mox alios ludificatur. Ipsa veritas, quæ est omnis cardo boni, hîc interuertitur, illic deserta delitescit, alibi obmutescit; Denique improba contendentium pertinacitate elisa cogitur abire è cõspectu. Hinc est, quod prauæ opiniones indies valescunt, falsa vberrimè

mè ſuccreſcunt, mendacia maiorem in modum vigeſcunt. Laudamus priſcos, quorum veſtigia relinquimus. Impuritates hodiernas priſca ſanctitate velamus. Alios audacter corripimus, dum nobis impēſius abblandimur. Viam virtutis aliis monſtramus qui terimus inſidioſiſſimas ſemitas vitiorum. Turmatim præimus, turmatim ſequimur quà ſunt loca vbique lubrica, vbique præcipitia. Vbique gliſcit cupido diuitiarum. In pauciſſimis aduertitur abſtinentia deliciarum, certè nullus amor frugalitatis, vix vlla ingenua profeſſio probitatis. Vix vllus paulò opulentior nō ſtoliditate ferocit. Ad rem attentos nihil iuuat niſi perpetuus aggeſtus rapinarum. Inde monſtrifico luxu laſciuit. Hinc ſæuit crudelitas, hinc furūt libidines. Quibus eſt in manu inter vera & ſolida erudiri, hi blanditiis ductari, falaciloquentia infatuari, inanibus inflari præoptant, ipſi potiſſimùm ſummi loci homines, quorū pleroſque aduerto priſcis illis, quorum nomina deteſtamur, humani generis vexatoribus nihilo tolerabiliores, quoſdam etiam illis pernicioſiores, qui ſæculum ſceleribus nobilitant, ne cui anteactæ ætati immanitate concedat. Totæ gentes ſpurciſſimis dominatibus oppreſſæ perpetuis gemitibus contabeſcunt, neque vlla bonitas vſpiā exiſtit vnde ſubleuentur. Parum abeſt quin deſperatio bonorum mentes inuadat, ipſius præcipuè multitudinis quæ ſuperbiſſimè calcatur. Nā quamuis ipſa nihilo ſit innocentior, tamen hoc eſt miſerabilior, quòd eorum mores imitari cogitur à quibus conteritur. Proximum quiſque trahit in præceps, derelicta ſemita ſynceritatis, quæ iampropter infrequentiam planè ſit ſenta & inuia. Communia, inquis, hæc ſunt omnibus ætatibus

probra. Quis negat? Attamen huic nostræ hanc maculam inuri posse fatendum est, quòd tot præceptis erudita, ac tot anteactarum rerum exemplis commonefacta consuetis non modò non abstinet, sed noua indies fœditatum genera cōminiscitur. Enimuero quātum probitas rarescit, tantum improbitas vbique sylnescit, & quidem magno eorum dedecore à quibus exigitur vt aliis sint lumina, non mala omina, aut infausta nomina. Innocentiæ nomē dare hodie quidem est negotium quo nihil abiectius. Quin ad ipsam virtutis mentionē isti delicati nauseant. Iam vulgò quærunt, Sit ne in humano genere virtus. Si est, natura sit an opinionibus. Annon verius in speciem sit quæsita dictio, quàm vt id, quicquid est, quod ea signatur, oculis vsurpari, & animo teneri, & in aliquo rerum vsu vtiliter promi queat. Siquid fortè de aliqua eminente virtute memoratur, id isti aut breui auditu trāseunt, aut malignè audiunt, aut continuò vellicant, sicuti orationem exprobratricem eius ignauiæ cuius ipsi sibi sunt conscij. Si quis est, qui nulli serio ministerio accommodari possit, huic virtutis curam delegant ij, qui iamdiu vitiorum patrocinium apertè susceperunt. Hi, nimirum, illi sunt qui improbissimis artibus rem faciunt, quibus voluptas est summum bonum, qui sunt serui cupiditatis & libidinis. Nec est mirum, eosdem esse contumeliosos virtutum existimatores, vitia fucata sic amplecti, vt boni virtutes, has item sic auersari quomodo probi vitia. Vix hodie illa est virtus quam sapientes delinearunt, quam herōes illi celeberrimi mentis oculis perspectam, rebus omnibus antepoſuerunt, ad quam per ingentia luctamina intrepidi contenderunt. Quicquid ignauissimo cuique blan-

blanditur, id illud est quod ducitur loco virtutis, nempe à vulgo. At illi qui supra vulgum sapere videri volunt non quidem virtutem palam aspernari audēt, sed, quòd est homini congenita, aiunt ad eam sponte iri, sicuti ad rem obuiam, & sine vlla disciplinabili scientia perueniam. Neque in eo studio quemquam præceptorum artificio fieri scientiorem, pauculos sola ingenij bonitate meliores, plures ab inueterata consuetudine formari non meliores, sed melioribus similes. Ergo ea cuique potiùs esse capessenda, quorum ope nomen amplificari, res conduplicari, gratia colligi, familiæ vtilitates, splēdorque domesticus augeri possit. Iam verò ipsa eruditorum secta infra suæ doctrinæ sublimitatem decusque putat, ea suis lucubrationibus complecti quæ pertinēt ad intellectum virtutis, & ad excitandas eas animi corporisque facultates, quibus hæc haberi, & vitia exturbari possint. Hanc materiā tractare nihil aliud aiunt esse, quàm inutili ac desidioso studio sese oblectare. Qui in re tam frigida tamque exposita diutiùs immoretur, vel hinc fidem facere, quàm apud se nullū sit quæstius doctrinæ specimē quod promat. Nimirum qui ita sentiunt, qui vtinam pauciores essent, statim vt ab hac virtutis professionē recesserunt, ingenij dotibus lautè abutuntur ad bullas implendas, ad consectanda spectra, & ventos captādos. Eorum quæ necessaria sunt, incuriosi ostentant inania, & dum proxima contemptim habent, longinqua alienis auribus inculcant, hydram & pelle admirantur, at eum, qui monstra contudit, qui spolium gestat, Herculem posthabent, denique suam excellentem intelligentiam in rei omnium maximæ fastidio collocant. Nec intelligūt hunc esse scopum omnis eru-

ditionis, vt habeantur ea quibus & probitas alitur, & vita instruitur, & humana fragilitas aduersus quoslibet incursus roboratur. Hæc est nobilis illa disciplina morum, ad quam Socrates ille omniscius omnem philosophiam ideo reuocauit, quòd sola virtutis professio hominem bestiæ ereptum inducit in cœlestia. Contra, eius siue ignoratio, siue derelictio eum inter bruta collocatum mancipat infelicitati. Hæc item fuit grauissimis eruditissimisque scriptoribus subiecta semper ad scribendum materia. Hasce gemmas exime è contextu talium scriptionum, eâdem capiti oculos excusseris, hominem exanimaueris, cælo solem, soli lucem, luci pulchritudinem detraxeris. Equidem sic statuo, Virtutem & vitium hominibus esse proposita sicut illud biuium, in quo cùm Hercules adhuc adolescens constitisset, ad virtutem direxit iter quamuis & scrupeum & implacidum. Hoc ipsum docent historici antefactis, & exemplis nobilibus. Hoc item illud est quod oratores metendum præbent in suis feracissimis latifundiis, poëtæ in odoratis fabularum hortulis, vbi vetustissima & syncerissima sapientia per lepidissima cõpita variatur. Diuersis rationibus omnes ad vnam metam pergunt docendo, hortando, delectando. Omnes qua maximè suauitate possunt sua condiunt, non nescij has esse illas orexeis, quibus humanum palatum prolectari necesse habet, vt eum panem gustare possit quod est pabulum animi. At hodie multi ignaui cuiusdam fastidij pleni & conscientiæ obnituntur, & suæ improbæ securitati obtendunt falsam speciem simplicitatis, vt si nolle ea scire quæ periculosè nesciuntur, sit argumentum mentis innocẽtis, ac non potiùs eius, quæ dum necessaria fugit, pessimis

simis

ſimis implicatur. Ergo quiſque mauult deſcendere per procliuem imperitiam, quàm omnium præſtantiſſimam, ſed aſcenſu arduam peritiam adipiſci. Horũ ineptis malignisque tergiuerſationibus olim obuiam itum ab iis fuerat, qui de virtutibus vbertim ſcripſerant. Quorum lucubrationes ſi hodieque extarent, nihil ſanè opus erat rem feliciter actam deterius agere. Verùm huius generis operum nulla fermè reſtant niſi paucula exilia, in quorum ieiunitatem, tãquam in aliquod piſtrinum, virtutes videntur eſſe compactæ. Atque adeò quicquid tale ad nos peruenit, in hoc tantùm ſoſpes videtur, vt amiſſorum deſiderium intendat. Quapropter iamdiu expectatur eminens aliqua facultas, & ſingula perſequens vbertas, quæ hanc materiam dignitate & vtilitate omnibus antecellentem, relictam tamen indotatam & incomptam, ſuis ornamentis locupletet, ac virtutis non qualemcũnque imaginem in publico ſpectandam, ſed ipſam faciem vnicuique in priuato amplexandam præbeat. Quod bonum donec emergat, facilè me adduci ſum paſſus vt hæc mea emitterem, illa ipſa quæ iam inde ab adoleſcentia è variis voluminibus libata mihi ipſe ſepoſueram, ſicuti ediſcenda quædam bonitatis & ſapientiæ præcepta. Hæc nuper, vbi quid relaxationis in acie muneris mei nanciſcebar, digerere & ſcribere ingreſſus, virtutes definiui, eas à vitiis diſcriminaui, ſiquid in hac materia diſparatum eſt, compoſui, ſi quid itẽ continens, coniunxi, coniunctis, addidi conſeqũctia, ſingulis virtutibus proprios characteres impreſſi, vnam virtutẽ in plures veluti ramos diduxi. Poſtremò à cognitione virtutum protinus duco ad notitiam vitiorum, quæ eſt omniũ ſaluberrima cognitio.

Nam posse altissimè inspicere vitia, prorsus est ea odisse. Vitia odisse est virtutem amplecti, hoc est, esse in confinio, mox in ipso gremio felicitatis. Talia differēdi partes dedi viro consummatæ sapientiæ, cuius in persona pondus autoritatis esset, & in dictis præcipua fides. Hæc item quilibet, qui non planè sit in antiquitate peregrinus, agnoscet esse è priscæ sapientiæ fluentis deriuata, Quæ etsi ibi non absconduntur, vagè tamen disiecta, atque ita permista sunt & confusa, vt legentium aspectui sese quodammodo subterducant. **Ea re descriptè & electè singula in suum quodque genus digesta atque ad popularem intelligentiam accommodata in hunc librum coarctaui. Hi, Philippe fili, sunt illi ipsi monitus, quibus me prauio ac monitore, cùm etiam tenellus esses, imbuisti animum tuum. Enimuero aduerti te, quamuis probè literatum, non tam id agere vt literarum phaleris insignitus incederes, quàm vt pallio probitatis amiciri posses. Quæ animi inductio, & in tali proposito perseuerantia fuit mihi non paruum illicium ad te eligendum, non solùm vt esset quem diligerem, sed quem in nomen familiamque meam ascitum vnici filii loco ducerem. Vt non parum delector iudicio meo, ita vehementer gratulor profectui tuo. Tu modò perge quà cœpisti, & fruere hoc munere meo, quod tibi & iis omnibus, quorum in manus venerit, cupio esse vehementem cohortationem ad studium penitiùs cognoscendæ percipiendæque virtutis. Hæc ante rem, nec, opinor, præter extraue rem apud te præfari libuit.**



SVMMÆ EARVM RERVM QVÆ SINGVLIS HVIVS OPERIS CAPITIBVS continentur.

CAP.



VIRTVTES ET VITIA HOC EST *VIRTVTVM ET VITIORVM* DEFINITIONES DESCRIPTIONES CHARACTERES.

OPVS

CAROLI PASCHALII.

CAP. I.

Qua ratione acciderit vt ea per quietem viderim & audierim quæ infra de virtutibus vitiisque memorantur.



DIDITA per Europam teterrimi parricidij fama, nullus regnantium non expauit, nullus hominum non contremuit, nulla gens non concessit in omnem formam luctus. Sic omnes existimarunt, Henrico terris erepto, huic sæculo pariter ereptum fuisse illum, quem diu, magnóque studio virtus elaborauerat, vt esset quod admiratio concipere, eloquentia magnificare, fama celebrare posset. Nimirum hic ille est qui per augustam Galliæ regum

ſtirpem, ſicuti per aureàm catenam, cœlo demiſſus orbi Gallico tanquam ſalutare ſydus illuxit. Sequuta rerum geſtarum magnitudo hunc ipſum diuina manu ad hoc ſe poſitum probauit, vt rem aliena culpa prolapſam vnus reſtitueret. Cuius rei cum magnum ſpecimen in ipſa eius ætatula appareret, planum fieri cœpit, iam tunc id actum, vt ipſo oppreſſo, regnum potentia & opibus inclytis in partes diſtractum, ac legitimo rege viduatum fraudis externę ſpolium fieret. Ad hanc audaciam contundendam ſpéſque infringendas ipſe ſic adornatus acceſſit, vt, quem natalium excellitas regem edidiſſet, hunc ipſum expedita conſilia ducem crearent, patientia, duricies, manus inuicta militem aſſereret, virtus & felicitas victorem renuntiarent. Gallia tremebat, ipſe erat imperturbatus. Pericula gliſcebant; ipſe ſua negligebat, vt ea quæ patriam circumſtabãt, propulſaret. In media deſperatione ipſe nulla calamitate fractus, nullo caſu debilitatus eius ſpei ſe ſemper autorem præbuit, quam non multò poſt res eſt conſequuta. Tantum inſtar in illo fuit, cui per inſuperabiles prope difficultates euadendum fuit ad ſumma, cui diuina maieſtas prouinciam dederat, vt ſceleſtis armis pia opponeret, coniurationes in rabiem prolapſas, ſeditiones recrudeſcentes, concuſſi regni motus intumeſcentes comprimeret, tot inſanientes vrbes expugnaret, tot perduelles vbique perſultantes contunderet, bellum inexplicabile patraret, nempe cæleſti ſatellitio vbique ſtipatus. Nec aliter ambulare per ancipitia, & peruadere munitiſſima, & manibus percuſſorum ſæpius immiſſorum eripi, & in tuto ſiſti poterat. Quæ omnia nemo animo verſat ſine inuſitata quadam tot rerũ geſtarum admiratione. Cui proxima eſt illa, quòd is tanti belli patrator, tot monſtrorum extinctor, tam longè, tam latè triumphator omnes Reipub. partes patria charitate complexus, eas denique ſapientia compoſuit & clementia, concordiam, pacem, mores, iuſtitiam, pietatem reduxit; quantum eſt virtutum, quantum eſt bonarum artium ac diſciplinarum veluti poſtliminio reuocauit; Illa ſpectatiſſima fide nefarios perfidiæ mucrones retudit; illa incredibili ſolertia difficillimos quoſque rerum nodos expediit, illa perenni bonitate proſtratos erexit, regiam ſobolem feliciter propagauit, ſtabiliti regni fines amplificauit; eiúſque

que maiestatem toto orbe diffudit. His tot tantisque adoreis circumfusus, tot laureis insignitus eam nominis celebritatem, eam gloriæ magnitudinem adeptus est, quam vel infensissimus quisque suspicere necesse habeat, certè nullus liuor allatrare audeat. Quapropter populorum vota plaudentia, & studia flagrantia, ipsáque adeò omnium honestatum, omnium ætatum vnanimitas eum, quem vt regem magnum & memorabilem admirata est, nunc cœlitem factum quà votis, quà lachrymis & pia quadam veneratione prosequitur. Sed quò abripior? Ignosce qui hæc legis dolori nostro. Vt calamum in manus, chartámque sumpsi, vt de virtutibus cogitare cœpi, quam materiam iã intra me ipse formaueram, confestim me à proposito auocauit desiderium illius augustæ & incomparabilis virtutis, quam è conspectu ablatam nemo vnquam satis dolebit. Et primò quidem omnes magnitudine huius cladis propemodum obtriti hærebamus. Vt recentis calidiq; vulneris leuis est dolor, refrigerati magnus, ita stupore quodam præcordia nobis, nuntiata hac calamitate, obduruerant. Sed is, videlicet, stupor sensim factus est dolor, & quidem contumax & liberior, sæpe erumpens, sæpe linguam soluens, nósque ad has, similésque voces adigens, O diem humano generi funestum, qui inclytum regem, communémque parentem orbi terrarum inuidit! Ah, quoties hoc vulnus recruduit! Quoties intelleximus quàm parum esset id quod luxeramus præ eo quod nondum eluxeramus! Si quis tanta plaga perculsus se conaretur alleuare, grauiùs procidebat. Consumptæ erant lachrymæ, & infixus animo dolor hærebat. Ipse dolor senescebat, nec tamen tepescebat, aut lentescebat. Nunc demum cùm ab illo nefasto die iam sit quadriennium interiectum, atque ille animi æstus quodammodo sit restingui cœptus, equidem sic puto, salubriores cogitationes luctui nostro inserendas. Sic iubet ipse. Vult refocillari animos diuturno dolore obrutos. vult nos, posito omni questu, inclinare ad lætiora. Nam de ipso non est quod quisquam sit sollicitus, qui vera & absoluta felicitate humanam sortem commutauit. Cui ea re ipsè se gratulandum est, quòd gaudente & circumplaudente cœlo exceptus, nulli mœrori peruius nostrum ignorat aut, auersatur. Satis scit, suæ gloriæ domicilium nõ aliis quàm

terrarum orbis finibus, & memoria infinitæ posteritatis terminari. Præsto quoque nobis est alia leuatio, videlicet ab indole, altáque mente illius, qui satu tanti regis editus, & ad hæreditatem tanti nominis ortus, eius virtutem iam vestigiis, contento studio cursúque consequitur. Vsque eò vt, qui hunc aspexerit, ipsissimum contueatur & germanissimum parentem. Postremò, nec viro honestum, nec actuosam agenti vitam tutum est, sese diutius angori dare. Inter inania luctus est, qui nec illi prodest qui lugetur, nec illum subleuat qui eo attinetur. Auro & gemmis contra starent lachrymæ, si tollerent ærumnas, & si quid mœrendo profici posset. Hæc sunt inefficacia labanti fulcra. Virtute roborandum est pectus. Pietati nostræ consentaneum potiùs fuerit, eius reliquias iis inferiis decorare, quibus fides fiat, à nobis meritorum eius memoriam & piè coli, & inuiolatè seruari; diuinas illas virtutes: quas ipse vniuersorum incolumitati feliciter impendit, apud nos esse præcipuo cultu. Nec enim de eo queri possumus, quòd vllus liuor spes nostras nascentes decerpserit, aut adultas minuerit, Repub. ab ipso firmissimis præsidiis adornata. Hinc omnem tristitiam discuti, hinc animos consternatos ad æquitatem reuocari æquum est. Ipse quidem hac via rem reputo, etsi domestico quoque vulnere prope cōcidi. Nec enim neglexi iis omnibus manum iniicere, quorum ope intolerabile mœroris onus aliqua ex parte alleuarem, etiam iis quæ videntur minima. In his illud fuit, quod sæpe comitatus, sæpe seductus à comitibus aliquot ambulationes conficere institui, vt me ipse effugerem, & mœstissimo animo nonnihil solatii admouerem. Ad hanc scilicet, qualemcunque remissionem blandè inuitabar ab reducta quadam valle vndique septa nemoribus proceris ac densis, natis ad radices eorum montium, quorum erectos in sublime vertices hinc Germania suspicit, hinc Italia. Eius loci multa quies, ac proinde grata solitudo, quæ me sedationis animi seriò admoneret. Certè ibi nunc admirabundus, nunc venerabundus contemplabar illam prouidentiam quæ consultò deprimit vt celsiùs erigat, quædam adimit quò cumulatiùs reddat, grauiter contristat vt insperatis gaudiis perfundat. Ipsum me anni tempus non parum incipiebat confirmare: ipsa rerum prope omnium nouitas humanarum vicium identidem admonere.

nere. Sic cogitabam, Hem, quò abierunt nuperæ inhorrescentis Capricorni pruinæ? Quò illa densa obscuritas brumæ recente hac serenitate mutata? Quò summota sunt continua frigora? Certè amnes vidimus constrictos gelu, agros incultu horridos, prata mœsta, syluis decussum honorem; hæc ipsa ambulacra viduata sole, mera Aquilonis conceptacula, planè inhospita, ipsisque feris vix peruia. O quàm læta mutatio! Nam quæ hyems nudauerat, nunc verno tepôre frondescunt. Vtinam sic nobis cætera proueniant. Vtinam illæ omnes acerbitates, quibus iamdiu dilaceramur, simili exitu terminentur. Iani, scilicet, Numæ, Martis mensibus exactis, ipsóque Aprili iam adulto silescebat furor æquinoctialis Tauro dominante. Iam ventum erat ad ipsum diuortium hyberni rigoris ac verni tepôris. Ille totus horrens abdiderat se in loca subterranea. At ver inuesti similis aspiciebatur, & quidem totus alacer & formosus, totus bonæ spei lætitiæque plenus. In eius cingulo erant amor, iucunditas, omnes lepôres. Ipse aëreo curru vehebatur. Eum currum nullæ trahebant nostrates aut transmarinæ quadrigæ, verùm ei leniter aspirabant Zephyri suaues, Fauonij tepentes, Euri veloces. Ipsa humus, consumpto frigido albore, & genitalibus humida seminibus vestiri cœperat. Odoratæ pubescebant herbę. Momentò nascebantur flores purpurei, crocei, hyacinthini. Emergebant candores, virores, nitores noui. Omnes æthereæ luci vt matri impensiùs videbantur abblandiri, ac soli vt nutricio indulgentissimo sese ostentare, prorsus hilaritate quadam, fiduciáque puellari. Ille contra suos fœtus adhuc teneros placida suæ lucis immissione hìc animabat, hic venustabat. Ridebat omnis ager. Prata gemmeis honoribus honestabantur; syluis redibat è nouo lanicio decor. Subinde arbores vbique tenerescebant in caules florum, virgulta turgescebant, vt paulo post florescerent atque frugescerēt. Sepes, quæ agros disterminant, variata hortòrum compita, omnis apricitas halabat. Vndique fragrabant odores vt primùm è violariis, ita haud multò post è purpureis, quæ iam promicabant, rosis, quibus in proximo arridebant lilia, ligustra, hiacinthi, acanthus. Versicolores auiculæ modò huc, modò illuc circumsiliebant inter arbores iam cæsariatas, & apud loca fontium scatebris rigua, ac perennium ri-

uulorum iucunda murmura. Inde, resupinato capite, infundebant sibi. Nonnullæ singultiebant, quædam mellita minuritione, aliæ paruulis faucibus mirabiles voculas crispabant. Plures liquidioribus cantibus tenerum aëra implebant, ac pleno querelis gutture, & expressiore loquacitate sese mutuò interpellabant, illa inprimis quæ in ore Stesichori cecinit infantis. Maiorum volucrum aspiciebantur præalti volatus, & quidem ocyores telo. Inter has eminebat Iouis ales & satelles quoties agilitate sua sese ipse eiaculatur in sublime, aut etiam toto se pondere librat in inferiora, hic recto, hic flexuoso meatu. Omnes cura posteritatis pariter sollicitabat. Nam Venus mater Cupidinum dulcissimorum hos pręcordiis inserebat. Hinc suo quęque copulata compari sedulæ gratissimos labores alternabant, singulæ è luto, ex hilo, ex apluda, è blitea, è paleis nidos texebant, & oua edebant, quæ, natiuo calore æqualiter concepto, animabantur. Inde iam exclusi pulli, priusquam plumescerent, pipientes exaudiebantur. Apud nemora & frondifluos lucos, ac viridantes amnis cuiusdam ripas cōsederant Nympharum chori. Ibi noua serta manibus mollicellis nectebantur. Plurimæ choreis indulgebant nequaquam gestuosæ, procaces ac lasciuæ, sed festiuæ, nitidæ, & pudica quadam proteruitate commendabiles; cæterum ętate floridula, forma virente, omnes in veste linea & niuea, quę virginalem illum, intactúmque decorem commendabat, cùm aliæ dulcisonos cantus ore ederent; aliæ auribus annulatis, & fronte relicina tibiæ multiforabili labella admouerent, ac pluriformi modulo manus discapedinantes aliarum aures delinirent. Aliæ fistula susutrabant. Aliæ syluestria quædam carmina colludio concinnebant, eo prorsus oblectamine, cui Amphion, Orfeus, Zetus libenter concessissent. Aliæ adolescentium & nympharum amores chordis admirabili suauitate sociabant. Nunc singulæ, nunc omnes velut facta cōspiratione, consonabant. Aderant & cymbalistriæ æra concrepantes. Hinc agiles aliarum motus ad varias saltationes excitabantur. Ergo & ipsæ, alternísque Syluani & Fauni adolescentuli Nymphis geniti manibus erant impliciti. Ibi notabiles erant vultus illorum qui primas & castas amorum flammulas, ac mellitas quasdam vredines pectore fouerent, oculis ac genis prodentibus. His

enim

enim Erycina frequentes occasiones & materiam subministrabat. Omnes loquebantur, nullus quidem ore, sed ille oculis, alius motu pedum, alius rythmo ac gestu. Tripudia variabantur nunc orbibus glomeratis, nunc obliquata serie, nunc [redacted]issione in patentiora dissidia. Nullus non mutua mitè conniuebat. Nunc vtroque pede, nunc altero suspenso, certè ambobus certa lege nunc promotis, nunc remotis molle gramen pulsabant. Quibusdam Nymphis nomina erant Naiades, aliis Dryades & Hamadryades, aliis Napææ. Haud longè spectatissima fuit Flora siue Chloris Zephyri sponsa deæ similior quàm nymphæ, docta & artifice manu nunc hos, nunc illos legens florũ honores. Iuxtáque virgunculæ forma scitula, quæ floreas opes vimineis textis indebant. Inde frequenter sumebant quo cũcta spargerent coloribus, mulcerent odoribus, condirent succis & saporibus. In proximo erant pulchelli Cupidines, iam vafri, iam procaces & insidiatores; non illi quidem cœlesti Venere prognati, nihilo tamen minus venerei. Horum capitibus fulgebat cæsaries his crispula, his effusa; occipitio, scilicet, ac teneris errans frontibus, pluma mollior, auro lucidior, corollis æmula è recenti flore nexis. Diceres esse laminas auri concisas in capillos. Iuxta erant calathi aureoli referti pomis corrotundatis è pãniculis bombycinis, quibus illi se mutuis ictibus lacessebant & incessebant lusu innocuo, & risu perfaceto. Alibi in rusticis amiculis errabant caprarij, opiliones, bubulci, quisque suo gregi nunc intentus, nunc omnes pariter soluti, pariter lenti, nunc sopore languidos placantes artus, nunc rustica camœna sese oblectantes, nunc pernicitate certantes, nunc agili quisque saltu corpus tollentes. Horum non pauci conuenerant in eum locum, vbi omnes prisco ritu Palem cernui venerabantur. Ei deæ tunc annuum sacrum fortè instaurabant. Hisce cœtibus sanè frequens interueniebat ipse Pan facie caprina, cruribus hircinis, hispidus & multibarbus, multo Paniscorum, Ægipanũ, Satyrorum comitatu. Hi omnes, simulátq; inflauerant, vnco labro hiantes calamos percurrebant. Nonnulli tympanorum, nonnulli cymbalorum sonitu strepebant. Per agros magna agricolarum manus diffusa aspiciebatur. Hic iunctis bubus, ac prensa stiua aruum proscissum ac mollitum parabat ad satus ae-

cipiendos. Ille arduus arbores hîc vetulas, illic nouellas ne multiplici ramorum nexu syluescerent, putabat. Ille sationi, alius intentus erat insitioni, cōsitioni, plantationi. In apricitate vinitor humum refodiebat, ac repastinabat, vt ibi nouas vitium propagines affoderet. Ali● virgulta in terram immittebat, aut senescenti trunco prolem adoptandam substituebat. E casis per agros dispersis & gemmantibus coloribus pauones, cristato capite villares gallinæ, & vigili cura anseres liberiùs euagabantur in pascua. Nihil nec dici, nec fingi poterat illa rusticatione formosius, qua paucis post mensibus nihil futurum esset neque quæstuosius neque munificentius. Quæ enim tunc pulcherrimè vernabant magna spes erat fore vt fructuosè autumnarent. Cæterum tota vallis balatu, hinnitibus, mugitibus personabat. Hîc aspiciebantur noui ouium fœtus adhuc sub matribus; Illic opima tauris colla, illic vituli prurientes in pugnam. E columbis aliæ apud columbaria, aliæ apud peristereones alis plaudebant, vt mutuis amoribus flagrantes. Apud stagna, lacus, flumen, riuos alij schœnis & arundine tremula nunc hamatili, nunc fluuiatili, nunc saxatili piscatui operam dabant. Alij è nauicula piscatoria rete demisso pisces adhuc repugnantes ac salientes extrahebant. Alij aquatile pecus fuscina, nassa, alijs excipulis captabant. Alibi erat aucupium. Nam cantrices & versicolores auiculæ, & quidem subdito aliarum vocatu, laqueis, pedicis, glutine & viscatis viminibus detinebantur. Alicubi nobiles homines agrorum domini alites pede vinctas è pugno quisque emittebat, quæ alarum remigio hostem quærerent, certamina mouerent, ac rostro & vnguibus militantes, inualidiores suarum virium prædam facerent. Alibi retibus impediebantur, aut sagittis figebantur damæ. Sed enim iam montibus Diana vnà cum comitibus inerrabat. Hæc excussos cubilibus nunc vrsos aut ceruos, nunc lyncas, nunc celsissimis iugis rupicapras, ipsosque adeò ibices vegeta alacritate fatigabat. Venatici canes hîc nictiebant; alibi vicina loca nunc irrita, nunc felici sagacitate perlustrabant. Frequenter afflatu terribili, & ingenita feritate latrabant. Ne multa; illa fuit prorsus oculorum, quamlibet eruditorum, panegyris. Quacūque te verteres, tunc quidem licebat ambulare inter

ter

ter potiſſima ſenſuum oblectamenta. Vndique pulchritudines conſurgebant; vndique naſcentes amœnitates, cæli terræque ſuauiſſimæ dulcedines, circumfuſæ veris deliciæ apparebant. Quæ ſingula, nedum cuncta poſſunt eſſe vel ſæuiſſimi doloris auocaméta iucundiſſima. Huc, inquam, & loci ſolitudine, & circumiectarum rerum pulchritudine delectatus, ſicuti ad amœniſſimam ſuburbanitatem frequenter commeabam. Hinc refocillabar, & nouos quodammodo ſẽſus, nouoſque affectus mihi induere videbar; dũ vernis illis & innocẽtibus gaudiis liberius oculos relaxo; eaque ſolatia quæ anni tempus ſuppeditabat, veluti animo adminicula applico. Atque hæc cùm mihi deambulatio iam in conſuetudinem vertiſſet, commodum ecce conſpicio inſignem quercum, cui arbori non aliam facile compoſueris. Truncus ingens, proceritas & craſſitudo quanta nulli alteri; prorſus patula, ac longiſſimis diſpanſa ramis, & circinatæ cuiuſdam rotunditatis. Ea quercus noua fronde conueſtiri cœperat. Et quòd eſt inter ſeras arbores, ſeſe ipſa ſublucabat. Interfuſa, inquam ſolis luce, eius recentia folia non tam vmbram conferebant, quàm quædam vmbræ primordia ſub ea quercu conſidentibus pergrata. Ne te teneam, illa fuit vmbra quædam luminoſa, aut lumen vmbroſũ. Sub hac arbore ipſe non tam ambulando feſſus, quàm ſubluſtri illa opacitate inuitatus ſedere cœpi, nempe ſedili gramineo, ac viueſcente florum gratia conſperſo. Hinc & præcelſa iuga, & ſaxorum aſperitates, impẽdentium montium altitudines, decurſus aquarum per quoſdam in præceps hiatus proſpectabam. Ipſas aquas, cùm ex edito deſiliunt, & ſubiecta tellure, aut Rheno ſuſcipiuntur, ſpumantes & albeſcentes, ac paulò longiùs & ſtagnantes & bullantes. Ipſis præcipuè ſonoris Rheni fluctibus mirificè delectabar. Is per eam vallem inter duos altiſſimos montes cuneatam multo fragore veluti ouans feſtinabat. Nec enim propriis ſcaturiginibus contentus etſi plurimis & vberibus, eliquatas montibus niues, vt opulentam prædam, alueo iam tumidiore ac turbidiore ſicuti ferocior agebat. Hæc tanta, taliáque naturæ opera, tũ nouos anni fœtus, vbique reuiuiſcentes intentiùs contemplanti mihi adſtitit numen ſuauiſſimum; ac mihi incredibile dictu quàm fauſtum ac propitium. Somnus fuit, qui

me mihi ereptum arctiùs est cômplexus, vt solet eos, quibus animus est ægro propior, & egens & cupiens quietis. Per eam quietem ô summe rerum arbiter, quæ vidi, imò quæ non vidi? certè plura & maiora quàm ille apud Phliasios Amphiaraus. Sed illa ipsa quæ vidisse videor quomodo reminiscar, si non tu, domine, excitas memoriam meam iam labescentem, vt mihi credita, nunc, cùm maximè opus est, bona fide reddat? Si non tu irradias mentem meam aliquantillo radio diuinitatis tuæ? Da ergo, domine, vt, dum somnium narro, non deerrem ad insomnia, nec loquar deliria, sed vsque vigilem, vsque sim sobrius ac serius; veréque reminiscar admirabile, salutare, abs te profectum non somnium, sed oraculum. Potes, vis, annuis. En, tuo numine erigor; tuo nutu confirmor; tua ope fretus audita refero, & visa eloquor.

CAP. II.

Sedes, genus, forma, hàbitus, cultúsque virtutum describitur.

IDEBAR esse in loco omnes omnium locorum amœnitates supergresso. Eius loci forma imitabatur amphitheatrum spectatæ magnitudinis. In imo erat planities sanequam lata, ex qua, veluti ex ordinata quadam circulatione, tota illa moles circumquaque sese attollebat. Scires esse orbicularem cliuum vbique lenissimè assurgentem, & aspicientium oculos, ipsosque qui ascenderent, fallentē. Planitiem floridam, vbique viridem, alicubi vmbrosam placidissimus intersecabat amnis; cuius imus alueus fuit creberrimo smaragdi calculo vitidissimus, lætissimo circa ripas gramine, pulcherrimarum auium concentu canorus. Huic delicatissimo amni comes aderat perpetuus quidam, idemque saluberrimus & suauissimus afflatus. Is ibi omnia suo tepôre fouebat, & fœtifico quodam humore totum locum perherbescentem exhibebat. Herbarum nulla non odorata. Omne cœlum ea clementia qualem hîc nequicquam optamus. Inde omnis ventorum vis exulabat.

bat. Nullus ibi imbricitor Deus. Vnæ tantùm cœlestes auræ per ea loca erant meabiles, longéque suauiores iis quæ hic leniter spirant diebus lætis & innubibus. Inde enim facessebat omnis colluuies; nihil in illo aëre tale erat quod crassesceret aut globaretur, nihil quod in caliginē nubemve coalesceret. Ibi perpetua luce omnia nitebant, & quidem constante & imperturbata; quæ tota respergebatur suauitate quadam impromiscua, cuius queat esse simulachrum diei albescentis hora crepusculascens, & albor ille purissimus solis propinquantis prænuntius. Totus locus diuini cuiusdam luminis aspergine erat diffusus. Tales dicuntur esse omnes ij tramites qui cœlo propinquant, vbi omnia punicea face, & purpurea quadam luce creduntur aurescere. Clibus ille orbicularis introrsus totus erat circumdatus ingēti circulo. In eo circulo erant reductiora quędam curuamina instar sedilium. Et verò ibi erant sedes, vt mihi quidem videbantur, eburneæ, contractioribus, & æqualibus spatiis inter se distantes. Certè ibi considentes aspectu mutuo, mutuisque colloquiis frui poterant. Nullum subsellium nudum aut inane. In singulis eminebat is qui quantum loci homini satis est, occuparet. Cunctus ille concessus constabat ex iis personis, quibus primo aspectu mortalibus indita erat cœlestis maiestas. Singulis erat capillitium ex ea materia quæ est omni auro purior, & omni sydere lucidior. Nec illi erant capilli, sed radioli, flexuosi, siue fulgetra, qualia sunt lapidis ferro attriti, duorumve lapidum scintillantium. Tota illis capita cœlesti luce coruscabant, eamque lucem leniter ab sese in latissimum orbem diffundebant. Ex illis lucidissimis orbibus longiùs micabant fulgores totum locum subitis gratisque vicibus irradiantes, non qui cuiusquam oculos hebetarent aut præstringerent, sed qui blande aspectum exciperent. Frons cuique personæ hilara, libera, firma. Ceruix lactea, oculi vegeti ac vibrantes, ipsis stellis clariores, ac perpetua quadam serenitate vernantes: in quorum motibus esset matronali decori mista regalis dignitas. Iidem tamen & faciles, & multa lenitate suffusi, ea quæ est animorum conciliatrix, & ad cœlestia blandissima inuitatrix. Color cuique verus & roseo potior; facies tranquilla; tota forma exuberans, non ea in qua specitur flos ætatis, non

vllius licentiæ incitatrix, sed vt cœlestis originis, sic tota præ se ferens nescio quid diuini decoris, quod illum, cui semel affulsit, diuinæ pulchritudinis admoneret. Illi, qui-qui essent aut viderentur, collucebant amictu tenui, qui esset tactu mollissimus & candore purissimus. Id amiculi cùm sicuti vitrea materia pelluceret, aperiebat inaccessam nescio quam, nec alibi spectatam pulchritudinem. Nam tota corpora, siue corporum imitamenta nuda translucebant. Sic fœminea membra sæpe bombycina, sæpe serica tegmina denudant. Sub illa, inquam, siue nuditate, siue textili quodam vento apparebat nescio quid omni formositate formosius, cui nec ipsa Venus, nec quicquid est Veneris se componere audeat. Nihil in ea veste fuit elaboratum ad eam speciem, quæ solos humanos oculos pascere possit, cùm totus is cultus esset cœlestis, nec alijs isti essent ornati quàm sibi. In vniuersum æstimanti ibi apparebant fœminea corpora, & quidem forma spectatissima. Sed vbique circumfusa diuinitas aliud loquebatur. Cùm quicquid ibi spectari poterat sensibus meis offunderetur, ingentem admirationem meam stupore vultus, multaque hæsitatione prodidi. Id animaduersum est à quibusdam qui ibi agebant sola faciei, corporisque specie veriùs quàm vllo corpore notabiles. Et quidem isti inter ipsos recepti videbantur cœlites; ac placidè ambulabant in illa illi cliuo subiecta planitie, sicuti eius regionis accolæ, & asseclæ, siue comites illorum qui sedibus illis consederant. Vnum ex eo cœtu ego, ipse me pariter attentiùs intueri cœpit. Promouemus vterque gradum. Primùm hoc aspectu totus obstupui. Sed stuporem meum statim inexpectatum gaudium exclusit. Nam videbar agnoscere Vidum Pibrachium, amicum sanè mihi homini adolescenti hominem: illum ipsum qui quotiescunque apud regem, aut apud patres conscriptos diceret, flumen orationis aureum fundere solitus fuit. Verùm in eius vultu, omni mortalitate detrita, eminebat ea species quæ sola ac tota est numinum, si fortè sese mortalibus oculis aspicienda præbent. Is, vt vterque fuimus in proximo, me adgnitum blandè compellauit. Bonis, inquit, CAROLE, auspiciis huc te attulisti, nec sine Deo impulsore ac duce. Quòd certè tibi extra ordinem concessum magnopere lætari debes, ipseque tibi etiam
tiam


tiam atque etiam gratulor. Paucissimis tantum boni summum numen largitur. Etsi ne tu quidem corpore hic ades, verùm ab eius contagione parumper seuocatus. hic sola mente constitisti, quæ est syncerissima pars tui. Hanc si totus in ea, quæ vides, intenderis, tu verò erit quo te felicibus annumeres. His auditis, ipse, mista timori lætitia, inibi eram vt hominem resalutarem. Sed loqui cupiẽs nequiui: ita animus titubabat, ita lingua hebescebat. At ille, Ne time, inquit, quem Deus respicit, sed erudire. Ad has voces cùm liberiùs respirassem, Licetne te, inquam, quisquis es, affari? Licet, ait ille, sed pauculis, iisque quæ sint in rem tuam. Annon inquam ego, contueor Pibrachium? Ipsissimum, inquit, tibi, dum agerem inter vos, beneuolentem at nunc etiam beneuolentiorem factum. Qui isti, qui tecum? inquam. Dicam. Vides illum qui incedit comitatior, & quidem luculenta oris maiestatate conspicuus? Is est Michaël Hospitalius, summus ille iustitiæ antistes, virtutum claritate, vt scis, memorabilior quàm summo magistratu felicior. Hunc sequitur ille, quem vides, chorus eorum, qui dum erant in terris, & eruditione, & moribus, & apud reges potentia principes fuerunt. Omnium tibi nomina memorarem, si id tua referret. Ipse quoque istis, quos homo amaui & colui, postquam exui terrena membra, sum comes additus. Nemo nostrûm hic senescit aut, deflorescit. Vitam viuimus beatam in perpetuo contubernio illorum quos aspicis in orbem considentes. Quorum in terris sectatores eramus, horum facti sumus conuictores. Et simul cum dicto significauit Hospitalio quis essem. Ab illo pari beneuolentia continuò sum exceptus. Omnibus illis laxior vsque in pedes trabea demittebatur vndulata eximia puritate nitens. In omniũ vultibus, totisq; corporibus, si modo corpora essent non corporũ imitamenta, regia quodãmodo purpura, eaq; quę felices prędicaret, scintillabat. Tunc ego iã fidẽtior factus, vt qui versarer inter eos, quorum cœtus fuisset flos hominum, nunc verò in concilio cœlestium sunt collocati, nec tamen omni posito metu, Quis iste, inquam, tam lepidus, imò tam sanctus ac venerabilis locus? Ad ea Pibrachius, Hæc, inquit, regio est cœlo propinquior & similior quàm terris. Facilis hinc ad cœlestes sedes, & inde huc itio & reditio est. Nemo in

hoc cœleste secretum reponitur qui non prius vniuerso cœlo fuerit exceptus. Hic locus dispersit globum vestrum terrestrem, eaque quæ vos vocatis elementa ab arduis cœli templis, quorum Deus est perpetuus habitator. Ipse, videlicet, homini indidit similitudinem sui per vnas virtutes, quarum propriam veluti stationem hic posuit. Non quòd singulis virtutibus non sit suus ac proprius inter astra locus, sed vt hinc, vbi plurimum degunt, velut è proximo, & humana arbitrentur, ac sese humanis pectoribus facilius inserant. Quippe nulla virtus non cernit clariùs aquilis, non sagaciùs odoratur quàm omnes vultures, non liquidiùs audit quàm talpæ aut lepores, non velociùs penetrat quàm aut aër, aut lux, aut vox. Hinc quoque aliqua ex parte admirabilis illa cœli potentia maximarum rerum effectrix. Hinc est quòd inexuperabilis illa vis exercituum cœlestium, qui constant è virtutibus conglobatis, quicquid hostile & obuium est, disiicit. Deus ergo etsi suo sacrosancto numine, maiestateque nixus quicquid iusserit momento exequi potest, tamen sapientiæ ac potētiæ suæ ministras voluit esse virtutes; easque humano generi concessit, vt, nunc singulæ, nunc agminatim hominibus adessent, eosque infelicitati ereptos vera felicitate donarent. Quapropter id quod Deo est suum immensum adorandumque numen, hoc ipsum Deo prognata virtus homini est. Obsecro te, inquam, imò vos omnes, quotquot adestis, ne vos pigeat misereri inscientiæ meæ, & suppeditare mihi de thesauris sapientiæ vestræ. Equidem nec quid totum hoc sit quod video, nec quomodo huc delatus sim dicere suppeditat. Nisi, vt tu mox dicebas, id auspicatò factum spero. Omnia tibi, ait ille, aperientur ea lege, vt quæ hic didiceris, ea ne vnquam oblitus fueris aut paruipenderis, sed vsque memori memoria teneas, eaque desiderantibus apud vos enuncies. Ibi ego, Deus hoc mihi gaudium det, & quidem solidum & incorruptum: tum vobis perpetuam istam, quæ vos complexa est, felicitatem. Denique tantam huic loco gratiam, tantúmque decus propitius seruet. Tunc omnium intuitus mihi in vnum Hospitalium visus est verti, vt cui tam magna loquendi prærogatiuam cæteri consensu permitterent. Nec sanè ipse aliter accepit. Secum, inquam, accuratis precibus agi intel-

intellexit. Ego totus in eum versus animum audiendum erexi.

CAP. III.

Singulæ virtutes sunt numina summo numine progna'a. Distinguuntur, non confunduntur. De vocabulo virtutis. Vtrtus definitur.



D hunc ergo modum diuina quadam concinnitate est ei sermo institutus, quam mortali eloquio consequi nulli facundissimo datum, nedum mihi. Rudi tamen eam & inculto stylo, longo quamuis interuallo, veluti reptando sequar. Et quod ille pressè, & intra vnius horæ curriculum cælesti voce eloquutus est, vberiùs & verbis hìc tritis enunciabo, nempe satis commodè & breuiter, si satis lucidè & explicatè. Iam tibi dictum, inquit, ab hoc est, Pibrachium signabat, hanc esse illam veluti stationem, in qua Deus virtutes collocauit. Harum tu augustissimum cœtum en aspicis. non oculis carneis, id quod vniuersæ mortalitati denegarum, sed ea parte tui quæ est figurata ad similitudinem Dei. Virtutum nulla non cœlestis originis decore præfulget. Nulla non existit sola prouidentia summi maximique numinis, cuius singulæ sunt vera, magna, & sancta progenies. Omnes, inquam, sunt ex vniuersa diuina mente delibatæ. Ac proinde palam est, quàm aniliter ludatur ab iis poëtis, pictoribus, fictoribus, qui virtutes fœminarum cultu effingunt. Sed sanè liceat hoc ipsis, dummodo sequior sexus hinc admoneri possit eius puritatis quæ virtutum propria est. Quippe virtutes vocantur virgines, non vt repræsententur quasi fœminę, sed vt integrę & impollutę. Sic fœmineis vocabulis viriles facultates sæpe demonstrãtur; sed ea ratione, qua Musæ, quas satis constat non esse fœminas, sed disciplinas, quibus indita est vis non mascula tantùm, sed cœlestis, illi persimilis, quam Palladis vel Mineruæ propriam esse antiquitas diuulgauit. Tu sic habe. Nullo sexu discriminari virtutes, nec ex vllo corporum

congressu prognatas. Maris & fœminæ fœtus sunt mutabiles, infirmi, fluxi. At virtutibus cùm sit è cœlo stirps, ipsæ totæ sunt substantiæ cœlestis, ac diuino quodam vigore interius animatæ, eximè nitentes ea pulchritudine, quæ nullo humano ingenio concipi, nulla mortali manu elaborari potest. Hoc ipsum indicarunt illi, qui Romæ, Byzantij, alibi virtuti fana vt numini dedicarunt. Si virtutes sunt cœlestia numina, eas origini suæ persimiles esse constat. Cœlo nihil perfectius, quòd eo nihil est nec distinctius nec ordinatius. Ad hoc, scilicet, exemplum, virtutes ita sunt cognatæ, constrictæ, & colligatæ, vt eædem sint & distinctæ & ordinatæ. Nexus & concordia virtutum nihil signat confusi, sed illum admirabilem ordinem, in quo nihil est prius aut posterius, nihil potius aut deterius, sed totus est dispositio perfectissima, vbique æqualis, & in pilæ modum conglobata. Nulla virtus prima; nulla media, nulla postrema. Nihil vlli additum aut demptũ, quo maior minorue virtus dici possit. Eaque re in orbem sedent, nullo, nec superioris nec inferioris loci discrimine, sicuti perfectæ, cumulatæque. Cæterùm in hoc ordine eminet cœlestis illa dignitas, quam vnicuique virtuti Deus indidit. Hoc ipsum signat virtutis vocabulum, quo quantum est virtutum indicari constat. Nec enim virtus simpliciter prolata dictio est peculiare nomen vnius alicuius præcellentis & eximiæ virtutis, cuius decus sicut à fonte in cæteras deriuetur, perinde quasi non multæ sint virtutes, sed vna aliqua quæ plurimis nominibus censeatur. Quisquis virtutem dixerit, omnia virtutum genera, nullo excepto, dixerit. Est ergo virtus non singularis alicuius virtutis, sed vniuersi virtutum chori propria appellatio. Vnde conficitur, vt vnum est omnibus virtutibus nomen, ita vnum omnibus numen, vnam esse omnium coniunctionem; ac ne vllas quidem virtutes intelligi extra omnium consensum, conspirationem, vnitatem. Omnes sunt origine, potentia, effectibus mistæ. Huc accedit quòd singulæ præferunt insignia cunctarum. Singulæ vniuersi cœtus numeros suo beatissimo sinu continent. Quicquid cunctis conuenit, vnicuique conuenit. Quibus laudibus vna aliqua, iisdem omnes aliæ censentur. Quisquis item vnius alicuius virtutis ope quidpiam præstat, is per omnes operatur. Nulla

la est actio preclara, & ab aliqua virtute profecta, ad quam non aliarum omnium concursus fiat. Similiter ipsæ æquant inter se quicquid suum fecerint. Nulla huic, illi nulla est pronior. Cunctæ singularum germina vt propria, pari beneuolentia fouent. Omnibus est consensus, concentus & harmonia. Indidem est laudabilis illa conuenientia, siue æquabilitas eorum propria qui sunt cultores virtutis. Nec enim vnquam isti aut secum, aut cum aliis discrepant. Viri boni semper animos miscent. Virtutum professoribus nihil quicquam est coniunctius. Eorum moribus & vitæ consuetudine nihil copulatius. Quapropter hæc aut illa virtus non semper proprio nomine demonstratur, sed generali virtutis appellatione, ea qua cunctæ repræsentantur. Atque adeò quemcunque virtute præditum dicimus, hunc iustum, prudentem, fortem, temperantem dicimus. Vt omnibus virtutibus vna eademque origo est, ita omnes collimant ad vnam metam, nempe vt rationem, quæ est mentis indiuidua comes, integram & illæsam præstent aduersus cupiditatem, & irascibilem animi partem. Virtutes quoque etsi specie videntur esse dispares, tamen communi constrictę vinculo sunt inseparabiles. Et qui eas communi virtutis appellatione demonstrant, cœlestem hanc virtutum vnitatem luculenter exprimunt. Quisquis item virtutem definierit, is pariter omnes virtutes definierit, omniũ munia & efficacitates demonstrauerit; eădem dixerit, nullam virtutem non esse perpetuam sanitatem mentis, siue naturam in se perfectam, & ad summum perductam, hoc est, rationi vsquequaque consentaneam & expressam ad exemplar Dei.

Cap. IIII.

Qua sese ratione virtus indat hominibus. Virtus est proprium, & homini congenitum bonum.



VAERIS, scio, qua se ratione virtus homini insinuet. An hæ, quas cernis, hinc migrent in inferiores mundi partes, & inde se, vt è proximo, hominibus latẽter inserant, & inscientibus: An aliqua disciplina & exercitatione acquirantur. An retineri, an amitti possint Et quidem, quod huc spectat, sciendum est, has, quas hoc loco aspicis, nequaquam deserere has regiones, atque hinc migrare in terras. Vt cœlestia corpora potestate sui numinis vbique sunt, vt sua vi omnia inferiora gignunt, alunt, augent, eâdem ratione virtus hinc animis illapsa eos illuminat, totumque hominem communit effectibus potentiæ suæ. Et quidem in virtute nihil corporeum cogitamus, sed tantùm diuinas eius facultates, quæ hinc originem trahunt, ac proinde ab ipso cœlo. Tanti, videlicet, homo est apud Deum, vt ei nascenti indat semina diuinitatis suæ. Humani, inquam, corporis coagulo, vt primùm suscipitur in lucem, is addit rationem quæ est mater virtutis. Ratio est menti congenita. Mens est illud primarium semen diuinitatis quod homini infunditur. Est animi rectrix, atque adeò id ipsum in anima quod est visus in oculo. Si mauis, quod facies est in homine, id ipsum est in toto animali mens. Vt mentem Deus animat, ita quod per se esset irrationale vna mens nobilitat. Vt ceræ imprimuntur omnes imagines, ita in mente est omnis intelligentia, omnes formæ cœlestes, omnes causæ principales omnium rerum efficientes. Mens progignit rationem. Ratio ministrat menti. Vt sine mente nulla ratio, ita sine ratione nulla mens est. Ratio virtutem ex sese gignit. Ergo fateare necesse est, virtutem esse homini ingenitum & congenitum bonum, propriam, inquam, huma-

humanæ naturæ dotem; hoc eſt, hominem ſtatim à virtute occupari. Neque aliter hominis potiſſima pars perficeretur, nempe rationalis, illa quæ cæteris omnibus eſt auriga, illa ipſa quæ hominem conſtituit dominum eorum omnium quæ ſunt ſub globo lunæ. Rationis vt mentis domicilium eſt in capite, ſicuti in ſummo loco; vt, ſcilicet, cupiditatem, quæ eſt in pectore, & voluptatem, quæ eſt in gula & abdomine, habeat in poteſtate. Hac tanta nobilitate genus humanum ſplendeſcit; hac vna facultate cenſetur, quæ nulla vi expugnari, nulla ſenectute contriſtari, nullo morbo corrumpi poteſt. Enimuero hac dempta, eadem ſit hominis ratio quæ brutorum. Ea propter quiſquis virtutem, vim & effectum rationis ſecum circumfert, is & certo & ſuo bono nititur. Cui hoc bonum adeſt, hunc iis, quæ verè bona ſunt, abundare dicimus. Scitè enim, & verè aiunt, Non quærendam eſſe penulam homini qui habet virtutem. Quid moror? Virtus eſt ars vitæ, & recta omnium rerum ratio. Virtuti ineſt vnica quædam & perpetua cura, quæ eam exſtimulat aliquid extra ſe cogitare, hoc eſt, hominem. Hunc enim, quia propriè enixéque formandum ſuſcipit, eius ab ingenio omnes pellit tenebras, à cogitatione errores, à vita turpitudines. Vt ſol oriens diſcutit caliginem aëris, ita naſcens virtus euertit ſordes animi. Vt nulla eſt in cœlo nox, ita nullus eſt in virtute næuus, nulla obſcuritas, nullus cœleſtis lucis defectus. Hæc eſt illa perennis lux, quæ homini pandit iter in hæc loca; & hac ratione diuinitatem humanitati conciliat. Ergo in hac vna poſitum eſt quicquid omnibus votis experi poteſt, quandoquidem virtus nihil aliud eſt quàm rationis abſolutio. Accedit conſcientia, celſiſſimum virtuti theatrum. Hæc enim ſi defœcata eſt, nulla homo humana ſorte, quamuis iniquiſſima, obrui poteſt. At quem à ratione & virtute deſtitutum conſcientia debilitat, reumque facit, huic ſubleuando nulla externa felicitas idonea eſt. Ergo pro facto conſcientia concipit ſpem aut metum. Si mala eſt, hominem ex audace facit timidum; ſi bona, è timido animoſum. Hoc primum cuique præmium, hoc primum cuique ſupplicium eſt.

cipiendos. Ille arduus arbores hìc vetulas, illic nouellas ne multiplici ramorum nexu syluescerent, putabat. Ille sationi, alius intentus erat insitioni, cõsitioni, plantationi. In apricitate vinitor humum refodiebat, ac repastinabat, vt ibi nouas vitium propagines affoderet. Ali● virgulta in terram immitebat, aut senescenti trunco prolem adoptandam substituebat. E casis per agros dispersis & gemmantibus coloribus pauones, cristato capite villares gallinæ, & vigili cura anseres liberiùs euagabantur in pascua. Nihil nec dici, nec fingi poterat illa rusticatione formosius, qua paucis post mensibus nihil futurum esset neque quæstuosius neque munificentius. Quæ enim tunc pulcherrimè vernabant magna spes erat fore vt fructuosè autumnarent. Cæterum tota vallis balatu, hinnitibus, mugitibus personabat. Hìc aspiciebantur noui ouium fœtus adhuc sub matribus; Illic opima tauris colla, illic vituli prurientes in pugnam. E columbis aliæ apud columbaria, aliæ apud peristereones alis plaudebant, vt mutuis amoribus flagrantes. Apud stagna, lacus, flumen, riuos alij schænis & arundine tremula nunc hamatili, nunc fluuiatili, nunc saxatili piscatui operam dabant. Alij è nauicula piscatoria rete demisso pisces adhuc repugnantes ac salientes extrahebant. Alij aquatile pecus fuscina, nassa, alijs excipulis captabant. Alibi erat aucupium. Nam cantrices & versicolores auiculæ, & quidem subdito aliarum vocatu, laqueis, pedicis, glutine & viscatis viminibus detinebantur. Alicubi nobiles homines agrorum domini alites pede vinctas è pugno quisque emittebat, quæ alarum remigio hostem quærerent, certamina mouerent, ac rostro & vnguibus militantes, inualidiores suarum virium prædam facerent. Alibi retibus impediebantur, aut sagittis figebantur damæ. Sed enim iam montibus Diana vnà cum comitibus inerrabat. Hæc excussos cubilibus nunc vrsos aut ceruos, nunc lyncas, nunc celsissimis iugis rupicapras, ipsosque adeò ibices vegeta alacritate fatigabat. Venatici canes hìc nictiebant; alibi vicina loca nunc irrita, nunc felici sagacitate perlustrabant. Frequenter afflatu terribili, & ingenita feritate latrabant. Ne multa; illa fuit prorsus oculorum, quamlibet eruditorum, panegyris. Quacũque te verteres, tunc quidem licebat ambulare inter

ter potissima sensuum oblectamenta. Vndique pulchritudines consurgebant; vndique nascentes amœnitates, cæli terræque suauissimæ dulcedines, circumfusæ veris deliciæ apparebant. Quæ singula, nedum cuncta possunt esse vel sæuissimi doloris auocaméta iucundissima. Huc, inquam, & loci solitudine, & circumiectarum rerum pulchritudine delectatus, sicuti ad amœnissimam suburbanitatem frequenter commeabam. Hinc refocillabar, & nouos quodammodo sésus, nouosque affectus mihi induere videbar; dū vernis illis & innocétibus gaudiis liberiùs oculos relaxo; eaque solatia quæ anni tempus suppeditabat, veluti animo adminicula applico. Atque hæc cùm mihi deambulatio iam in consuetudinem vertisset, commodum ecce conspicio insignem quercum, cui arbori non aliam facile composueris. Truncus ingens, proceritas & crassitudo quanta nulli alteri; prorsus patula, ac longissimis dispansa ramis, & circinatæ cuiusdam rotunditatis. Ea quercus noua fronde conuestiri cœperat. Et quòd est inter seras arbores, sese ipsa sublucabat. Interfusa, inquam solis luce, eius recentia folia non tam vmbram conferebant, quàm quædam vmbræ primordia sub ea quercu considentibus pergrata. Ne te teneam, illa fuit vmbra quædam luminosa, aut lumen vmbrosū. Sub hac arbore ipse non tam ambulando fessus, quàm sublustri illa opacitate inuitatus sedere cœpi, nempe sedili graminco, ac viuescente florum gratia conspersо. Hinc & præcelsa iuga, & saxorum asperitates, impédentium montium altitudines, decursus aquarum per quosdam in præceps hiatus prospectabam. Ipsas aquas, cùm ex edito desiliunt, & subiecta tellure, aut Rheno suscipiuntur, spumantes & albescentes, ac paulò longiùs & stagnantes & bullantes. Ipsis præcipuè sonoris Rheni fluctibus mirificè delectabar. Is per eam vallem inter duos altissimos montes cuneatam multo fragore veluti ouans festinabat. Nec enim propriis scaturiginibus contentus etsi plurimis & vberibus, eliquatas montibus niues, vt opulentam prædam, alueo iam tumidiore ac turbidiore sicuti ferocior agebat: Hæc tanta, taliáque naturæ opera, tū nouos anni fœtus, vbique reuiuiscentes intentiùs contemplanti mihi adstitit numen suauissimum; ac mihi incredibile dictu quàm faustūm ac propitium. Somnus fuit, qui

me mihi ereptum arctius est complexus, vt solet eos, quibus animus est ægro propior, & egens & cupiens quietis. Per eam quietem ô summe rerum arbiter, quæ vidi, imò quæ non vidi? certè plura & maiora quàm ille apud Phliasios Amphiaraus. Sed illa ipsa quæ vidisse videor quomodo reminiscar, si non tu, domine, excitas memoriam meam iam labescentem, vt mihi credita, nunc, cùm maximè opus est, bona fide reddat? Si non tu irradias mentem meam aliquantillo radio diuinitatis tuæ? Da ergo, domine, vt, dum somnium narro, non deerrem ad insomnia, nec loquar delitia, sed vsque vigilem, vsque sim sobrius ac serius, veréque reminiscar admirabile, salutare, abs te profectum non somnium, sed oraculum. Potes, vis, annuis. En, tuo numine erigor; tuo nutu confirmor; tua ope fretus audita refero, & visa eloquor.

Cap. 14.

Sedes, genus, forma, hàbitus, cultúsque virtutum describitur.



VIDEBAR esse in loco omnes omnium locorum amœnitates supergresso. Eius loci forma imitabatur amphitheatrum spectatæ magnitudinis. In imo erat planities sanequam lata, ex qua, veluti ex ordinata quadam circulatione, tota illa moles circumquaque sese attollebat. Scires esse orbiculatem cliuum vbique lenissimè assurgentem, & aspicientium oculos, ipsosque qui ascenderent, fallentē. Planitiem floridam, vbique viridem, alicubi vmbrosam placidissimus intersecabat amnis; cuius imus alueus fuit creberrimo smaragdi calculo viridissimus, lætissimo circa ripas gramine, pulcherrimarum auium concentu canorus. Huic delicatissimo amni comes aderat perpetuus quidam, idemque saluberrimus & suauissimus afflatus. Is ibi omnia suo tepôre fouebat, & fœtifico quodam humore totum locum perherbescentem exhibebat. Herbarum nulla non odorata. Omne cœlum ea clementia qualem hîc nequicquam optamus. Inde omnis ventorum vis exulabat.

bat. Nullus ibi imbricitor Deus. Vnæ tantùm cœlestes auræ per ea loca erant meabiles, longéque suauiores iis quæ hic leniter spirant diebus lætis & innubibus. Inde enim facessebat omnis colluuies; nihil in illo aëre tale erat quod crassesceret aut globaretur, nihil quod in caliginē nubemve coalesceret. Ibi perpetua luce omnia nitebant, & quidem constante & imperturbata; quæ tota respergebatur suauitate quadam impromiscua, cuius queat esse simulachrum diei albescentis hora crepusculascens, & albor ille purissimus solis propinquantis prænuntius. Totus locus diuini cuiusdam luminis aspergine erat diffusus. Tales dicuntur esse omnes ij tramites qui cœlo propinquant, vbi omnia punicea face, & purpurea quadam luce creduntur auteſcere. Cliuus ille orbicularis introrsus totus erat circumdatus ingēti circulo. In eo circulo erant reductiora quędam curuamina instar sedilium. Et verò ibi erant sedes, vt mihi quidem videbantur, eburneæ, contractioribus, & æqualibus spatiis inter se distantes. Certè ibi considentes aspectu mutuo, mutuisque colloquiis frui poterant. Nullum subsellium nudum aut inane. In singulis eminebat is qui quantum loci homini satis est, occuparet. Cunctus ille concessus constabat ex iis personis, quibus primo aspectu mortalibus indita erat cœlestis maiestas. Singulis erat capillitium ex ea materia quæ est omni auro putior, & omni sydere lucidior. Nec illi erant capilli, sed radioli, flexuosi, siue fulgetra, qualia sunt lapidis ferro attriti, duorumve lapidum scintillantium. Tota illis capita cœlesti luce coruscabant, eamque lucem leniter ab sese in latissimum orbem diffundebant. Ex illis lucidissimis orbibus longiùs micabant fulgores totum locum subitis gratisque vicibus irradiantes, non qui cuiusquam oculos hebetarent aut præstringerent, sed qui blandè aspectum exciperent. Frons cuique personæ hilara, libera, firma. Ceruix lactea, oculi vegeti ac vibrantes, ipsis stellis clariores, ac perpetua quadam serenitate vernantes: in quorum motibus esset matronali decori mista regalis dignitas. Iidem tamen & faciles, & multa lenitate suffusi, ea quæ est animorum conciliatrix, & ad cœlestia blandissima inuitatrix. Color cuique verus & roseo potior; facies tranquilla; tota forma exuberans, non ea in qua specitur flos ætatis, non

vllius licentiæ incitatrix, sed vt cœlestis originis, sic tota præ se ferens nescio quid diuini decoris, quod illum, cui semel affulsit, diuinæ pulchritudinis admoneret. Illi, quiqui essent aut viderentur, collucebant amictu tenui, qui esset tactu mollissimus & candore purissimus. Id amiculi cùm sicuti vitrea materia pelluceret, aperiebat inaccessam nescio quam, nec alibi spectatam pulchritudinem. Nam tota corpora, siue corporum imitamenta nuda translucebant. Sic fœminea membra sæpe bombycina, sæpe serica tegmina denudant. Sub illa, inquam, siue nuditate, siue textili quodam vento apparebat nescio quid omni formositate formosius, cui nec ipsa Venus, nec quicquid est Veneris se componere audeat. Nihil in ea veste fuit elaboratum ad eam speciem, quæ solos humanos oculos pascere possit, cùm totus is cultus esset cœlestis, nec alijs isti essent ornati quàm sibi. In vniuersum æstimanti ibi apparebant fœminea corpora, & quidem forma spectatissima. Sed vbique circumfusa diuinitas aliud loquebatur. Cùm quicquid ibi spectari poterat sensibus meis offunderetur, ingentem admirationem meam stupore vultus, multaque hæsitatione prodidi. Id animaduersum est à quibusdam qui ibi agebant sola faciei, corporísque specie veriùs quàm vllo corpore notabiles. Et quidem isti inter ipsos recepti videbantur cœlites; ac placidè ambulabant in illa illi cliuo subiecta planitie, sicuti eius regionis accolæ, & asseclæ, siue comites illorum qui sedibus illis consederant. Vnum ex eo cœtu ego, ipse me pariter attentiùs intueri cœpit. Promouemus vterque gradum. Primùm hoc aspectu totus obstupui. Sed stuporem meum statim inexpectatum gaudium exclusit. Nam videbar agnoscere Vidum Pibrachium, amicum sanè mihi homini adolescenti hominem: illum ipsum qui quotiescunque apud regem, aut apud patres conscriptos diceret, flumen orationis aureum fundere solitus fuit. Verùm in eius vultu, omni mortalitate detrita, eminebat ea species quæ sola ac tota est numinum, si fortè sese mortalibus oculis aspicienda præbent. Is, vt vterque fuimus in proximo, mè adgnitum blandè compellauit. Bonis, inquit, CAROLE, auspiciis huc te attulisti, nec sine Deo impulsore ac duce. Quòd certè tibi extra ordinem concessum magnopere lætari debes, ipséque tibi etiam

tiam


tiam atque etiam gratulor. Paucissimis tantum boni summum numen largitur. Etsi ne tu quidem corpore hic ades, verùm ab eius contagione parumper seuocatus hic sola mente constitisti, quæ est syncerissima pars tui. Hanc si rotus in ea, quæ vides, intenderis, tu verò erit quo te felicibus annumeres. His auditis, ipse, mista timori lætitia, inibi eram vt hominem resalutarem. Sed loqui cupiẽs nequiui: ita animus titubabat, ita lingua hebescebat. At ille, Ne time, inquit, quem Deus respicit, sed erudire. Ad has voces cùm liberiùs respirassem, Licetne te, inquam, quisquis es, affari? Licet, ait ille, sed pauculis, iisque quæ sint in rem tuam. Annon inquam ego, contueor Pibrachium? Ipsissimum, inquit, tibi, dum agerem inter vos, beneuolentem at nunc etiam beneuolentiorem factum. Qui isti, qui tecum? inquam. Dicam. Vides illum qui incedit comitatior, & quidem luculenta oris maiestatate conspicuus? Is est Michaël Hospitalius, summus ille iustitiæ antistes, virtutum claritate, vt scis, memorabilior quàm summo magistratu felicior. Hunc sequitur ille, quem vides, chorus eorum, qui dum erant in terris, & eruditione, & moribus, & apud reges potentia principes fuerunt. Omnium tibi nomina memorarem, si id tua referret. Ipse quoque istis, quos homo amaui & colui, postquam exui terrena membra, sum comes additus. Nemo nostrûm hic senescit aut defloreſcit. Vitam viuimus beatam in perpetuo contubernio illorum quos aspicis in orbem considentes. Quorum in terris sectatores eramus, horum facti sumus conuictores. Et simul cum dicto significauit Hospitalio quis essem. Ab illo pari beneuolentia continuò sum exceptus. Omnibus illis laxior vsque in pedes trabea demittebatur vndulata eximia puritate nitens. In omniũ vultibus, totisq; corporibus, si modo corpora essent non corporũ imitamenta, regia quodãmodo purpura, eaq; quę felices prędicaret, scintillabat. Tunc ego iã fidẽtior factus, vt qui versarer inter eos, quorum cœtus fuisset flos hominum, nunc verò in concilio cœlestium sunt collocati, nec tamen omni posito metu, Quis iste, inquam, tam lepidus, imò tam sanctus ac venerabilis locus? Ad ea Pibrachius, Hæc, inquit, regio est cœlo propinquior & similior quàm terris. Facilis hinc ad cœlestes sedes, & inde huc itio & reditio est. Nemo in

hoc cœleſte ſecretum reponitur qui non priùs vniuerſo cœlo fuerit exceptus. Hic locus diſperſit globum veſtrum terreſtrem, eaque quæ vos vocatis elementa ab arduis cœli templis, quorum Deus eſt perpetuus habitator. Ipſe, videlicet, homini indidit ſimilitudinem ſui per vnas virtutes, quarum propriam veluti ſtationem hic poſuit. Non quòd ſingulis virtutibus non ſit ſuus ac proprius inter aſtra locus, ſed vt hinc, vbi plurimum degunt, velut è proximo, & humana arbitrentur, ac ſeſe humanis pectoribus faciliùs inſerant. Quippe nulla virtus non cernit clariùs aquilis, non ſagaciùs odoratur quàm omnes vultures, non liquidiùs audit quam talpæ aut lepores, non velociùs penetrat quàm aut aër, aut lux, aut vox. Hinc quoque aliqua ex parte admirabilis illa cœli potentia maximarum rerum effectrix. Hinc eſt quod inexuperabilis illa vis exercituum cœleſtium, qui conſtant è virtutibus conglobatis, quicquid hoſtile & obuium eſt, diſiicit. Deus ergo etſi ſuo ſacroſancto numine, maieſtateque nixus quicquid iuſſerit momento exequi poteſt, tamen ſapientiæ ac potẽtiæ ſuæ miniſtras voluit eſſe virtutes; eaſque humano generi conceſſit, vt, nunc ſingulæ, nunc agminatim hominibus adeſſent, eoſque infelicitati ereptos vera felicitate donarent. Quapropter id quod Deo eſt ſuum immenſum adorandumque numen, hoc ipſum Deo prognata virtus homini eſt. Obſecro te, inquam, imò vos omnes, quotquot adeſtis, ne vos pigeat miſereri inſcientiæ meæ, & ſuppeditare mihi de theſauris ſapientiæ veſtræ. Equidem nec quid totum hoc ſit quod video, nec quomodo huc delatus ſim dicere ſuppeditat. Niſi, vt tu mox dicebas, id auſpicatò factum ſpero. Omnia tibi, ait ille, aperientur ea lege, vt quæ hic didiceris, ea ne vnquam oblitus fueris aut paruipenderis, ſed vſque memori memoria teneas, eaque deſiderantibus apud vos enuncies. Ibi ego, Deus hoc mihi gaudium det, & quidem ſolidum & incorruptum: tum vobis perpetuam iſtam, quæ vos complexa eſt, felicitatem. Denique tantam huic loco gratiam, tantúmque decus propitius ſeruet. Tunc omnium intuitus mihi in vnum Hoſpitalium viſus eſt verti, vt cui tam magna loquendi prærogatiuam cæteri conſenſu permitterent. Nec ſanè ipſe aliter accepit. Secum, inquam, accuratis precibus agi intel-

intellexit. Ego totus in eum versus animum audiendum erexi.

CAP. III.

Singulæ virtutes sunt numina summo numine prognatæ. Distinguuntur, non confunduntur. De vocabulo virtutis. Virtus definitur.



D hunc ergo modum diuina quadam concinnitate est ei sermo institutus, quam mortali eloquio consequi nulli facundissimo datum, nedum mihi. Rudi tamen eam & inculto stylo, longo quamuis interuallo, veluti reptando sequar. Et quod ille presse, & intra vnius horæ curriculum cælesti voce eloquutus est, vberiùs & verbis hîc tritis enunciabo, nempe satis commodè & breuiter, si satis lucidè & explicatè. Iam tibi dictum, inquit, ab hoc est, Pibrachium signabat, hanc esse illam veluti stationem, in qua Deus virtutes collocauit. Harum tu augustissimum cœtum en aspicis, non oculis carneis, id quod vniuersæ mortalitati denegatum, sed ea parte tui quæ est figurata ad similitudinem Dei. Virtutum nulla non cœlestis originis decore præfulget. Nulla non existit sola prouidentia summi maximique numinis, cuius singulæ sunt vera, magna, & sancta progenies. Omnes, inquam, sunt ex vniuersa diuina mente delibatæ. Ac proinde palam est, quàm aniliter ludatur ab iis poëtis, pictoribus, fictoribus, qui virtutes fœminarum cultu effingunt. Sed sanè liceat hoc ipsis, dummodo sequior sexus hinc admoneri possit eius puritatis quæ virtutum propria est. Quippe virtutes vocantur virgines, non vt repræsententur quasi fœminę, sed vt integrę & impollutę. Sic fœmineis vocabulis viriles facultates sæpe demonstrãtur; sed ea ratione, qua Musæ, quas satis constat non esse fœminas, sed disciplinas, quibus indita est vis non mascula tantùm, sed cœlestis, illi persimilis, quam Palladis vel Mineruæ propriam esse antiquitas diuulgauit. Tu sic habe, Nullo sexu discriminari virtutes, nec ex vllo corporum

congressu prognatas. Maris & fœminæ fœtus sunt mutabiles, infirmi, fluxi. At virtutibus cùm sit è cœlo stirps, ipsæ totæ sunt substantiæ cœlestis, ac diuino quodam vigore interiùs animatæ, eximè nitentes ea pulchritudine, quæ nullo humano ingenio concipi, nulla mortali manu elaborari potest. Hoc ipsum indicarunt illi, qui Romæ, Byzantij, alibi virtuti fana vt numini dedicarunt. Si virtutes sunt cœlestia numina, eas origini suæ persimiles esse constat. Cœlo nihil perfectius, quòd eo nihil est nec distinctius nec ordinatius. Ad hoc, scilicet, exemplum, virtutes ita sunt cognatæ, constrictæ, & colligatæ, vt eædem sint & distinctæ & ordinatæ. Nexus & concordia virtutum nihil signat confusi, sed illum admirabilem ordinem, in quo nihil est prius aut posterius, nihil potius aut deterius, sed totus est dispositio perfectissima, vbique æqualis, & in pilæ modum conglobata. Nulla virtus prima; nulla media, nulla postrema. Nihil vlli additum aut demptũ, quo maior minorue virtus dici possit. Eaque re in orbem sedent, nullo, nec superioris nec inferioris loci discrimine, sicuti perfectæ, cumulatæque. Cæterùm in hoc ordine eminet cœlestis illa dignitas, quam vnicuique virtuti Deus indidit. Hoc ipsum signat virtutis vocabulum, quo quantum est virtutum indicari constat. Nec enim virtus simpliciter prolata dictio est peculiare nomen vnius alicuius præcellentis & eximiæ virtutis, cuius decus sicut à fonte in cæteras deriuetur, perinde quasi non multæ sint virtutes, sed vna aliqua quæ plurimis nominibus censeatur. Quisquis virtutem dixerit, omnia virtutum genera, nullo excepto, dixerit. Est ergo virtus non singularis alicuius virtutis, sed vniuersi virtutum chori propria appellatio. Vnde conficitur, vt vnum est omnibus virtutibus nomen, ita vnum omnibus numen, vnam esse omnium coniunctionem; ac ne vllas quidem virtutes intelligi extra omnium consensum, conspirationem, vnitatem. Omnes sunt origine, potentia, effectibus mistæ. Huc accedit quòd singulæ præferunt insignia cunctarum. Singulæ vniuersi cœtus numeros suo beatissimo sinu continent. Quicquid cunctis conuenit, vnicuique conuenit. Quibus laudibus vna aliqua, iisdem omnes aliæ censentur. Quisquis item vnius alicuius virtutis ope quidpiam præstat, is per omnes operatur. Nulla

la est actio preclara, & ab aliqua virtute profecta, ad quam non aliatum omnium concursus fiat. Similiter ipsæ æquant inter se quicquid suum fecerint. Nulla huic, illi nulla est pronior. Cunctæ singularum germina vt propria, pari beneuolentia fouent. Omnibus est consensus, concentus & harmonia. Indidem est laudabilis illa conuenientia, siue æquabilitas eorum propria qui sunt cultores virtutis. Nec enim vnquam isti aut secum, aut cum aliis discrepant. Viri boni semper animos miscent. Virtutum professoribus nihil quicquam est coniunctius. Eorum moribus & vitæ consuetudine nihil copulatius. Quapropter hæc aut illa virtus non semper proprio nomine demonstratur, sed generali virtutis appellatione, ea qua cunctæ repræsentantur. Atque adeò quemcunque virtute prædituni dicimus, hunc iustum, prudentem, fortem, temperantem dicimus. Vt omnibus virtutibus vna eademque origo est, ita omnes collimant ad vnam metam, nempe vt rationem, quæ est mentis indiuidua comes, integram & illæsam præstent aduersus cupiditatem, & irascibilem animi partem. Virtutes quoque etsi specie videntur esse dispares, tamen communi constrictę vinculo sunt inseparabiles. Et qui eas communi virtutis appellatione demonstrant, cœlestem hanc virtutum vnitatem luculenter exprimunt. Quisquis item virtutem definierit, is pariter omnes virtutes definierit, omniũ munia & efficacitates demonstraueritȝ eâdem dixerit, nullam virtutem non esse perpetuam sanitatem mentis, siue naturam in se perfectam, & ad summum perductam, hoc est, rationi vsquequaquę consentaneam & expressam ad exemplar Dei.

humanæ naturæ dotem; hoc est, hominem statim à virtute occupari. Neque aliter hominis potissima pars perficeretur, nempe rationalis, illa quæ cæteris omnibus est auriga, illa ipsa quæ hominem constituit dominum eorum omnium quæ sunt sub globo lunæ. Rationis vt mentis domicilium est in capite, sicuti in summo loco; vt, scilicet, cupiditatem, quæ est in pectore, & voluptatem, quæ est in gula & abdomine, habeat in potestate. Hac tanta nobilitate genus humanum splendescit; hac vna facultate censetur, quæ nulla vi expugnari, nulla senectute contristari, nullo morbo corrumpi potest. Enimuero hac dempta, eadem sit hominis ratio quæ brutorum. Ea propter quisquis virtutem, vim & effectum rationis secum circumfert, is & certo & suo bono nititur. Cui hoc bonum adest, hunc iis, quæ verè bona sunt, abundare dicimus. Scitè enim, & verè aiunt, Non quærendam esse penulam homini qui habet virtutem. Quid moror? Virtus est ars vitæ, & recta omnium rerum ratio. Virtuti inest vnica quædam & perpetua cura, quæ eam exstimulat aliquid extra se cogitare, hoc est, hominem. Hunc enim, quia propriè enixéque formandum suscipit, eius ab ingenio omnes pellit tenebras, à cogitatione errores, à vita turpitudines. Vt sol oriens discutit caliginem aëris, ita nascens virtus euertit sordes animi. Vt nulla est in cœlo nox, ita nullus est in virtute næuus, nulla obscuritas, nullus cœlestis lucis defectus. Hæc est illa perennis lux, quæ homini pandit iter in hæc loca; & hac ratione diuinitatem humanitati conciliat. Ergo in hac vna positum est quicquid omnibus votis experti potest, quandoquidem virtus nihil aliud est quàm rationis absolutio. Accedit conscientia, celsissimum virtuti theatrum. Hæc enim si defœcata est, nulla homo humana sorte, quamuis iniquissima, obrui potest. At quem à ratione & virtute destitutum conscientia debilitat, reumque facit, huic subleuando nulla externa felicitas idonea est. Ergo pro facto conscientia concipit spem aut metum. Si mala est, hominem ex audace facit timidum; si bona, è timido animosum. Hoc primum cuique præmium, hoc primum cuique supplicium est.

Cap. V.

Etsi virtus est homini congenita, disciplina tamen & exercitatione alitur & augetur. Id ni fit, hominem vitia occupant, & cur.



B I Hospitalius cœpit coniectari nescio quam hæsitationem animi mei. Nec de nihilo. Reuera enim hærebam, id mecum voluens, Quid ita, cùm homini virtutem natura ingeneret vsque eò, vt hòc cœleste donum in vtero matris prope concipi videatur, tamen maxima pars in barathrum vitiorum præceps detur. Apud me enim planè explosa sententia illorum est, qui Deum aiunt distribuere virtutes & vitia veluti in stadio athletis, illas bonæ menti præmia, hæc prauæ naturæ supplicia. Quippe sine virtute nulla natura per se est bona; nulla item sine vitio praua. Tunc ille, Mirum tibi accidit, illud pectus quod semel virtus insederit, vitiorum dolis & machinis expugnari posse. Cui dubitationi tuæ libens occurro. Aioque mihi improbari sententiam illorum qui vitium virtuti tempore, hanc illi dignitate & potentia antistare dicũt. Falsò. Quia nulli mortalium anima inditur sine primordiis virtutis. Sed hæc siue primordia siue semina confestim arerent sine assidua cura & cultura, quarum ope & primum illud semen commutatur germine, & hoc germen radicescit, grandescit, fruticescit, nec vllo vitij superuenientis turbine peruertitur. Vt enim sese virtus nascenti homini inserit, altrinsecus veluti per contrariam affinitatem ingerit se vitiositas, non ianua recepta, sed pseudothyro intromissa, ac sicuti malum nomen per occultos tramites ambulans. Vitiositas est animi impotentia planè dissidens à virtute. A vitiositate sunt singula vitia. Vitium, vitiositatis partus, est labes naturæ humanæ inimica rationi, cuius scopus est, abalienare hominẽ à Deo. Et quidẽ hoc monstrũ omnes perscrutatur humani pectoris latebras, vt his inquinatis, & inde virtute explosa, ibi regnũ possideat, totũq; hominẽ agitet arbitratu suo. Hinc illud dictũ, Eũ q̃ vitia odit hominẽ odisse; perinde ac si quisquis homo nasci

tur,

tur, is in sinu: atq; adeò in præcordiis gestet hoc portētū. Hoc modo, virtus, cœlestis dos, necesse habet congredi cū materia praua, illam vt exturbet, sibique totum hominem vacuefaciat. Hoc itaque deus homini dictat, quod eius est propria bonitas, quæ in prauum flecti nulla ratione potest, cùm hominis natura, donec eum sua mortalitas circundat, facilè adulteretur. Homo ita est ad virtutem genitus, vt eadem sit procliuis ad vitium. Atque adeò principium virtutis est hoc, quemque scire se esse obnoxium vitiis. Vnde vetus illud, Si vis esse bonus, puta te esse malum. Vsque eò vt virtus melius noscatur ex comparatione vitij. Adeò vitium nihil aliud est quam interpretatio virtutis. Per quæ colligitur vitam hominis esse laboriosum certamen euentu dubio. Etsi enim res cernitur inter virtutem & vitium, tamen homo est in partibus. Aut à vitio stat, aut à virtute. Nam pugnatur in pectore ipsius, de ipsius possessione perpetua est inter vitia virtutésque concertatio, vtroque sibi hoc ius vindicante. Vsque eo virtus est tota in certamine. Cæterum penes virtutem aut vitium victoria est, qualiter ab alterutro homo habetur. Si homo virtuti militat, ea verò est vita animæ. Si à vitiis expugnatur, is est eiusdem animæ interitus. Ne ergo mirare virtutem esse in perpetuo contubernio laboris & sudoris, semper sollicitā & experrectam, sēper esse pugnæ paratam, vt quæ semper hostem in conspectu. Hoc ipsum celebratissimi illi Herculis labores nullo circuitu significant, nimirum, hominem, si modò quà virtus monstrat, incumbit, denique esse triumphatorem vitiorum. Enimuero illa omnia monstra quæ is heros suæ fortitudini subiecit, nihil aliud sunt, nisi ipsissima intemperantia, impetus inconsulti, ignauia, metus, spes inanes, aliaque vitiorum agmina quæ hominem infestant. Hoc ipsum docet Iason ille celeberrimus, cui vt auferret vellus aureum debellandi fuerunt æripedes tauri & ignìuomi, ac gigantum genus terra recens editum trucidandum. Huc quoque pertinet clypeus Achillis, in quo Poëtæ finxerunt esse montem præcelsum, asperum, ascensu arduum, cuius in summo iugo stat virtus vertici palmæ pedibus innixa. Maxima, scilicet, hominum pars tanta celsitate deterrita pedem refert in ima. Perpauci multo sudore,



parique anhelitu iugum euadunt. Hi sunt illi qui ideo sunt cultores disciplinarum, vt tandem euadunt Professores ac possessores virtutum. Quapropter etsi virtus quodammodo homini connascitur, eique diuina quadam sorte contingit, tamen est elaboranda & erudienda, & instruenda. Nec enim propriè est à natura, sed verius a mente & à scientia, a quibus, & cum quibus est ratio formatrix eius. Vtramque ope disciplinæ augeri vsuque exercitatiorem fieri posse dicimus. Habet enim virtus in homine suos auctus, suos progressus, suas ætates. Disciplinâ dico, quòd hæc ducit ad cognitionem veri, sine qua nulla virtus est. Disciplina est humanitatis & bonorum morum nutricula. Hinc quicquid in homine nimium est detumescit, & ad sanum modum redigitur. Vsu & exercitatione acquiritur consilium, electio, facultas retinendi, insistendi & immorandi vnis iis quæ sunt à virtute, omnibus aliis posthabitis. Est ergo virtus in numero illorum bonorum, quæ etsi manant à Deo, tamen nequaquam homini conceduntur nisi alicuius interuentu medij. Certè inscitia sit, putare ad consecutionem earum rerum quę minimæ sunt, opus esse adiumentis artis & exercitationis; Rem omnium maximam postulare sine summo labore & cura. Hac via tam aspera tamque senticosa se adiri virtus æquum censet. Ita rerum natura fert, cuius decretis obniti, est dementiæ plena susceptio. At vitium suis illecebris & inani specie falsorum bonorum hominem primùm torpere cogit, mox obbrutescere, eâdem prorsus ratione qua quisquis Medusæ caput aspiceret, lapidescebat. Nec tamen suos vmquam virtus deserit. Ipsis periculis obuiam it animosa. Intellecto discrimine surgit accerrima. Quò durioribus negotiis illiditur, hoc magis roboratur, quò plus conflictatur, hoc magis enitescit. Vitium in primis congressibus ne concutiatur, cedit. Numquam ferit nisi ex abdito, nec se tuetur nisi ictu euanido, nec plus vincit quàm quantum decipit. Postremò sic statuendum, omnium rerum & actionum quasdam esse turpes, quasdam honestas. Has esse ab virtute, illas à vitio. At cùm virtutes à vitiis capitali odio dissideant, odisse vitium nihil esse aliud, nisi amare virtutem. Nec enim illa meretur dici virtus

tus, cui non est perpetua pugna cum vitiis. Ab vtriusque diuersissimis principiis diuersissimi effectus progignuntur: Certè expulsio vitij operatur admissionem virtutis. Hæc duo nunquam vnà esse, nunquam concorditer agere possunt.

CAP. VI.

Quibus dotibus virtus, quibus item atrocitatibus vitium censeatur.

SI virtuti natales sũt cœlestes, necesse, est omnes virtutes suapte vi leuari in hasce sublimes beatasque sedes, vbi est perpetuus nitor cœlestium luminum, Certè ἀρετὴν Græci, quæ ipsis est virtus, non solùm dici volunt παρὰ τὴν αἵρεσιν ab eligendo, verùm etiam παρὰ τὸ αἴρεσθαι, quia semper erigit se in sublime, & sola cœlestia suspicit & sectatur. At vitia constat esse diros fœtus infernorum monstrorum, quæ vbique tacitè serpunt, ac subdolo reptatu prodeunt è locis perpetuo nigrore cæcatis, quibus primùm Dei iussu conclusa fuerant. Scitè ergo Græci κακίαν vitium dici volunt ἀπὸ τοῦ κατωκεχωρηκέναι, quòd in inferiora recessit; & quòd vitiis contacti, sicuti intolerabili pondere pressi, vel ingratiis deorsum cadunt. Hoc signarunt illi Poëtæ qui Martem, sicuti malorum autorem, à Pallade veluti à diuina potentia, in terram deiectum fingunt; hoc est, altissimo loco deturbatum, & compactum in vltimos barathri recessus. Ibi pedibus calcari, omnique iniuriæ & contumeliæ obnoxium esse. Nulli item vitio non est facies multiplex & terribilis. Hæ si aspicerentur, vtique maximis humanum genus terroribus agitarent. Ergo non mirum si se transformant si se fallacissimè venditant, & quidem assumpta specie virtutum, quò sensibus humanis faciliùs illudant. Certè hominibus, vt per hostilem ambulantibus, omnia par esse suspecta, eoque magis quòd nullum vitium non stat in confinio contrariæ sibi virtutis. Hinc sese proximis & securioribus obtrudit pro virtute. Prorsus hoc est ingenio vitium, vt vix vnquam se cuiquam offerat

nisi sub qualicunque specie virtutis, etsi huius ne vllum quidem lineamentum habet. In hoc quoque virturi est planè dissimile,quod hæc à nemine quicquam mutuo sumit,nedum ab aduersario suo,se contenta.At vitium occasionum nullam prætermittit,quibus humanis oculis illudat. Quocunque artificio potest humana ingenia sic demulcet,vt demulcendo corrumpat. Incautiori adolescenti ex insperato obuiam pulchritudinem offert, ab qua aspici & quam aspicere iuuet. Auaro lucrum, cupido honorem, guloni epulas obiicit. Omnium animos qua re maximè capi possunt,pertentat.Quid?hi sunt vitiorum astus, hæ fallaciæ,vt a luciosis ac lippientibus accipiantur pro ipsis virtutibus, pro argumentis viuidæ indolis,pro documentis alicuius extraordinariæ felicitatis.Annon vitia sua quamplurimi norunt,iis tamen vsque oblectantur,ea edictant & ostentant nulla verecundia, virtutes, si quas habent,dissimulant? Nihil quidem in aula frequentius,nihil in magnis vrbibus vulgatius, quarum muri quo aspiciuntur eminentiores, hoc ibi virtutes constat esse depressiores. Virtutis propria nota est, vt vel apud ipsa vitij mancipia vix vnquam non sit gratiosa. Id quod intellexerunt illi,qui ingeniosè repererunt ἀρετὴν dici à verbo ἐρῶ amo, tãquam ipsa sit ἐρατὴ amabilis. At vitia ipsis sui sectatoribus nunquam non multum concient molestiæ & nauseæ. Eáque re,si verum fateri volunt,quæ ipsi in proparulo amplexantur,hæc ipsis in secreto suo sunt vituperabilia. Et verò vitium nominatur à vituperio, aut certè à vitio vituperium. Virtus ambulat ante omnium ora, in medio foro, mero meridie. Vitium amat latere inter obscœna inuolucra simulationis ac dissimulationis caligine septum, tenebris amicum, perpetua cæcitate damnatum. Virtutes vt sunt simplices,ita sunt pauciores,& vna quod aiunt forma percussæ, qua nemo decipi potest, eâdem prope ratione qua bona valetudo in homine est simplex,vniusque generis.At vitij sunt innumerabilia spectra,quorum intuitu homo mille erroribus implicatur.Virtus ergo consistit in paucis. Vitium, cùm sit ipsa confusio, quotidie multiplicatur. Hoc illud est quod Pythagorei dixerunt, Malum esse rem infinitam, bonum suis finibus circumscribi. Virtus est optimæ cuiusque rei pedamentum. Vitij prauitas semper

est

est in lubrico, aut in margine loci pręcipitis. Virtus est pulchritudo animi. Vitium est totius hominis teterrima labes, prorsus informe monstrum, in quo ima, media, summa pariter detesteris. Virtus est animo satelles, vitium tortor & carnifex. Nulla virtus nō denique de omni vitio triumphat. Omnia vitia conglobata ne de vmbra quidem virtutis. Quanta est inter omnes virtutes concordia, tantum tamque funestum inter omnia vitia dissidium est. Virtus solo aspectu homines fouet, vitia diro intuitu, & virulentis blandimentis, & afflatu pestilente, & leui contactu nocent. Quem virtus propugnandum suscepit, is magis est inuulnerabilis quàm ij qui rutam aduersus cicutam ederint, aut sese Promethei & Medeæ pharmaco munierint. Vitium vel ignauissimi cuiusque ictibus vndequaque patet. Virtus inter superflua & egestatem media est, nullo excessu, nullo defectu. Vitium consistit in alterutro. Atque adeò vitium, etsi nauigat plenis, quod aiunt, velis, semper eget, sempérque hiat ad aliena. Se vna virtus tuetur. Ad vitium protegendum omnium malarum artium concursum fieri oportet. Virtus quamlibet infelix omnia præmia reperit in se vna, potissimum magnificos veræ gloriæ titulos, qui ei quacunque incedit, præferuntur. Vitium quamlibet sua stoliditate ferox, vbicumque delitescit, comitantur sua supplicia, obscœna imprimis insignia infamiæ suæ, dirumque aliorum vitiorum agmen. Vt virtuti omnia præclara & laudabilia sponte militant, ita vitio quicquid vspiam pessimum ac deterrimum est fœdè ancillatur. Virtus ita pugnat, vt denique lethaliter feriat. Vitium suæ sibi torpedinis conscium vna, & quidem trepida manu pugnat, altera palpat. Vt hoc tanto certamine nullum est periculosius, ita victoria virtutis nulla est illustrior. Victrix virtus hoc assequitur, vt præter totum hominem; quem vindicat sibi, non vnum aut alterum vitium profliget, sed vt omnia pariter prosternat, penitúsque tollat. Nec enim virtus id modò spectat, vt vitia leniat, mitiget, excuset, intermittat, differat, sed vt, quantum licet humanæ sorti vna ipsa fultæ, prorsus abolcat. Probè enim intelligit, vel illa ipsa quæ videntur esse parua vitia in magnis deprehensa viris non esse labeculas, sed magnas maculas, magnísque

virtutibus obesse; & è parui vitij reliquiis surgere magna dedecora, quæ iis, in quibus deprehenduntur, aliquantam partem gloriæ demunt. Talis fuit in Alcibiade intemperantia, in Cimone ebrietas, in Scipione somnus, in aliis libidines. Absit vt vlla virtus putet se tutò posse cõsistere in aliqua mediocritate vitiorum, quorum ipsa est fatalis extinctio. Ne plura, virtus sua magnitudine, suóque potentissimo numine illa omnia elidit, quæ homini ad cœlestia aditum occludunt. Vna animum statuit in tranquillo, vna ita hominem beat, vt, quicquid est sub tegmine cœli hominis faciat.

CAP. VII

Vt virtus rationi adhæret, sic vitium affectibus. De his, & sensibus quædam.

VT virtus est vis & effectus rationis, ita humani affectus, si non compescuntur, sunt ipsæ introductiones vitiorum. Ratio est præclarus motus ingenij illustrati radio mentis, hoc est, diuini spiritus, qui homini inditus naturam cõfigurat & rectam & perfectã. Vsque eò perfectam, vt ad hanc vnicam regulã totã vitam exæquari æquum sit. Hac sola dote homo cæteris animantibus præstat. Hæc est hominis propria possessio haud minùs quàm sermo. Quippe vnius rationis munus est affectus concidere, ac proinde cupiditatem domitare. Sine hac luce omne vitæ curriculum est fallax. Ergo ratio est diuinus character homini impressus, is quo humana excellentia discriminatur à bestia. In ratione, & ab ratione, vt dixi, virtus est. Atque adeò virtus nihil aliud est quàm vsus & officium rationis, quod primùm sibi quisque, mox alij præstat. Si mauis, virtus est ratio se freta, & progrediens in actiones, easque gubernans. Ratio & virtus ita cohærent, vt diuelli nequeant, vtraque tunc maximè pollet, cùm prior illa imperat ei hominis parti quæ est rationis expers. Vtraque sic implicita & vniter agens posterioris

rioris appellatione censetur, virtusque nuncupatur. Verùm vtriq; affectus obstrepunt, & vtriusq; munia conturbant. Affectibus vitia sese applicant; hos trahunt in suas partes, vt hinc aucti humano domicilio rationem & virtutem exturbent, Affectus sunt à motibus. Motus, qui Græcis est προπάθεια, est primus & improuisus ictus, siue impetus quo homo perstringitur sicuti ab inexpectata vi fulguris. Huic ictui natura humana sic patet, vt à nemine mortaliũ præuideri aut vitari possit. Primi hi motus nec per se bonis annumerantur, nec malis, sed vtrumque fieri possunt. Si nascentes refutantur, vt nec vllius boni, ita ne cuiusquam quidem mali causa sunt. Si non quidem exterminantur, sed sic fouentur, vt rationi obtemperent, tunc vtiliter dicũtur prouenire, tunc exsuscitant animum ad præclara. Certè videtur natura has homini commotiones ingenerasse, vt posset capere virtutem, quo modo emota terra culturam. Si, dum adolescunt ac præualent, discedunt à præscripto rationis, si sensim tument & efferantur, confestim è primo illo naturali motu fiunt affectus, qui ad hominis perniciem conualescunt. Certè vitium nihil aliud est quàm affectus, hoc est vehementior animi perturbatio. Ea certè est omnium vitiorum, omniumq; prauitatum scaturigo. Affectus ergo siue affectiones sunt motus acriores, hoc est, animi perturbationes, ipsissimæ vitiorum matrices. Vt enim ratio & virtus æqua suadent & moderata, ita affectibus nihil est nec immoderatius nec iniquius. Quatenus hominem ratio regit, is est viuum exemplar Dei. Statim vt trahitur ab affectibus, eo momento in ipso obliteratur omnis similitudo diuini numinis, nec vlla re censetur quã illa quæ est ipsi promiscua cum brutis. Ergo vbi ratio primos animi motus dirigit ad normã virtutis, ibi affectibus omne iter ad hominem vitiandũ occluditur. Si è motibus fiunt affectus, exclusa ratione, vitiũ dominatur. Quę cũ ita sint, planè virtus nihil aliud est quã vacuitas ab affectibus. Vt virtus nõ est inimica primis motibus, quãdoquidẽ sunt à natura, ita prorsus auersatur affectus; hos coercet, ne erũpant. Nam vbi semel eruperunt, ex ipsis existunt vitia; è vitiorum concretis sordibus crimina. Nos dicimus tot esse affectus quot cupiditates, quarum tamen ratio triplex est,

ira, cupido, libido. Quæ sunt illæ tres furiæ Poëtarum carminibus tantopere celebratæ. Cæterùm nullam quoque nos affectuum mediocritatem siue moderationem agnoscimus. Cùm enim nullus affectus sit absque defectu aut excessu, vbicunque vtrumque, aut etiam alterutrum est, ibi virtuti nullus locus est, quæ tota siue medietas, siue mediocritas est. Hinc est, quod ij numeri, quos Arithmetici vocant perfectos, quòd in singula diuidi possunt, sumuntur pro symbolo virtutis. At ampliores perfectis, qui plus in partibus suis, quàm in se ipsis habent; item imperfecti, in quorum partibus minùs quàm in ipsis est, sunt veri typi vitiorum. Virtutis tessera, quòd vbique habet comparem rationem æqualitatis, semper est perfecta; Vitiorum inæqualis & imperfecta. Nam vitia aut exsuperant aut deficiunt, aut antecēdt aut antecedūtur. Adde quod affectus in anima hoc sunt quod corrupti humores in corpore. Et qui existimarunt affectus veriùs esse animi morbos quàm vitia, rem per se indistinctam scrupulosiùs quàm veriùs distinxerūt, nec aduerterunt, animi morbum esse ipsissimum vitium; ac vice versa vitium nihil aliud esse quàm animi morbum, & quidem perpetuum, si est vt sit insanabilis. Vnà cum morbo obliteratur vitium, & in eius locum virtus substituitur. Ergo aliud est moueri, aliud affici. Moueri est ad oblatam quamcumque speciem excitari. Affici est laxare frænos cupiditati; effuséque qua hæc aut monstrat, aut præit, sequi. Dura, inquis, atque ardua res est sic affectus excutere, vt non aliquam sui notam in homine relinquant, vel in illo ipso, cui datum est vt sapientiæ thesauros possideat. Certè eorum matrices quisque gestat in præcordiis. Nam profusum & insolescens gaudium formatur in splene; vt libido in iecore, ac timor in corde, & ira in pectore. Quapropter homini conceditur, vt, donec premitur pondere carnis, homo sit, hoc est, vt ad virtutem pleno quidem gradu contendat; sed eâdem suæ imbecillitatis vsque memor etiam atque etiam circumspiciat, ne qua vitiorum blanditie in fraudem inducatur; ne quam propter illecebram à recta via deerret ad inuia. Ipsa quidem virtus neque tam dura est, neque tam ferrea, vt non aliquid concedat primis motibus. Sed hos prohibet fieri affectus. Hoc homo assequitur maturè malis principiis ob-

obſtando, ſtrenuè luctando, animo ab illo leui motu ad rationem reuocando. Nam ſi ſemel factus fuerit præda affectus, id poſtea nequicquam tentabit; ſiquidem è modico & infirmo, vbi ei quidpiam indulſeris, grandeſcit, valeſcit, furit. Nec item vllus eſt tam paruus affectus qui non idem ſit prauus, ac non ex ſeſe parere poſſit magnum malum. Et verò quid aliud eſſe dicas vitium niſi affectum ab ratione diſcordantem, ipſam, inquam, nequitiam populari intemperantiæ ſimilem, quæ ad prauiſſima quæque erumpit, ſi non in primo germinatu conteritur? Diſtingo tamen affectum ab appetitu, qui appetitus homini ingeneratur, nempe corpori alendo & vegetando. Ad hunc vſum homini à natura datus eximiè probatur, quoad non longiùs euagatur, nec ſe à ratione ſegregem facit; ſed in eius poteſtate manet; eſtque tranquillus & ſedatus. Appetitus, ſiue appetitio eſt motus animi, quo quiſpiam ad aliquid agendum impellitur. Certè is illud quærit quod repertum ratio perficit. Appetitum ſenſus impellit, quomodo primos illos, quos dixi, animi motus. Senſus ſunt à mente. Quippe animæ duo data ſunt ad intelligendum inſtrumenta, vnum ſimplex, quæ eſt mens; alterum, quod à mente eſt, varium, multiplex, ſeſeque multis rationibus prodens. Nimirum iſti ſunt ſenſus. Mentis ac ſenſuum ſubſtantia, etſi quodammodò diſcriminatur, tamen vtriuſque operationes congruunt. Illa iubet; hi obſequuntur. Mentis in homine ſupremus, ſenſuum vbique locus eſt. Senſus eſt quidam motus, impetus, apparitor animæ, & nuntius eorum omnium quæ corpus humanum circùmſtant, qualiacunque ſint. Huic facultati, cui nomen ſenſus, omnia primò, vt in humanæ compaginis veſtibulo, ſeſe offerunt. Homini oſtendunt præſentia, contigua, diſtantia, longinqua. Cuilibet primæ rerum notitiæ è ſenſibus imprimuntur. Nulla enim eſt pars hominis, cui ſenſus, veluti cuſtos additus, non pertinaciter hæreat. Bona & mala corporis ſolus ſenſus efficit. Eſt ergo ſenſus aſſiduus comes naturę, ſiue eſt continuus, & collectus, ſiue diſpertitus, & vbique diffuſus. Vbicunque eſt, & icit & icitur; & quale quantumque ſit id quod miniſterio membrorum cognouit, fideliter animo renuntiat, vt is de ea re iudicet. Ne multa, ſenſus eſt nihil aliud niſi eius

rei quæ sentitur, intellectus. Vt radios diuinitatis sola mens excipit, ita mentis ministeria solus sensus exequitur, nempe in corpore, quod propterea est in ditione sensuum. Vsque eò, vt in rebus corporeis sensus quodammodo sit veritatis priùs index, mox iudex. Quod est in arce aut in vrbe præsidium, hoc ipsum est sensus in corpore. Certè quicquid visum, auditum, tactum est, continuò pellit animum, à quo in perpetua specula sensus videtur esse collocatus. Ideoque originem sensus, illud τὸ ἡγεμονικὸν, cui ducatus datus, Deus in ipsa hominis arce, hoc est in cerebro constituit, vt agat in vicinia rationis, sicuti eius perpetuus excubitor. Sensus enim in hoc à Deo creatus est, vt adstet rationi, eique obediat sicuti dominæ. Siquidem ratio illa est quæ vt principia, rerúmque causas videt, vt earum progressus & antecessiones non ignotat, ita consequentia cernit. At sensus etsi sani & valentes, tamen quod præ ratione sunt hebetes, nequaquam transcendunt naturam rei corporeæ. Exigua & perbreui rerum præteritarum memoria, ac vix vlla futuri prouidentia rationi præsto adsunt vt ministri. Id ministerij quod est homini necessarium, intelligere sanè potes quanti cuiusque intersit vt sit fidele. Hoc vnica ratione assequi homines possunt, si suos sensus ab ratione, tanquam ab summo duce, signum petere, si huius vnius imperio eos sua obsequia submittere, ac vitia potissimùm vitare, & odisse cogent. Vtinam & planè ignorare hanc diritatem possent. Nam cognitioni virtutis nos quidem æquamus ignorantiam vitiorum, quorum in detractione veriùs, quàm in attributione virtutum vera laus consistit. Vt id quod decorum est non fit adiectione rei nimiæ, sed eius detractione, ita solida virtus non est, hac aut illa dote conuestiri, sed vitij squamam ponere. Is cum virtutibus est qui extra vitia est. Et hoc quidem tam præclaro fine sensuum operationes terminantur, si rationi sent obsequentes. Quòd si è castris rationis transfugiunt ad prostibula affectuum, tunc prodito homine dedunt eum in ius ditionémque vitiorum. Nec verò vitia alibi formantur quàm in officina affectuum. Cæterùm tanti est ratio, vt quicquid est in sensuum intelligentia vitij emendare possit. Hoc modo omnis res à sensibus transit ad animum; apud quem è verisimili fit vera, è pro-

probabili cognitiſſima. Hinc palam eſt,& primos motus, & omnes ſenſus ea re eſſe homini inditos vt rationi, ac proinde virtuti militent.

Cap. VIII.

Illorum ſententia confutatur qui quatuor conſtituunt genera virtutum.

His rationibus & artibus virtus & vitium ſeſe hominibus indunt. In quibuſdam illa, in pluribus hoc prævalet. Hinc inde acriter pugnatur. Campus vbi cernitur eſt ipſe homo. Singulis virtutibus attributa ſunt propria in hac militia munera, quibus intentæ ſumma ope nitũtur vt hominem vitio ereptum aſſerant ſibi. Ab ſingulis hiſce muniis ſingulæ virtutes denominantur. Sũmæ rei cura eſt penes cunctas. Nulla nõ eſt quandoque ductrix, & ſignifera, quandoque ſequax. Per vices imperant, per vices parent. Quicquid agunt, ea verò ſeria monitio eſt, omnia inter ipſas eo ordine adminiſtrari de quo dixi. Hinc quoque perſpicuè palam eſt, hanc, vt ita loquar, virtutum Rempublic. ſiue militiam nullius niſi vnius Dei iuſſa moueri; cœleſti ipſarum nutu rem geri, ipſarum eſſe in ſubiecta & circumiecta imperium. Id quod parum intellexiſſe videntur ij qui virtutes quadripartito diuiſerunt. Nam quaſdam dixerunt eſſe politicas ſiue morales, alteras purgatorias, tertias animi iam purgati, quarto loco exemplares. Et primis quidem, ſicuti leui armaturæ, delegarunt primas, vt ſic dicam, excurſiones, quæ nequaquam pertinaciùs inſtent, ſed hoſte laceſſito, ac tentato veriùs quàm preſſo, nunc promoueant gradum, nunc referant. Hiſce veluti præludiis, primiſque tentamentis aiunt agere politicas virtutes aduerſus agmina vitiorum. Vt enim prima hæc ceſſerint, cætera dein fore exiſtimari. Quæ ſententia non eſſet omninò contemnenda, ſi id modò ſpectaret quos quiſque ad virtutem progreſſus fecerit; non ipſam virtutum eſſentiam, quæ per omnia ſui ſimilis & perfecta eſt. Illas, quibus nomen indunt purgatoriis, dicunt

Cap. V.


Etsi virtus est homini congenita, disciplina tamen & exercitatione alitur & augetur. Id ni fit, hominem vitia occupant, & cur.



B I Hospitalius cœpit coniectari nescio quam hæsitationem animi mei. Nec de nihilo. Reuera enim hærebam, id mecum voluens, Quid ita, cùm homini virtutem natura ingeneret vsque eò, vt hoc cœleste donum in vtero matris prope concipi videatur, tamen maxima pars in barathrum vitiorum præceps detur. Apud me enim planè explosa sententia illorum est, qui Deum aiunt distribuere virtutes & vitia veluti in stadio athletis, illas bonæ menti præmia, hæc prauæ naturæ supplicia. Quippe sine virtute nulla natura per se est bona; nulla item sine vitio praua. Tunc ille, Mirum tibi accidit, illud pectus quod semel virtus insederit, vitiorum dolis & machinis expugnari posse. Cui dubitationi tuæ libens occurro. Aioque mihi improbari sententiam illorum qui vitium virtuti tempore, hanc illi dignitate & potentia antistare dicũt. Falsò. Quia nulli mortalium anima inditur sine primordiis virtutis. Sed hæc siue primordia siue semina confestim arerent sine assidua cura & cultura, quarum ope & primum illud semen commutatur germine, & hoc germen radicescit, grandescit, fruticescit, nec vllo vitij superuenientis turbine peruertitur. Vt enim sese virtus nascenti homini inserit, altrinsecus veluti per contrariam affinitatem ingerit se vitiositas, non ianua recepta, sed pseudothyro intromissa, ac sicuti malum nomen per occultos tramites ambulans. Vitiositas est animi impotentia planè diffidens à virtute. A vitiositate sunt singula vitia. Vitium, vitiositatis partus, est labes naturæ humanæ inimica rationi, cuius scopus est, abalienare hominẽ à Deo. Et quidẽ hoc monstrũ omnes perscrutatur humani pectoris latebras, vt his inquinatis, & inde virtute explosa, ibi regnũ possideat, totũq; hominẽ agitet arbitratu suo. Hinc illud dictũ, Eũ q vitia odit, hominẽ odisse; perinde ac si quisquis homo nasci-

tur,

tūr, is in ſinu: atq; adeò in præcordiis geſtet hoc portētū. Hoc modo, virtus, cœleſtis dos, neceſſe habet congredi cū materia praua, illam vt exturbet, ſibique totum hominem vacuefaciat. Hoc itaque deus homini diſtat, quod eius eſt propria bonitas, quæ in prauum flecti nulla ratione poteſt, cùm hominis natura, donec eum ſua mortalitas circundat, facilè adulteretur. Homo ita eſt ad virtutem genitus, vt eàdem ſit proclivis ad vitium. Atque adeò principium virtutis eſt hoc, quemque ſcire ſe eſſe obnoxium vitiis. Vnde vetus illud, Si vis eſſe bonus, puta te eſſe malum. Vſque eò vt virtus melius noſcatur ex comparatione vitij. Adeò vitium nihil aliud eſt quam interpretatio virtutis. Per quæ colligitur vitam hominis eſſe laborioſum certamen euentu dubio. Etſi enim res cernitur inter virtutem & vitium, tamen homo eſt in partibus. Aut à vitio ſtat, aut à virtute. Nam pugnatur in pectore ipſius, de ipſius poſſeſſione perpetua eſt inter vitia virtuteſque concertatio, vtroque ſibi hoc ius vindicante. Vſque eo virtus eſt tota in certamine. Cæterum penes virtutem aut vitium victoria eſt, qualiter ab alterutro homo habetur. Si homo virtuti militat, ea verò eſt vita animæ. Si à vitiis expugnatur, is eſt eiuſdem animæ interitus. Ne ergo mirare virtutem eſſe in perpetuo contubernio laboris & ſudoris, ſemper ſollicitā & experrectam, ſēper eſſe pugnæ paratam, vt quæ ſemper hoſtem in conſpectu. Hoc ipſum celebratiſſimi illi Herculis labores nullo circuitu ſignificant, nimirum, hominem, ſi modò quà virtus monſtrat, incumbit, denique eſſe triumphatorem vitiorum. Enimuero illa omnia monſtra quæ is heros ſuæ fortitudini ſubiecit, nihil aliud ſunt, niſi ipſiſſima intemperantia, impetus inconſulti, ignauia, metus, ſpes inanes, aliaque vitiorum agmina quæ hominem infeſtant. Hoc ipſum docet Iaſon ille celeberrimus, cui vt auferret vellus aureum debellandi fuerunt æripedes tauri & ignivomi, ac gigantum genus terra recens editum trucidandum. Huc quoque pertinet clypeus Achillis, in quo Poëtæ finxerunt eſſe montem præcelſum, aſperum, aſcenſu arduum, cuius in ſummo iugo ſtat virtus vertici palmæ pedibus innixa. Maxima, ſcilicet, hominum pars tanta celſitate deterrita pedem refert in ima. Perpauci multo ſudore,



parique anhelitu iugum euadunt. Hi sunt illi qui ideo sunt cultores disciplinarum, vt tandem euadunt Professores ac possessores virtutum. Quapropter etsi virtus quodammodo homini connascitur, eique diuina quadam sorte contingit, tamen est elaboranda & erudienda, & instruenda. Nec enim propriè est à natura, sed verius à mente & à scientia, a quibus, & cum quibus est ratio formatrix eius. Vtramque ope disciplinæ augeri vsuque exercitatiorem fieri posse dicimus. Habet enim virtus in homine suos auctus, suos progressus, suas ætates. Disciplinā dico, quòd hæc ducit ad cognitionem veri, sine qua nulla virtus est. Disciplina est humanitatis & bonorum morum nutricula. Hinc quicquid in homine nimium est detumescit, & ad sanum modum redigitur. Vsu & exercitatione acquiritur consilium, electio, facultas retinendi, insistendi & immorandi vnis iis quæ sunt à virtute, omnibus aliis posthabitis. Est ergo virtus in numero illorum bonorum, quæ etsi manant à Deo, tamen nequaquam homini conceduntur nisi alicuius interuentu medij. Certè inscitia sit, putare ad consecutionem earum rerum quę minimæ sunt, opus esse adiumentis artis & exercitationis; Rem omnium maximam postulare sine summo labore & cura. Hac via tam aspera tamque senticosa se adiri virtus æquum censet. Ita rerum natura fert, cuius decretis obniti, est dementiæ plena susceptio. At vitium suis illecebris & inani specie falsorum bonorum hominem primùm torpere cogit, mox obbrutescere, eâdem prorsus ratione qua quisquis Medusæ caput aspiceret, lapidescebat. Nec tamen suos vmquam virtus deserit. Ipsis periculis obuiam it animosa. Intellecto discrimine surgit acerrima. Quò durioribus negotiis illiditur, hoc magis roboratur, quò plus confligtatur, hoc magis enitescit. Vitium in primis congressibus ne concutiatur, cedit. Numquam ferit nisi ex abdito, nec se tuetur nisi ictu euanido, nec plus vincit quàm quantum decipit. Postremò sic statuendum, omnium rerum & actiouum quasdam esse turpes, quasdam honestas. Has esse ab virtute, illas à vitio. At cùm virtutes à vitiis capitali odio dissideant, odisse vitium nihil esse aliud, nisi amare virtutem. Nec enim illa meretur dici vir-

tus

tus, cui non est perpetua pugna cum vitiis. Ab vtriusque diuersissimis principiis diuersissimi effectus progignuntur: Certè expulsio vitij operatur admissionem virtutis. Hæc duo nunquam vnà esse, nunquam concorditer agere possunt.

CAP. VI.

Quibus dotibus virtus, quibus item atrocitatibus vitium censeatur.

SI virtuti natales sūt cœlestes, necesse, est omnes virtutes suapte vi leuari in hasce sublimes beatasque sedes, vbi est perpetuus nitor cœlestium luminum, Certè ἀρετὴν Græci, quæ ipsis est virtus, non solùm dici volunt παρὰ τὴν αἵρεσιν ab eligendo, verùm etiam παρὰ τὸ αἴρεσθαι, quia semper erigit se in sublime, & sola cœlestia suspicit & sectatur. At vitia constat esse diros fœtus infernorum monstrorum, quæ vbique tacitè serpunt, ac subdolo reptatu prodeunt è locis perpetuo nigrore cæcatis, quibus primùm Dei iussu conclusa fuerant. Scitè ergo Græci κακίαν vitium dici volunt ἀπὸ τοῦ κατωκεχωρηκέναι, quòd in inferiora recessit; & quòd vitiis contacti, sicuti intolerabili pondere pressi, vel ingratiis deorsum cadunt. Hoc signarunt illi Poëtæ qui Martem, sicuti malorum autorem, à Pallade veluti à diuina potentia, in terram deiectum fingunt; hoc est, altissimo loco deturbatum, & compactum in vltimos barathri recessus. Ibi pedibus calcari, omnique iniuriæ & contumeliæ obnoxium esse. Nulli item vitio non est facies multiplex & terribilis. Hæc si aspicerentur, vtique maximis humanum genus terroribus agitarent. Ergo non mirum si se transformant si se fallacissimè venditant, & quidem assumpta specie virtutum, quò sensibus humanis faciliùs illudant. Certè hominibus, vt per hostilem ambulantibus, omnia pat esse suspecta, eoque magis quòd nullum vitium non stat in confinio contrariæ sibi virtutis. Hinc sese proximis & securioribus obtrudit pro virtute. Prorsus hoc est ingenio vitium, vt vix vnquam se cuiquam offerat

nisi sub qualicunque specie virtutis, etsi huius ne vllum quidem lineamentum habet. In hoc quoque virtuti est planè dissimile, quod hæc à nemine quicquam mutuo sumit, nedum ab aduersario suo, se contenta. At vitium occasionum nullam prætermittit, quibus humanis oculis illudat. Quocunque artificio potest humana ingenia sic demulcet, vt demulcendo corrumpat. Incautiori adolescenti ex insperato obuiam pulchritudinem offert, ab qua aspici & quam aspicere iuuet. Auaro lucrum, cupido honorem, guloni epulas obiicit. Omnium animos qua re maximè capi possunt, pertentat. Quid? hi sunt vitiorum astus, hæ fallaciæ, vt a luciosis ac lippientibus accipiantur pro ipsis virtutibus, pro argumentis viuidæ indolis, pro documentis alicuius extraordinariæ felicitatis. Annon vitia sua quamplurimi norunt, iis tamen vsque oblectantur, ea edictant & ostentant nulla verecundia, virtutes, si quas habent, dissimulant? Nihil quidem in aula frequentius, nihil in magnis vrbibus vulgatius, quarum muri quo aspiciuntur eminentiores, hoc ibi virtutes constat esse depressiores. Virtutis propria nota est, vt vel apud ipsa vitij mancipia vix vnquam non sit gratiosa. Id quod intellexerunt illi, qui ingeniosè repererunt ἀρετὴν dici à verbo ἐρῶ amo, tanquam ipsa sit ἐρατὴ amabilis. At vitia ipsis sui sectatoribus nunquam non multum concient molestiæ & nauseæ. Eáque re, si verum fateri volunt, quæ ipsi in propatulo amplexantur, hæc ipsis in secreto suo sunt vituperabilia. Et verò vitium nominatur à vituperio, aut certè à vitio vituperium. Virtus ambulat ante omnium ora, in medio foro, mero meridie. Vitium amat latere inter obscœna inuolucra simulationis ac dissimulationis caligine septum, tenebris amicum, perpetua cæcitate damnatum. Virtutes vt sunt simplices, ita sunt pauciores, & vna quod aiunt forma percussæ, qua nemo decipi potest, eâdem prope ratione qua bona valetudo in homine est simplex, vniusque generis. At vitij sunt innumerabilia spectra, quorum intuitu homo mille erroribus implicatur. Virtus ergo consistit in paucis. Vitium, cùm sit ipsa confusio, quotidie multiplicatur. Hoc illud est quod Pythagorei dixerunt, Malum esse rem infinitam, bonum suis finibus circumscribi. Virtus est optimæ cuiusque rei pedamentum. Vitij prauitas semper

est

est in lubrico, aut in margine loci pręcipitis. Virtus est pulchritudo animi. Vitium est totius hominis teterrima labes, prorsus informe monstrum, in quo ima, media, summa pariter detesteris. Virtus est animo satelles, vitium tortor & carnifex. Nulla virtus nō denique de omni vitio triumphat. Omnia vitia conglobata ne de vmbra quidem virtutis. Quanta est inter omnes virtutes concordia, tantum tamque funestum inter omnia vitia dissidium est. Virtus solo aspectu homines fouet, vitia diro intuitu, & virulentis blandimentis, & afflatu pestilente, & leui contactu nocent. Quem virtus propugnandum suscepit, is magis est inuulnerabilis quàm ij qui rutam aduersus cicutam ederint, aut sese Promethei & Medeæ pharmaco munierint. Vitium vel ignauissimi cuiusque ictibus vndequaque patet. Virtus inter superflua & egestatem media est, nullo excessu, nullo defectu. Vitium consistit in alterutro. Atque adeò vitium, etsi nauigat plenis, quod aiunt, velis, semper eget, sempérque hiat ad aliena. Se vna virtus tuetur. Ad vitium protegendum omnium malarum artium concursum fieri oportet. Virtus quamlibet infelix omnia præmia reperit in se vna, potissimum magnificos veræ gloriæ titulos, qui ei quacunque incedit, præferuntur. Vitium quamlibet sua stoliditate ferox, vbicumque delitescit, comitantur sua supplicia, obscœna imprimis insignia infamiæ suæ, dirumque aliorum vitiorum agmen. Vt virtuti omnia præclara & laudabilia sponte militant, ita vitio quicquid vspiam pessimum ac deterrimum est fœdè ancillatur. Virtus ita pugnat, vt denique lethaliter feriat. Vitium suæ sibi torpedinis conscium vna, & quidem trepida manu pugnat, altera palpat. Vt hoc tanto certamine nullum est periculosius, ita victoria virtutis nulla est illustrior. Victrix virtus hoc assequitur, vt præter totum hominem, quem vindicat sibi, non vnum aut alterum vitium profliget, sed vt omnia pariter prosternat, penitúsque tollat. Nec enim virtus id modò spectat, vt vitia leniat, mitiget, excuset, intermittat, differat, sed vt, quantum licet humanæ sorti vna ipsa fultæ, prorsus aboleat. Probè enim intelligit, vel illa ipsa quæ videntur esse parua vitia in magnis deprehensa viris non esse labeculas, sed magnas maculas, magnísque

virtutibus obesse; & è parui vitij reliquiis surgere magna dedecora, quæ iis, in quibus deprehenduntur, aliquantam partem gloriæ demunt. Talis fuit in Alcibiade intemperantia, in Cimone ebrietas, in Scipione somnus, in aliis libidines. Absit vt vlla virtus putet se tutò posse cõsistere in aliqua mediocritate vitiorum, quorum ipsa est fatalis extinctio. Ne plura, virtus sua magnitudine, suóque potentissimo numine illa omnia elidit, quæ homini ad cœlestia aditum occludunt. Vna animum statuit in tranquillo, vna ita hominem beat, vt, quicquid est sub tegmine cœli hominis faciat.

CAP. VII

Vt virtus rationi adhæret, sic vitium affectibus. De his, & sensibus quædam.

VT virtus est vis & effectus rationis, ita humani affectus, si non compescuntur, sunt ipsæ introductiones vitiorum. Ratio est præclarus motus ingenij illustrati radio mentis, hoc est, diuini spiritus, qui homini inditus naturam cõfigurat & rectam & perfectã. Vsque eò perfectam, vt ad hanc vnicam regulã totã vitam exæquari æquum sit. Hac sola dote homo cæteris animantibus præstat. Hæc est hominis propria possessio haud minùs quàm sermo. Quippe vnius rationis munus est affectus concidere, ac proinde cupiditatem domitare. Sine hac luce omne vitæ curriculum est fallax. Ergo ratio est diuinus character homini impressus, is quo humana excellentia discriminatur à bestia. In ratione, & ab ratione, vt dixi, virtus est. Atque adeò virtus nihil aliud est quàm vsus & officium rationis, quod primùm sibi quisque, mox alij præstat. Si mauis, virtus est ratio se freta, & progrediens in actiones, easque gubernans. Ratio & virtus ita cohærent, vt diuelli nequeant, vtraque tunc maximè pollet, cùm prior illa imperat ei hominis parti quæ est rationis expers. Vtraque sic implicita & vniter agens poste-

rioris

rioris appellatione censetur, virtusque nuncupatur. Verum vtriq; affectus obstrepunt, & vtriusq; munia conturbant. Affectibus vitia sese applicant; hos trahunt in suas partes, vt hinc aucti humano domicilio rationem & virtutem exturbent, Affectus sunt à motibus. Motus, qui Græcis est προπάθεια, est primus & improuisus ictus, siue impetus quo homo perstringitur sicuti ab inexpectata vi fulguris. Huic ictui natura humana sic patet, vt à nemine mortaliũ præuideri aut vitari possit. Primi hi motus nec per se bonis annumerantur, nec malis, sed vtrumque fieri possunt. Si nascentes refutantur, vt nec vllius boni, ita ne cuiusquam quidem mali causa sunt. Si non quidem exterminantur, sed sic fouentur, vt rationi obtemperent, tunc vtiliter dicũtur prouenire; tunc exsuscitant animum ad præclara. Certè videtur natura has homini commotiones ingenerasse, vt posset capere virtutem, quo modo emota terra culturam. Si, dum adolescunt ac præualent, discedunt à præscripto rationis, si sensim tument & efferantur, confestim è primo illo naturali motu fiunt affectus, qui ad hominis perniciem conualescunt. Certè vitium nihil aliud est quàm affectus, hoc est vehementior animi perturbatio. Ea certè est omnium vitiorum, omniumq; prauitatum scaturigo. Affectus ergo siue affectiones sunt motus acriores, hoc est, animi perturbationes, ipsissimæ vitiorum matrices. Vt enim ratio & virtus æqua suadent & moderata, ita affectibus nihil est nec immoderatius nec iniquius. Quatenus hominem ratio regit, is est viuum exemplar Dei. Statim vt trahitur ab affectibus, eo momento in ipso obliteratur omnis similitudo diuini numinis, nec vlla re censetur quã illa quæ est ipsi promiscua cum brutis. Ergo vbi ratio primos animi motus dirigit ad normã virtutis, ibi affectibus omne iter ad hominem vitiandũ occluditur. Si è motibus fiunt affectus, exclusa ratione, vitiũ dominatur. Quę cũ ita sint, planè virtus nihil aliud est quã vacuitas ab affectibus. Vt virtus nõ est inimica primis motibus, quãdoquidẽ sunt à natura, ita prorsus auersatur affectus; hos coercet, ne erũpant. Nam vbi semel eruperunt, ex ipsis existunt vitia; è vitiorum concretis sordibus crimina. Nos dicimus tot esse affectus quot cupiditates, quarum tamen ratio triplex est,

ira,cupido,libido. Quæ ſunt illæ tres furiæ Poëtarum carminibus tantopere celebratæ. Cæterùm nullam quoque nos affectuum mediocritatem ſiue moderationem agnoſcimus. Cùm enim nullus affectus ſit abſque defectu aut exceſſu, vbicunque vtrumque, aut etiam alterutrum eſt, ibi virtuti nullus locus eſt, quæ tota ſiue medietas, ſiue mediocritas eſt. Hinc eſt quod ij numeri, quos Arithmetici vocant perfectos, quòd in ſingula diuidi poſſunt, ſumuntur pro ſymbolo virtutis. At ampliores perfectis, qui plus in partibus ſuis, quàm in ſe ipſis habent; item imperfecti, in quorum partibus minùs quàm in ipſis eſt, ſunt veri typi vitiorum. Virtutis teſſera, quòd vbique habet comparem rationem æqualitatis, ſemper eſt perfecta; Vitiorum inæqualis & imperfecta. Nam vitia aut exſuperant aut deficiunt, aut antecūedt aut antecedūtur. Adde quod affectus in anima hoc ſunt quod corrupti humores in corpore. Et qui exiſtimarunt affectus veriùs eſſe animi morbos quàm vitia, rem per ſe indiſtinctam ſcrupuloſiùs quàm veriùs diſtinxerūt, nec aduerterunt, animi morbum eſſe ipſiſſimum vitium; ac vice verſa vitium nihil aliud eſſe quàm animi morbum, & quidem perpetuum, ſi eſt vt ſit inſanabilis. Vnà cum morbo obliteratur vitium, & in eius locum virtus ſubſtituitur. Ergo aliud eſt moueri, aliud affici. Moueri eſt ad oblatam quamcumque ſpeciem excitari. Affici eſt laxare fræuos cupiditati; effuſéque qua hæc aut monſtrat, aut præit, ſequi. Dura, inquis, atque ardua res eſt ſic affectus excutere, vt non aliquam ſui notam in homine relinquant, vel in illo ipſo, cui datum eſt vt ſapientiæ theſauros poſſideat. Certè eorum matrices quiſque geſtat in præcordiis. Nam profuſum & inſoleſcens gaudium formatur in ſplene; vt libido in iecore, ac timor in corde, & ira in pectore. Quapropter homini conceditur, vt, donec premitur pondere carnis, homo ſit, hoc eſt, vt ad virtutem pleno quidem gradu contendat; ſed eâdem ſuæ imbecillitatis vſque memor etiam atque etiam circumſpiciat, ne qua vitiorum blanditie in fraudem inducatur; ne quam propter illecebram à recta via deerret ad inuia. Ipſa quidem virtus neque tam dura eſt, neque tam ferrea, vt non aliquid concedat primis motibus. Sed hos prohibet fieri affectus. Hoc homo aſſequitur maturè malis principiis ob-

obſtando, ſtrenuè luctando, animo ab illo leui motu ad rationem reuocando. Nam ſi ſemel factus fuerit præda affectus, id poſtea nequicquam tentabit; ſiquidem è modico & infirmo, vbi ei quidpiam indulſeris, grandeſcit, valeſcit, furit. Nec item vllus eſt tam paruus affectus qui non idem ſit prauus, ac non ex ſeſe parere poſſit magnum malum. Et verò quid aliud eſſe dicas vitium niſi affectum ab ratione diſcordantem, ipſam, inquam, nequitiam populari intemperantiæ ſimilem, quæ ad prauiſſima quæque erumpit, ſi non in primo germinatu conteritur? Diſtingo tamen affectum ab appetitu, qui appetitus homini ingeneratur, nempe corpori alendo & vegetando. Ad hunc vſum homini à natura datus eximiè probatur, quoad non longiùs euagatur, nec ſe à ratione ſegregem facit; ſed in eius poteſtate manet; eſtque tranquillus & ſedatus. Appetitus, ſiue appetitio eſt motus animi, quo quiſpiam ad aliquid agendum impellitur. Certè is illud quærit quod repertum ratio perficit. Appetitum ſenſus impellit, quomodo primos illos, quos dixi, animi motus. Senſus ſunt à mente. Quippe animæ duo data ſunt ad intelligendum inſtrumenta, vnum ſimplex, quæ eſt mens; alterum, quod à mente eſt, varium, multiplex, ſeſeque multis rationibus prodens. Nimirum iſti ſunt ſenſus. Mentis ac ſenſuum ſubſtantia, etſi quodammodò diſcriminatur, tamen vtriuſque operationes congruunt. Illa iubet; hi obſequuntur. Mentis in homine ſupremus, ſenſuum vbique locus eſt. Senſus eſt quidam motus, impetus, apparitor animæ, & nuntius eorum omnium quæ corpus humanum circùmſtant, qualiacunque ſint. Huic facultati, cui nomen ſenſus, omnia primò, vt in humanæ compaginis veſtibulo, ſeſe offerunt. Homini oſtendunt præſentia, contigua, diſtantia, longinqua. Cuilibet primæ rerum notitiæ è ſenſibus imprimuntur. Nulla enim eſt pars hominis, cui ſenſus, veluti cuſtos additus, non pertinaciter hæreat. Bona & mala corporis ſolus ſenſus efficit. Eſt ergo ſenſus aſſiduus comes naturę, ſiue eſt continuus, & collectus, ſiue diſpertitus, & vbique diffuſus. Vbicunque eſt, & icit & icitur; & quale quantumque ſit id quod miniſterio membrorum cognouit, fideliter animo renuntiat, vt is de ea re iudicet. Ne multa, ſenſus eſt nihil aliud niſi eius

probabili cognitiſſima. Hinc palam eſt,& primos motus, & omnes ſenſus ea re eſſe homini inditos vt rationi, ac proinde virtuti militent.

CAP. VIII.

Illorum ſententia confutatur qui quatuor conſtituunt genera virtutum.

HIs rationibus & artibus virtus & vitium ſeſe hominibus indunt. In quibuſdam illa, in pluribus hoc præualet. Hinc inde acriter pugnatur. Campus vbi cernitur eſt ipſe homo. Singulis virtutibus attributa ſunt propria in hac militia munera,quibus intentæ ſumma ope nitũtur vt hominem vitio ereptum aſſerant ſibi.Ab ſingulis hiſce muniis ſingulæ virtutes denominantur. Sũmæ rei cura eſt penes cunctas. Nulla nõ eſt quandoque ductrix,& ſignifera, quandoque ſequax. Per vices imperant, per vices parent. Quicquid agunt, ea verò ſeria monitio eſt, omnia inter ipſas eo ordine adminiſtrari de quo dixi.Hinc quoque perſpicuè palam eſt,hanc,vt ita loquar,virtutum Rempublic. ſiue militiam nullius niſi vnius Dei iuſſa morari; cœleſti ipſarum nutu rem geri,ipſarum eſſe in ſubiecta & circumiecta imperium. Id quod parum intellexiſſe videntur ij qui virtutes quadripartito diuiſerunt. Nam quaſdam dixerunt eſſe politicas ſiue morales, alteras purgatorias,tertias animi iam purgati,quarto loco exemplares. Et primis quidem, ſicuti leui armaturæ, delegarunt primas, vt ſic dicam, excurſiones, quæ nequaquam pertinaciùs inſtent, ſed hoſte laceſſito, ac tentato veriùs quàm preſſo, nunc promoueant gradum, nunc referant. Hiſce veluti præludiis, primiſque tentamentis aiunt agere politicas virtutes aduerſus agmina vitiorum. Vt enim prima hæc ceſſerint, cætera dein fore exiſtimari. Quæ ſententia non eſſet omninò contemnenda, ſi id modò ſpectaret quos quiſque ad virtutem progreſſus fecerit, non ipſam virtutum eſſentiam, quæ per omnia ſui ſimilis & perfecta eſt. Illas, quibus nomen indunt purgatoriis, dicunt

pressius instare animo, ciúsque sordes defricare. Has ipsas in animo purgato luculentius aspici, quæ est tertia species; ac denique fieri exemplares, quæ sunt quarti generis virtutes. Id quod vtinam tam verè diceretur quam speciosè. Quotus enim quisque, dum sua mortalitate inuoluitur, in hoc tam excelso gradu consistit? Quis hanc perfectionem, (nam hæc quidem perfectio est) se consecutum gloriari audeat? Certè talem nulla ætas vidit; ne illo quidem excepto, qui Delphico oraculo sapientissimus est iudicatus. Hæc est vnius prærogatiua cœli, vt nihil admittat non ab omni impuritate defæcatum. Hoc indicarunt illi qui Herculem exhibuerunt purgatum; Sed tunc demum cùm inibi esset vt exciperetur astris. Nimirum hoc modo purgari nihil aliud est, quàm mortalitatem exuendo renouari: & quidem multò meliori conditione quàm Æson ille Thessalicus, bis é sene factus est iuuenis. Vt sanè laudentur, vix vnquam perficiuntur vota illorum qui id agunt vt purgentur. Nec aliud opinor, hoc purgamentum spectat, nisi vt isti purgati, posthabita rerum cura, sese, vt somniant, solis diuinis inserant, absque vlla alia re purgatrice, quæ peccatis infectos expiet. Has potiùs dicimus esse otiosorum virtutes, id est, eorum qui remouent se à negotiis: ac derelicta societate, vitam soliuagam, ieiunam, mutilam amplectuntur. Qui tamen hac sua persuasione interim fruuntur, vt sint ipsi perfecti. Qui est superciliosi cuiusque pompaticus error, index multæ inanitatis. Nec desunt qui politicas virtutes distinguunt à sacerdotalibus. Quàm rectè, ipsi viderint. Enimuero vt excellentia sacerdotalis, ipsaque adeò Ecclesia est in Repub. ita sacerdotales virtutes earum appellatione contineri dicimus, quarum ope Respublica stat; siquidem vtrisque animus pariter instruitur, illis vt pietate imbuatur, istis vt nullum vitæ officium prætermittat. In hoc quidem hominem fatemur esse editum vt Deum contempletur in operibus suis. Sed hæc siue meditatio, siue contemplatio, si non sibi comites adiungit eas actiones, quibus & pietatis simul & ciuilitatis munia continentur, est inanis ingenij inane opus. Atque adeò magnus nugator is est, quem hæc meditatio auertit ab eorum officiorum præsta-
tione,

tione, quorum homini homo debitor est. Frustra se in sacerdotalibus virtutibus iactat is, quem non istæ circumstant quæ in communi vsu, vitaque versantur. Nec illa est pietas quæ aut negligit aut soluit commercia, quæ sunt vincula humanæ societatis. Ea re Philosophorum summi ita probarunt eam vitam quæ est contemplationi dedita, vt ei adderent actuosam. Nequicquam illa docet, si hæc non discit, frustra illa præit hac non sequente. Cæterum nullus animus ab omni terrena aspergine ita pressus, neque detersus est, vt non apud ipsum quidpiam subsiderit fæculenti. Puritas animi est decus illorum, quos, exutis terrestribus membris, virtus induxit in hæc templa. Hinc quoque intelligis, eas virtutes quas vocant exemplares, non alibi quam in his locis elegisse sedes suas. Nec item esse alias, quàm illas ipsas, quarum hic aspicis præsentia numina. Quapropter magnifica hæc siue professio, siue ostentatio virtutis suis autoribus demandetur. Neque quisquam comminiscatur formas aut gradus earum virtutum, quæ vt vspiam existant, certè in nullo mortali corpore conspici queunt. Nihil Deus exigit ab homine supra vires naturæ suæ. Politicas, hoc est, illas, quibus & vitæ communitas, & officia pietatis continentur, humana sors agnoscit & admittit. His & à Deo, & ab hominibus dantur sua præmia. Hoc virtutum genere quisquis destituitur, is nulla sibi, nulla cuiquam officia præstet. Ab huius animo omnis humanitas est extirpata. Nulla earum quæ hic sedent: non huius generis est. Nulla volenti homini non porrigit auxiliares manus His animos imbuite, his operam date; harum estote seduli cultores, siquidem intelligitis, communem vitam his vnis esse contentam. Quisquis harum est alumnus, is iam adeptus est illud quod ipsa virtus exigit ab illo, quem virum bonum dicimus. Qua appellatione hodie pauculi honestantur. Vix enim vllus in tanta colluuione exstat Phocion.

CAP. IX.

Ad nullam virtutem homini aditus patet nisi per vnam veritatem.


T si homini nascenti induuntur semina virtutis, ex iis tamen quæ dicta sunt, palam fit, hominis quoque hic aliquas esse partes, atque haud scio an præcipuas, certè eas sine quibus hæc semina ad nullam frugem perueniant. Hæc est illa, quam dixi cura & cultura, quæ nunquam intermitti debent, siquidem hoc agitur, vt hoc purum sanctumque semen viuescat, germinet, adolescat. Primum huius culturæ instrumentum est veritas. Nec vlla virtus adiri potest nisi per hanc vnam, quæ est ex ipsarum sacratissimo cætu in hoc vnum delecta. Quam ideo viri multiscij vsque eò magnificarunt, vt eam vocauerint matrem virtutis, omnium virtutum, certissimam & perfectissimam, atque adeo summum bonum. Quibus dictis nihil est exploratius earum rerum respectu, quæ in humana conditione sunt incertæ, dubiæ, fluctuantes. In terris quidem nihil vnquam certo loco consistit. Illa quæ dicitis esse, mox erit cum effluent Quæ haud dudum sub oculis erant, quæ tenebantur, euanuerunt, nec sunt. Omnia humanæ menti illudunt. Hoc docebant quatuor illæ auiculæ, quibus nomen motacillis, quæ apud Babylonios pendebant ex ea testudine, ex qua rex ius dicere sueuerat Nihil subter hæc loca est quod non homines vt ludibrium verset extra vnam veritatem. Hæc sola habet suum modum, sola in eodem statu manet, vndecunque stabilis & firma, nulli incremento, nulli decremento obnoxia. Huius notio est munus, & arcanum summi numinis. Veritas est animi habitus integer & inde-flexus, diuino lumine accensus, & omnia sciens, qui sese per sermonem, gestus, actiones semper & vbique prodit. Vnius veritatis est affirmare, huius negare Hæc apud probissimi cuiusque aures est omnium suauissima auditio: Hæc item vna præit omnibus illis, quibus est animus per labyrintheos rerum humanarũ flexus rectà euadere ad cæteras virtutes. Hæc illa est quæ humanam dignitatem, sicuti

cuti eius verus character, asserit. Hæc ita à Deo homini concessa est, vt homo ad vnam veritatem natus sit. Hoc est vnum animæ, hoc vnum menti pabulum. Res humanas non solùm iactatione, siue ostentatione, sed & simulatione ac dissimulatione, vt ventis furentibus vehemēter agitari constat. Atqui vtræque sunt mendaces, illæ augendo, hæ minuendo. De vtrisque veritas triumphat. Veritati nulla res præscribit, non spacia temporis, non patrocinia personarum, non priuilegia regionum. Hæc sensus hebetatos restituit, fallaces dirigit, errones reducit in viam. Rebus deterit omnes fucos, omnia mendacia reuincit, omnes errores frangit vi sua. Quoties ipsa sese exhibet, non inania, sed ipsam rem exibet. Etiam hostes veritatis veritatem agnoscunt, quoties se in eius sententiam conclusos sentiunt. Hæc est scientiæ vnica regula. Siquidem solidè sciri nihil potest nisi id vnum quod verum est, Enimuero eo reiecto quod falsum est, ac ductu & ope eius quod verum est, patente via itur ad id quod summum bonum est. Ergo sola constitutione veri omnis humanæ vitæ dignitas continetur. Quisquis veritate fretus est, hunc nulla vis deficere, nulla fraus illicere, nulla perturbatio mente dimouere potest. Vsque eò veritas est omniū rerum firmitas, & omnis propositi solidamentum. Ante huius conspectum nulla vanitas, nullus tumor consistere potest. Nulli virtutum plus debet humana conditio. Quis fortitudinem à temeritate, constantiam à pertinacitate, liberalitatem à profusione, amicitiam ab adulatione, parsimoniam separet à sordibus? quis non peruersè omnia inspiciat, non adhibito specillo veritatis? Ecquis est tanta audacia, qui sine lumine ac ductu huius virtutis, hoc illud e sibi compertum firmet? Nimirum veritas tota versatur in perspiciendo, quid sit in quauis re solidum, quid syncerum; quænam sint rerum causæ, principia, progressus. Vt illa omnia in quæ dimensio cadit, non nisi mensura comprehenduntur, ita quicquid immissu Dei animum illuminat, erudit, instruit, veritas definit ac circumscribit. Quod in venalibus est numerus, pondus, mensura, hoc ipsum est in vniuerso veritas. Hæc potissimum ludibria & enormitates vitiorum discriminat ab iis effectibus qui sunt virtutum proprij. Hæc falsas opiniones discutit; dubias ad suam

cotem explorat. Vt obscura hæc vna illuminat, ita luminosa talia esse pronuntiat. Hinc priscum illud, Sol est veritas,& è conuerso, veritas est sol, id est, is qui occulta reuelat,& perspicua asserit. Cæterùm ipsa nihil externum aut inductum admittit; vna se nititur, nullo numine minor, omni sydere pulchrior, omni adamante fortior. Opitulare hominibus ô sanctissima virtus sine qua humanum genus in altissima aliarum virtutum ignoratione versetur. Annon meritò dicimus, hanc esse quę cæteras virtutes aperit? Vtinam hodie ex eo liceret potare fonte veritatis, qui apud Brachmanas dictus est esse peculiaris; quem nunquam gustarunt ij, quos falsæ opiniones inebriant; quos cum antiquissimo theologo meritò appelles adulteros veritatis, cuius tamen cuneo ipsorum errores extruduntur.

Cap. x.

Veritatis præcipuæ comites ac ministræ memorantur.

IPsa quidem veritas etsi nunquam discedit à latere iustitiæ, pietatis & fidei, tamen pone se & proximas habet virtutes eas quibus nomen synceritas, simplicitas, libertas. Quibus adstant quædam aliæ non propriè virtutes, sed perpetuæ virtutum comites, sectatrices, ac ministræ, quæ hoc sunt virtuti quod corpori validi artus. Hæ sunt rerum scientia, docilitas, memoria, iuramentum siue iusiurandum, denique & ipsum tempus. Synceritas & simplicitas (tanta cæcitas homines occupauit) hoc quidem sæculo ferè ignorantur in terris, atque adeò ridentur, sicuti rusticitati ac stoliditati affines; cùm tamen ferè sint aliud nihil nisi ipsa generositas, prorsus spectatu dignissimæ virtutes. Nempe hæ illæ sunt quæ mentem ab omni labe defœcatam, & in sua perfectione constitutam probant. Hinc manant in cogitationes, quas vt castitati mandent, piant. A cogitationibus transeunt ad gestus, quos reddunt ingenuos; postremò in verba, quæ vt sint syncera, ab his remouent omnem ambiguitatem, & quidquid perplexum est & obscurū. Denique, fraude ac dolo longè ablegatis, omnes humanas actio-

actiones condecorant. Syncerita is & simplicitatis aperta & candida pectora bonitas eligit sibi domicilia vt pura & purgata, ac prorsus se digna. Nec virtutibus tam lucidis vnquam necesse est simulare aut dissimulare, suísque moribus nubem obtendere, cùm nihil agant in occulto, ac non meridiana luce dignum. Hinc illud ipsarum eminens ac nobile decus, illi affine quod est prudentiæ congenitum; cùm ipsæ ea quæ sunt, futuráue sunt candidè semper eloquantur. Ergo planè ignorant versurias, planè nesciunt artificium simulationis, nullo vtuntur frontis integumento. Qua re mirificè gloriatur Achilles ille Euripidæus cùm ait, se à sapientissimo Chirone eductum didicisse mores simplices, nihil scilicet, nec simulatum nec infuscatum, non in rebus, non in verbis. Veritas enim scapham scapham dicit. Istis proxima est libertas, quæ cardinem veritati vsque eò facit, vt sine ipsa nulla sit veritas. Libertatem aiunt esse ἡγεμονίαν, ducatum nempe vitæ, & αὐτοκράτειαν ἐν παντὶ, plenam in omni re potestatem, ac liberum arbitrium id agendi quod quisque velit. Vsque eo homo liber semper & vbique sui iuris est. Sed, quod aduertendum, is quoque nihil neque agitat, neque tractat, nisi id quod se dignum est. Quippe vera libertas illa demum est, cum affectus reguntur ab ratione; cùm ab hac ipsa cupiditates compescuntur. Libertas item nihil infestum, quamlibet magna vi ingruens, formidat. Quin suo generoso spiritu omnia sibi cedere cogit. Illam ipsam, quæ sibi omnia subdit, necessitatem animosa domitat. Simulationis nescia, fortitudinis socia obstantia amouet, aduersa prosternit. Animo ita obsequitur, vt corpus, & quicquid eò pertinet, suæ potestatis faciat. Corpora nostra, inquierunt Alexandro Indi illi Philosophi, captiua quocunque libuerit, tu quidem trahes. Sed animis nostris ecquam tu vim afferre potes, qui ignis cruciatum, nullo cogente, intrepidi subimus? Tantum est in libertate roboris, vt eam nulla res vrgeat, nulla vexet. Hæc ipsa est iniusti dominatus impatiens, omnisque seruitutis intolerans; vsque eò magnanima, vt nullam pro se contentionem recuset. Vt ex hominibus ille interdũ obsequatur consanguinitati, alius amico potentiori, officio, moribus, alienæ existimationi; vna libertas se vnam intuetur, se vnam veretur,

ſibi vni eſt morigera. Ipſa eſt ſibi theatrum, ipſa ſibi decus pulcherrimum. Hæc omnia præ ſe minoris æſtimat. Et verò, quod mirum dictu, quo magis emineat, in mancipato corpore ſæpe habitare amat. Certè Spartana mulier venundata interroganti quid ſciret, Libera, inquit, eſſe. Meritoque illud venerat in conſuetudinem prouerbij, Sparta liberior. Diogenes Xeniadi emptori ſuo imperaſſe dicitur. Atque adeò interrogatus, Quid eſſet inter homines pulcherrimum, Libertas, inquit. Intonet, furat, arbitratu ſuo tyrannus ſæuiat, libertas nihilominus inter ipſa mortis terriculamenta animum ſubinde vegetat; nunquam aliena venia, ſed ſua firmitate nixa. Scientia eſt ſemen veritatis animo inditum, quod ſtatim vt in homine, ſicut ſemen in humo germinare cœpit, tunc verò dicitur comprehenſio eorum quæ ratio docet; prorſus inter præcipua inſtrumenta veritatis. Scientiæ magnitudo quicquid per ſe certum aut verum eſt, amplectitur. Nec enim in iis verſatur, quæ ſunt incerta, aut fortuito cadunt. Hæc ſui ſectatores nunquam patitur labi turpiter firmantes & magnificantes incognita pro cognitis, falſa pro veris. Cùm enim ſcientia ſit in intellectu, quæ eſt lucidiſſima pars animæ, cui nullus falſi næuus hæret, nihil ſanè aliud eſt quàm cognitio veri. Vt virtus non eſt oratoriè loqui, ſed ſalutariter operari, ita ſcientiæ proprium eſt non fucare hominem aut colorare, ſed eius interiores partes diuinis monitis rigare, animum bene informare, mores ad honeſtatem componere. Sciētiæ perpetua comes it memoria, quæ eſt firma perceptio eorum quæ quiſque didicit; ſiue cella ac theſaurus ſenſuum, eorúmque quæ à ſenſibus ſunt inuenta, bene cognita, animo firmè concepta. Scire eſt rem, à ſtirpe, vt eſt, cognoſcere, memoriæ mandatam in promptu habere, inde eam, vbi neceſſe eſt, promere, ſcientiæ offerre, vt eam ſcientia veritati ſubminiſtrare poſſit. Memoriæ beneficio tempus non ſentit iniuriam ſenectutis & mortalitatis. Hæc vna omnis vitæ vſum, omnéſque artes continet. Scitè illi qui dixerunt, Memoriam erudito eſſe lepidam vxorem; obliuioſo reminiſcentiam eſſe pellicem; vtramque pugnare cum ignorantia. Nam quantum ſcientia hominem inducit in cœleſtia, tantumdem etiam ignorantia detrudit in ima ac tetra loca. Ergo quantum homini decus eſt ſcientia, tanta ei labes

labes est ignorantia. Memoria suppeditat omnes artes, cùm ipsa vix vlla arte comprehendi, aliqua tantum iuuari possit. Omnia humana luctuosus interitus raperet, neque quisquam discenda & cognoscenda disceret, si non homini memoria opitularetur. Et Polymnia ideo dicitur filia memoriæ, vt eius ope & quicquid scitu dignum est sciri possit, atque vt doctorum elucubrationes diuturnitatem consequutæ etiam posteritatem iuuare possint. Vt memoria est quidã siue custos, siue promus omniũ ingenij partium, ita obliuio est quædam earum extinctio. Quantum memoria est Musis amica, tantum est eis inimica obliuio Et quantum non illa solùm, quam dixi, Polymnia, sed & cæteræ Musæ memoriam amplectuntur, tantùm obliuionem auersantur. Id quod Poëtæ docuerunt, cùm finxerunt, nõ solum Polymniam, vt quidam, sed omnes Musas Ioui è Memoria esse susceptas, siue etiam è Minerua. Certè sapiens ille Pythagoras cùm ei Mercurius dixisset, si quid vellet, peteret, omnia se ei præter immortalitatem facilè concessurum, petiisse dicitur, vt viuus & vita functus omnium, quæcunque acciderent, meminisse posset. Tantum hic tantus vir in memoria boni, ac proinde in obliuione mali positum putauit. Qua propter vt scientiæ comes est memoria, ita imperitiæ obliuio. Imperitia, inscitia, inscientia, ignorantia est perturbatio siue defectus rationis, omittens ea quæ rebus cohærent, similia disgregans, dissimilia confundens, ordinata conturbans. Vt scientia ducit ad veritatem, sic imperitia ad mendacium. Imperitiæ proprium est, vt sit arrogans & iniusta, sibi blandiens, aliena superbè fastidiens, hoc vno felix, quòd cùm nihil sciat, nõ est periculum, vt in iis quæ ad scientiam pertinent, aliquid peccet. Cæterum obliuio in mente est id ipsum quod in toto corpore somnus, in singulis membris hebetatio, prorsus memoriæ iniuria. Tantum illa optanda obliuio est cuius interuentu obliterantur præterita mala. Vt enim ad rerum iucundarum memoriam homines libenter cogitationem excitant, ita ea obliuione quæ tristia absorbet, quodammodo leniuntur. Ideoque apud Euripidem Orestes eam vocat venerandam, & afflictis optabilem Deam. Certè hæc Herculi pro summo beneficio tunc data est,

cum is latices potauit Lathij fontis, qui omnem dicuntur abolere malorum memoriam. Absurdorum quoque semper est sapiens & felix obliuio. Nam quicquid absurdè fit, id homini suæ imperitiæ sordes impingit. Certè benè sani id seriò agunt, vt si quid perperam fecerunt voluntaria obliuione obruant. Et quia non tam in potestate cuiusquam est obliuisci quam meminisse; (Certè quisque eorum vel ingratiis meminit quæ nollet, & eorum quæ nollet identidem memoria recurrit.) Themistocles artem obliuionis prętulit arti memorię. Nec semper docendi sunt homines, verum etiam sæpe dedocendi. Nec pauca ingenia sunt, in quibus plura sunt amputanda quàm inserenda. In scientiæ comitatu docilitas est, quam Græci vocarunt εὐμάθειαν, animi vigorem ac promptitudinem ad facilè velocitérque discendum. Et docilis is est, cui aures sunt ad discendum clementes. Hæc est discipulorum ac discentium peculiaris virtus, cùm perspicuitas sit propria dos eius qui docet. Vtraque scientiæ ancillatur. Docilitas in omni ætate laudatur. In ipsis senibus bene discere, inquit Æschylus, semper adolescit. Iuramentum siue iusiurandum est concepta forma verborum, & quidem solennis, qua Deus religiosè aduocatur & interponitur testis eorũ quæ aguntur, ideoque nullis probationum legibus adstricta. Si mauis, iusiurandum est assertio, siue testimonium in ea re, quæ cum esset dubia, eam interueniens inuocatio summi numinis ac nominis definiit. Et prisci iurabant in sacris ædibus, sicuti Deo præsente, & iuraturi accedebant ad aras. Eique iuriiurando tria numina præsidere dicebantur, Iupiter Apollo, Themis. Et Ioui quidem cognomentum fuit iuratori, id est, iuramenti pactorumque præsidi, cuius nomine fides iuramenti sancta esset. Apollo interueniebat, quòd sol, vt supra dixi; est ipsa veritas. Themidem superioribus addebant, quòd iusiurandum est in censu iustitiæ; & quòd homo iustus habet vim iurisiurandi, sicuti periurus est homo contaminatissimus, quia religionem sacramenti, quæ est ipsa fides, soluere dicitur, cum is eam seruet, qui id quod iuramento comprehensum est, præstat. Ergo vt iustitiæ veritas præit, ita veritati iuramentum ministrat. Etsi non defuerunt, apud quos tanta fuit iurisiurandi reuerentia, vt omnino iurare fugerent, quamuis non fal-

falsum iurarent. Quippe viri sapientes malunt veritate quàm religione fidem esse constrictam: vt nō minor sit autoritas in sermone boni viri, quàm in concepta iuramenti formula, aut in ipso oraculo. Non à me iurato plus acceperis, quàm si simpliciter promittam, ait apud Sophoclem Oedipus. Superioribus accedit tempus, quod numeratur inter primores ministros veritatis. Ratio est, quòd quidam è numero sapientum veritatem effinxerunt colore dubio ac vix apparente, nempe intuitu fragilitatis humanæ, non eius solidamenti quod proprium est huius tantæ virtutis. Nec certè veritas inuenitur, quod aiūt, in summa terra, sed altiùs abstrusa in imo fundo inuestiganda est. Quamlibet interdum & non quęsita sese ipsa in medio sistit. Sed vt hoc ratò accidit, ita frequentissimè hæc virtus non nisi cōtinuis laboribus & sudoribus, & accedente aliqua temporis diuturnitate, se suaque adyta adiri patitur. Hinc illud, qualia sint omnia, & quales sint homines, prodi in speculo temporis. Cui simile est illud, veritatem esse filiam temporis, siue, vt Romæ loquebantur, Saturni, id est, moræ ac diuturnitatis, quæ est inimica festinationi & properantiæ. Certè quantum veritas mora inuestigatur, tantùm subitis, turbidis, præcipitibus exploditur. Ergo non prætereunte manu tangi, non in transcursu aspici aut salutari, sed ex abdito vbi latet, laboriosè erui, atque otiosè ac diu, & ad liquidum se explorari æquum censet. Eorum quæ summa sunt & pretiosa nunquam breuis & facilis est inuentio. Arduum hoc ac prope diuinum opus est. Nec absurdè dicitur, veritatem amplecti, & beneficia largiri propemodum æquari operibus summi numinis. Hi sunt oculi, hæ sunt aures & manus veritatis. Hæc sunt illa ministeria quorum opera primatia hæc virtus cæcis impertit illud lumen, cuius vi omnes discutiuntur errorum tenebræ, omnes dubitationis nebulæ euerruntur, quicquid vtile & salutare est eruitur è promiscuo, homines animi rerumque fluctibus erepti statuuntur in vado salutis, eiusque quam optimus quisque voto persequitur, felicitatis.

CAP. XI.

Mendacium est vitium veritati inimicum. Huic vitio militant verisimile, excusatio, adulatio, siue assentatio, præter periurium, fraudem, ignorantiam.

VERITATI mendacium aduersatur. Vt Deus est autor veritatis, ita infernalia portenta, hoc est, luxuria mobilis ingenij, calumnia, inuidia hanc tantam labem effinxerunt. Oris diuini certissima nota est, quod mentiri nescit. Quicquid fatur, id certè aut fuit, aut est, aut futurum est. At mendacium est vox non solùm hominis, verùm etiam improbi, eiúsque qui alium decipit, dum quicquid loquitur id totum mentitur. Mentiri non solùm est dicere mendacium; Quippe est ipse vir bonus, alioqui parum cautus, quòd interdum falsum opinatur, eâdem loquitur mendacium, nempe nesciens. Hæc dictio refertur ad mentem loquentis. Nec enim aliter lingua est mendax, nisi priùs mens sit fallax. Atque adeò mentiri est, scientem & volentem rem falsam obtrudere pro vera, ad hoc, vt in fraudem illiciatur is, cui ea res dicitur. Nam mendacij hæc est natura, vt veritatem interuertat; quomodo veritatis proprium est, mendacium acriter confutare. Vt veritas est lumen diuinum quod rebus introspiciendis & cognoscendis admouetur, ita mendacij præcipuum opus est liquida obscurare. Mendacis typus est noctua. Vt hæc est lucifuga, ita ille est osor veritatis. Veritati pudor it comes; mendacio impudentia. Veritas est indubitabile argumentum animi sedati; Mendacium est minister animi cupidi & inquietis. Veritas & iustitia sunt implexæ; Mendacium & iniustitia quòd promiscuis radicibus nituntur, separari nequeunt. Veritas est omnibus rebus summum decus, firmumque præsidium. Mendacium vbicunque est, ei rei certa pernicies adest. Illud semper mendacium excipio, quod & nocet nemini, & alicui prodest. Nimirum interdum accidit vt veritas non loco prompta; sed inconsideratè prolata alicui

alicui malum det; mendacium opportunè dictum salutare sit. Tali re si non laudatur mendacium, at mendacium loquenti mansuetè ignoscitur. Etsi enim mendacium per se nunquam non turpe est, tamen aliquando necessitate fit vtile. Huiusmodi est illud, Non est periurium periurio seruare suos. Huc pertinent mendacia militaria si sunt felicia, hoc est à probis magnisque viris feliciter vsurpata; si ea apparet esse in nullius damnum, in alicuius salutem potentia. His quidem annumerant illa quæ ludi iocique gratia dicuntur, quæ ipsi vocant faceta mendacia. Verùm seuerioris notæ hominibus, qualis fuit Epaminondas, & ioco mentiri magna religio fuit. Enimuero vt humanæ dignitatis propria est veritas, ita turpissima homini nota mendacium est. In quo hæc aduertitur, eum audacter dicito esse hominem nequam. Ergo in totum mendacio abstinendum. Ille apud Lucilium putat se aliquid dicere in hoc versu, Homini amico & familiari non est mentiri meum. Nos dicimus, nec ignoto, ac ne inimico quidem quicquam mendacij loquendum. Mendacium quandoque dicitur apertè & nulla circuitione, cùm id quod reuera est, non esse, aut quoties id quod non est esse dicitur. Sæpius concinnatur accersito fuco, & inductis fallaciis. Et hoc quidem artificio res, vt est, narratur, sed adiectione aut ademptione earum circumstantiarum & argumentorum, quæ cũctam rei speciem commutant. Quod sanè est quæsitius & operosius mendacium. Monstrum quod se transformat in plurimas facies, quæ non se aperiũt nisi in occasione subruendi hunc aut illum. Nec verò sola lingua mendacium circumfert. Sæpissimè mendaces sunt oculi, gestus, color, vultus, habitus, mores. E malis artibus nulla prorsus est quæ non aliquam mendacio operam præbeat ad illa patranda quæ suscepit. Mendacium frequenter adhibet ea quæ dicuntur verisimilia. Hæc illa sunt quæ aliquam veri speciem secum afferunt, etsi sunt inimica vero. Hæc oculos, quamlibet acres & acutos, effascinant, & ipso vero sunt placentiora. Veritas rem quamlibet signat suo nomine; Virtutem, vbicunque est, non solùm monstrat, sed suis laudibus adornat, vitium, quamuis latens, vituperatione proscissum addicit infamiæ. At verisimile sub specie veri falsũ obtrudit, atque ita est imago veri, vt nihil

minus sit quàm verum. Hoc genus mendacij plerumque adsumit sibi excusationem, quæ est subdola & fraudulenta purgatio peccati. Vt eorum quos victoris manus subegit, propriæ sunt preces, ita eius qui peccauit, propria est excusatio. Vt confessio peccati est genus satisfactionis, ita excusatio est index pertinaciæ. Excusationem antiquitas finxit esse filiam Epimethei ὀψινόε sero sapiẽtis, qui quicquid stultè aut nefariè commisit, hoc centumculo protectum vult. Certè excusatio excludit ingenuam confessionem veri, vt sit peccato diuerticulum, nequitiæ latebra, & improbæ tergiuersationi locus. Hæc ipsa timorem ac modestiam simulat vt impudentiæ frænos laxet. Est artifex & arrogans patrona scelerum, dum ea contegit aut attenuat; dum flagitia flagitiis velat; dum obscœnitates non aufert, sed colorat. Hæc quoque fidem malè ambulantem fraudulentis nebulis inuolutam ducit via latebrosa, constituta nunc variando, nunc differendo.

Cap. XII.

De assentatione siue adulatione, & parasitica, siue gnatonica.



EXCVSATIONEM è vestigio sequitur adulatio siue assentatio, & ipsa inter portentosa mendacij mancipia. Cuius vitij etsi multa sunt genera, tamen in vniuersum dicimus, Adulationem esse morbum amicitiæ, siue amicitiam morbosam, ex iis feris vnam, quæ cùm sint cicures, earum tamen est lethalis morsus. Eius ictu nihil est velocius, nihil tam improuisum. In ictu est virus; hinc delirium eius in quem hoc telum intenditur. Adulatio tam subdola captatrix est, vt nemini imponat nisi assumpta forma, & aliqua parte veri, vt faciliùs falsum inducat. Est enim vitium illius cuius animus cuicunque seruitio expositus, sibi imperauit omnia sua dicta & facta fingere ad alienum arbitrium, & inde compendia captare. Illum quem petit ab se priùs infatuatum mox perducit ad ignorantiam veri. Bonam alioqui mentem subruit & euertit, propemodum vt illa quæ corpore quæstum facit

facit. Nam amatori suo palam omnia bona precatur præter sanum sinciput. Adulatio obtundit acumen solertis ingenij; mirificis præstigiis contra incolumitatem sensuum sua contechnatur. Est perfida; est proditrix. Nihil scit nisi dolos, fallacias, mendacia. Fidei & fidelitati prorsus est inimica. Inter vitia est id quod tarandus inter animalia. Vt hic habitum motu vertit, eiúsque rei ad quam proximè accesserit, colore inficitur, sic adulator varias affectuum alternat facies. Et, quod mirere, ipsa virtutum decora suas occasiones facit; vitiorum mancipiis falsò eminentes virtutes attribuit. Qui à probro ac dedecore retrahi, si ingenuo iurgio increpitus, non falsa laude sufflatus fuisset, potuit, huic assentator tantam indit persuasionem sui, vt ipse se planè pro sapiente & continente audacter inferat. Quippe perpauci sunt illi qui illud Euripidis vsurpare possint. Nimis laudari offendit. Omnes hoc agunt vt laudibus extollantur, non ab amico, eóque laudato viro, quæ est vera dulcísque laus, sed ab adulatore, qui est illi, quem suis laudibus conspurcat, inimicus. Vt musæ diuinis concentibus non solùm oblectant, sed homines ad dignitatem formant, mores componunt, affectus comprimunt, ita amici monitus sunt ad salutem. Contra, vt Sirenarum carmina spectant exitium nauigantium, ita sermo adulatoris venenatis blanditiis influit in aures audientium, mox in animos. Est quoque adulatio stultitiæ fautrix, ac stupori adiutrix. Quoscunque versat, lautè ludit; è stultis insanos facit. Vsque eò decipi iuuat, & obligari illi qui scientem & volentem sciens & volens decipit; & plus reponere in falsa laude, quàm in propria conscientia. Vt sepulchrum nihil hominis habet extra cadauer, ita adulator ex amicitia nihil retinet nisi nomen. Non aliter est amico homini similis, quàm vt homini simia, aut cani lupus. In hoc vnum intentus est vt placeat, nempe vt cui placuit, in hunc truculentiùs feratur, propemodum vt scorpio, qui ante ictum lambit. Medico est dissimilis & remediis. Quippe is priùs offendit; & hæc priùs illum metu expiant cui postea prosunt. At assentator priusquam displicet, vulnerat. Verus amicus quem offendit, seruat. Verùm adulator quem veretur offendere hunc non dubitat perdere. Nec sanè assentationem aliud esse dixeris, quàm men-

rem prauam sermone placentem,& officiosæ similem; cùm non solùm non sit officium, sed veneficium, & crimen fœdissimæ seruitutis. Inter priuatæ sortis homines adulationi nomen est parasitica, siue gnatonica, id est ars parasitandi & suppalpandi Thrasonibus, stultisque diuitibus, cuius Tantalum fabulæ autorem perhibent. Meritò dici queat ars conquirendi cibi & potus, nempe per vrbanitatem, perque faceta,& ridicula dicta. Nam siquis hominem ridiculum quærit, parasitus venalis est. Inanimentis explementum quæritat, logos inanes vendit. Ipsa ei lingua venditaria est. E qualicunque negotio elicit occasiunculas referendi omnia ad falsam laudem illius, quem periuratiunculis & assentatiunculis labefacit. Improba arte in magnis opibus positum aggreditur, nobili adrepit, magnis honoribus, honestatum fabellis & adlu.entibus mendaciolis circumuenit. Ex alieno ore, nutu, gestu totus pendet. Ita se comparat vt è mancipiis ne vilissimo quidem displicere, se omnibus insinuare possit; nunc Iro pauperior, nunc Gygẽ opulentior, semper quolibet cynedo contemptior. Prorsus vt alter Cheirosophus si nouum aliquem Dionysium procul ridentem videt, etsi nescit originem risus, tamen ridet. Non rogatus adest. Vbi nihil est opus, loquitur. Vt canis cauda petit panem, ita parasitus labiis sibi aucupatur alienum cibum. Semper & omni loco est venaticus. Quin & colaphos, & quamlibet contumeliam perpeti potest, dummodo hinc rem suam meliusculam facere, esum vocari, & alienas escas contruncare possit. Quippe est osor ieiunij, summus sectator epularum, viri boni arrogans calumniator, eius à quo bene pascitur insulsus & intempestiuus palpator, luxuriosæ adolescentiæ assiduus corruptor, prorsus dignus qui inter Ixionicos amicos numeretur. Denique parasiti hæc potest esse descriptio, vt is sit, cui latus est firmum; vultus subridens, & ad facilitatem fictus, vox blanda, ipse sit scommatibus sufferendis idoneus; contumelias in quæstu habens; vapulans gratias agat; vocatus & inuocatus mensis oberret, iniuriis pasci possit. Sit apud edones & gulones inclytus; hinc fraude fretus, hinc audacia fultus, desidiæ sectator, nullius rei cupidus nisi saginandi abdominis, planè delfino similis, qui quà fluctus it, cum vrinatore natat, cum eo nequaquam exit in aridam, aut sanè

canibus

canibus Actæonis, qui bene pasti sæuissimis morsibus dominum lacerant. Hæc est parasitica siue gnatonica, quæ dum per omnes hominum sectas ambulat, hem adulatio irrumpit,& grassatur inter magna nomina, potissimùm regibus infensa, iisque omnibus quorum dominatus latè patet. Cùm enim horum aulis veritas iubeatur excedere, non mirum si ibi huic venenato portento locus est spatiosior, si moribus ingenuis exclusis, eò tantum inducuntur ij, qui eorum sunt proprij, qui per callidam obsequelam principibus non minùs sunt graues quàm grati. In aula, fateor, viris bonis, & modestis graue est implacida loquendo, quamlibet vera, principem offendere. Quis negat? Sed quo isti parciùs loquuntur, & submissiùs agunt, hoc magis adulatori promptum & procliue est promere blanditias, ac falsa & perniciosa laude effascinare potentes, haud aliter quàm olim Circe illa venefica homines in pecora transformabat, aut quarumdam familiarum laudationibus sata arescunt, arbores intereunt, infantes emoriuntur. O mentis caliginem eorum apud quos cùm quicquid pulcherrimum & amplissimum ducitur, affluat & superfluat, iidem tamen eo monitore carent, à quo verum edoceri possint. Eccui istorum qui tales circumstant, non vnica ars est, nullum habere vultum nisi fictum ad vultum domini, ad eius libita sermonem instituere mendacem, fallacem, fatuitatis altorem? O vile, insidiosum, flagitiosum obsequium, quo princeps præceps agitur in omnem fraudem, in omnia ludibria, in omnia dedecora! Sed nihil, scilicet, acc dit immerito. Stultus est princeps, stultitia pascatur. Qui vix est mus, oneretur & obruatur laudibus leonis. Quoniam Alexander Deus esse vult, per me & Deus & fatuus esto. Ille turpis ac deformis sit Nereo, sit Phaone & Adonide pulchrior. Stratonice cucurbita caluior impetret à Poëtis vt eius laudent comam, etiam supra comam Berenices. Tussedinis assiduo pulsu Demetrius Poliorcetes gestet hiulcum pectus, eique fauces nescio quid rancidulum perpetuò sibilent, nihilominus iterum existat, si Diis placet, aliquis Cynethus, qui aiat, tussiendo eum dulce nescio quid & modulatum sonare. Tyrannus, fateor, quales hodie sunt aliqui afflictores, depeculatores vexatores prouinciarum suarum, hac peste confici dignus esset.

At cùm regibus omnes omnia bona cupiant, certè hoc ſibi ipſos beneficium dare æquum eſſet, ne ab vllo aſſentatore ductarentur; vt procul à ſuis perſonis arcerent hæc dedecora, à quibus Sardanapali, Heliogabali, Commodi alias imperiorum fatalia portenta audiunt Apollines, Dionyſij, Hercules. Sed vt hæc dici poſſit abſurda, vulgatis, & contrita aſſentatio, quam animi ſollertiores, & aures delicatiores facilè reſpuant, veluti eam ad quam leuiſſimus & imperitiſſimus quiſque prolabitur, ecce infert ſe illa quęſitior & pernicioſior, quæ ſeſe occultiùs & callidiùs ſummis locis inſinuat. Hæc eſt egregiè inſtructa ad regnantium, etiam oculatiſſimorum mentes cæcandas, corrumpendas, expugnandas. Hæc illa eſt quæ audet aduerſando blandiri, pro veritate ſimulatè certamen ſuſcipere, vt tum demum gratior ſit, cùm ſe poſt aliquod luctamen victori fatetur herbam dare. Hæc eſt illa aulica hodierna, ſpecie libertatis audentior, iam eruditior, iam valentior. Scit quoque ſtupere ad audita, poteſt admirari alienas fœditates, haud aliter quàm magna & rara decora. Hæc lactat aures, poſt animum captat, nempe minutum & imbecillum. Hunc premere inſiſtit intolerabili pondere falſæ gloriæ; occupat faſtu, inflat perſuaſione ſui, mergit ſtultitia. Aſſumpta ſpecie libertatis, aut etiam innocentiæ & ſimplicitatis, audientem ſic afficit, vt nullum amplius aſſentatorem moretur is, qui iam ſibi ipſe in ſuo ſecreto impenſiùs adulari poteſt: & paſci hac ſua opinione, vt ſuæ virtuti, magnitudini, felicitati omnia cedant. Prodigium quolibet hoſte ſæuius, & quolibet veneno nocentius. Hæc eſt infelix illa præpotentium conditio. Cùm enim quicquid ſibi collibitum eſt, faciant, nihil quoque niſi ſibi placens admittunt, audiendi & cognoſcendi verum planè inſolentes. Hoc ſeruile vitium iam per tot ætates coaluit, & inualuit, vt diſiici nullo pacto poſſit. Ab ea cæcitate quam hoc portentum inducit, totis prouinciis & ferro & ignibus ſæpe vaſtitas illata. Hinc ſæpe regum opes euerſæ.

Cap. XIII.

De periurio, fraude, ignorantia.

PERIVRIVM est diremptio fidei, quam iusiurandum adstrinxisse debuit. Est violatio iurisiurandi, hoc est, quod verbis conceptis iuraueris, id non facere, & iurasse lingua, mentē iniuratam gerere. Nempe sic agitur, vt fallatur ipse Deus, cuius sacrosanctum numen iusiurando adhibitum. Hinc magna significatio fit, hoc malo nullum esse humano generi capitalius. Nam fides pacti destruitur, iuramenti pondus conteritur, veritatis assertio obliteratur; id quicquid est, quod religio sanxerat, soluitur; religio, inquam, quæ & verbis conceptis, & ipsa potissimùm rerum fide continetur. O animum eius turpificatum, qui iusiurandum violat! Certè periurium planè seruile probrum est. Vbi est flagrum, aiunt, ibi ne addideris iuramentum. Vtinam inter liberos hæc fœditas nusquam existeret, inter quos prauitas morū multùm processit. Et hodie quidem iurisiurandi fides vsque eò laborat, vt rebus tantùm non etiam iuramento credatur. Consuetudine iamdiu increbuit, & prisco more Romano iurare, Per fidem meam. Id quod copulandis quoque dextris alibi peractum. Sophoclæus ille nuntius ait, Cedo manum, πίστιν ἀρχαίαν fidem antiquam, id est ἀρχὴν πίστεως antiquæ fidei principium, originem, testem. Nihilominus tamen hodierno die veriùs vsurpaueris illud Lysandri, Pueros decipi talis & globulis; viros iureiurando & pecuniis. Nimirum, iuramentum iam diu factus est idoneus magister fallendi. Nec aliud perfidiæ & leuitatis frequentius documentum est, quàm hodiernæ iurisiurandi formulæ, in quibus non est plus ponderis quàm in verbis ebriorum, cùm iurant se in calicem nō infusuros aquam. Vnà cum periuris traho illos qui linguam & vocem suam testium nomine alieno sceleri commodant, & iudicij veritatem in sua voluntate collocant. His proximi sunt illi qui iudici & magistratui dubiè, obscurè, perplexé & composito sermone respondent; qui scriptorum fidem: qui mensuras adulterant. At etiam miramur,

vnde tot tamque frequentes & publicæ & priuatæ calamitates? Hinc, scilicet quod diuini numinis proprium est, quoties periurio læditur, seuerissimis suppliciis huius tanti criminis reos vlcisci. Hinc prisca monitio, Ne nauiga cum periuris. Cùm enim periurium sit iniuria Dei, stultè creditur Deo suas iniurias non esse curæ. Cùm Belisarius sua periuria Persis exprobraret, Acie, inquit, decernere nobis in animo est. Sed ipsa conscripta fœdera è summis signis suspendemus; Ac si dicat, Hæc sacrosancti numinis iustissimam vltionem inuocabunt, vt effundatur in vestra capita. Apud Aegyptios qui sacramenti reuerentiam rupisset, capitale fecerat. Alibi fallax periuri lingua sæpe sauciata & compuncta vt Pandari. Alibi abscissa; alibi euulsa, ne quid post periurium loqueretur. In periuros iussu Dei ipsa inanima acriter insurgunt; qualis ille apud Tiana fons pollutæ religionis vltor, & ille in Bithinia amnis Blachas, & ille apud Palicen vrbem Siciliæ fons periurij proditor. Nam quicquid quispiam iurauerit in tabella descriptum in eius aquam conijcitur. Si is iurisiurandi seruans est, tabella natat: Si peierauit, abit è cõspectu. Hæc periuris sui periurij pœna accedit, vt, etsi iurant per omnes Deos: nemo tamen eis credat. Mendacium quoque nunquam incedit sine fraude comite Atque adeò quantum est artium fraudulentarũ originẽ trahit à fœditate mendacij. Fraus est ars animi ad circumueniendũ intenti, tenuis ac sordidi, semper exerciti ad exprimendum imaginem veri, recti, honesti, cùm tamen intimè nihil agitet, nisi falsum, tortuosum, inhonestum. Fraude nihil est magis veteratorium, versutius, perfidiosius. Lætiora præferendo tristissima occultat. Quod agit dissimulat. Quod minimè agit, simulat. Certè illius est fraudem struere, qui ad quæcunque intendit flectere ingenium, sermonemque potest. Qui prorsus est viua effigies illius ἑρμοῦ δόλιου vafri Mercurij, qui semper imminet simplicitati, cui, scilicet, capillos detondet, quos venditet pro lana, qui ex alterius prædatur inscitia, qui, quod ruri dicitur, alienam capram sua mala cane mutare potest, id quod millenarium est, emere denario Enimuero simplicitati hoc monstrum foret ineuitabile sine prompto accursu & auxilio veritatis, cuius vi prostrata denique turpiter hiat, dehiscit, patet, ac denique

nique quos ipsa laqueos alij parat, sibi concinnat. Fraudulentus enim, id est is, cui dolus & malitia fide carior est, eadem ratione multatur, qua illi piscatores, quorum piscatũ cùm lupi seruent, si quid istis custodibus clam subducitur, ipsi verò & retia, omnemque piscatum pessimè habent. Fraus est deliciis, voluptati, otio comes. Vim vbique fugitat. Hanc vsurpant viri primarij, si modò iusta est. Plerumque enim vis est à magnitudine potentiæ, cum fraus sit partus mentis prauæ & insidiatricis. Atque adeò tam maculosa fraus est, vt sæpe hoc nomine signetur crimen & flagitium; vt cum dicimus, fraudem aut capitalem, aut non capitalem esse. Sequitur ignorantia, inscientia, inscitia, siue imperitia, & ipsa iuuter satellites mendacij. De hac etsi aliquid dixi, tamen hic addo, hoc præcipuè monstrum propria quadam vanitate inflatum agere negotium mendacij. Ignorantia nihil est aliud nisi cessatio, siue torpor seminum veritatis, eorum quæ primum animo indita fuerant. Hæc quod aiunt, alto est obesa viscere; & ad omnia vera & recta prorsus caligat. Musas & Gratias ne auditione quidem nouit. Omnium vitiorum hoc est & securissimum & confidentissimum. Cum hac scientię sũt capitales inimicitiæ. Quantũ scientia accendit lumen animi, tantum hæc extinguit. Vt sciẽtiæ adhæret bonitas, ita imperitiæ nequitia. Si qua forte falsa felicitate tumet, hæc est ei veluti infirmo onus. Ignorantia semper conuincitur, nunquam cõpescitur. Nunquã desinit esse stulta & importuna argumẽtatrix. Hanc sapientes vocarunt carnificem virtutum. Omnibus bonis est vitium detestabile. Mitylenenses in eos qui à Repub. defecissent, statuerunt, vt ipsorum liberi nec literis erudirentur, nec artibus liberalibus instruerentur. Sic enim existimabant, eruditionem esse instrumentum ad omnem vitam; ac proinde artium liberalium, omnisque bonæ rei expertem vitam transigere esse supplicium omnium suppliciorum exquisitissimum. Specie & nomine ignorantiæ sæpe subdola negligentia, sæpe virulenta fraus protegitur. Ignorantia omnem prauitatem progignit. Mẽs hominis imperiti nullis rationum machinis expugnari potest. Apud hunc prompta falso, tarda, aut potiùs nulla est vero fides. Nec aliud imperitum dicas esse nisi statuam animatam & venenatam, cuius afflatus nihil est nisi virus.

Atque hæc quidem sunt genera mendacij, eorúmque hominum quibus nomen est mendacibus.

CAP. XIIII.

Veritate nititur pietas, de qua hic, déque eius comite religione.


ERITATEM proximo interuallo sequitur pietas, quam esse omnium virtutum veluti virtutem ac parentem ipsa veritas docet. Vt Deus est parens & autor omniũ virtutũ, ita pietas est illa quæ, præcedente veritatis lumine, cęteris virtutibus præit. Pietas est vera notio Dei, siue iustitia aduersus Deum; siue metus Dei; siue studiũ & recta scientia cultus diuini, non tantũ mente cõprehensa, & pectore clausa, sed sese prodens in cuiusq; moribus ac toto vitę curriculo, ibique id agens vnũ, vt homo concilietur Deo. Hæc ergo primùm credit esse Deum, quòd ipsa est a Deo. Proprium, inquam, pietatis est intueri Deũ; hunc sibi tam lætis, quam aduersis rebus aduocare propitium. Est ergo osor omnis impietatis, eius quæ negat vllum esse Deũ; aut, si est, ei res humanas non esse curæ. Illi tamen ipsi, qui impietatẽ profitentur, quod mirere, in media aliqua tempestate deprehensi illum ipsum, cui obnituntur, inuocant; planè falsò, si diuinum numen impiis precibus flecti posse putant. Hinc tamen hoc execrabile hominum genus palam fatetur, eum esse cui cornua obuertunt; nec nisi pietatis interuentu humanæ naturæ pronum fieri. Hæc est cœlestis origo pietatis, quam ipsa natura docet Sed hoc naturę germen quodãmodo imperfectum Deus tuendũ suscipit, instruit ac perficit, sibique gratum reddit. Nec vlla censetur vera & absoluta pietas, cuius diuinus ille & sacrosanctus spiritus nõ se autorem profitetur. Diuini spiritus in humana pectora illapsus inibi procreat pietatem, hoc est cor contritum, cuius & gemitus & suspiria Deum petunt. Quæ est prima intelligentia & professio colendi Deum, ipsissima in pectore pietas, in lingua & in cuiusq; moribus sanctitas, vno vocabulo religio. Vt propriè religio sit ministra pietatis cuius omne

omne munus est, humo excitare hominem, ei denudare suam imbecillitatem, eâdem ei præsidium, quo nitatur, mõstrare. Nam omnis humanæ conditionis hoc est momentum, vt sacrosanctum Dei numen propitium experiatur. Ea re quisquis religionis munia negligit, is verè dicitur & desertor pietatis, quæ vna Deum homini placat, ac proditor propriæ salutis, quæ non aliunde est, quã ab vna pietate. Dicimus ergo religionem esse ritum colendi Deum non sola mẽte, sed & ministerio corporis. Nulla est res humana quæ non perspicuè doceat, illos esse optimos qui seriò Deum, non perfunctoriè colunt. Contra, illos esse mortaliũ deterrimos, & infelicissimos, qui aut Deum nesciunt, aut se nescire simulant. Assumenda ergo religio est, sed nonnisi ex vnico præscripto illius ad quem ipsa ducit. Religio, siue cultus Dei non nititur hac aut illa, quam quisque hausit, existimatione. Neque etiam consistit in magnitudine sũptuum, in magnificentia apparatus, in sensuum oblectamentis, sed in puritate mentis, & in veritate, quod est nudum & solum animæ sacrificium. Hinc suauissimus perspergitur in omnia externa sanctitatis odor. Hac ratione, & hoc proposito vni pietati religio seruit, nempe in hoc vnum, vt humana natura diuinitati inseratur. Itaq; & Deum ignorat, & à Deo ignoratur is, qui religionis est incuriosus aut contemptor, eámve suo statu temerè dimouet. Vt nulla est vera sapientia, nulla item stabilis sine pietate potentia, ita nulla prorsus est sine religione pietas. Hìc summa ope cauendum, ne in alterutram partem peccetur. Vt nimio plures omnem funditus religionem tollunt, ita alij quamlibet assumunt. Et hìc difficile dictu est, quanta temeritate inter homines certetur. Ab hac scaturigine profluxerunt illæ inter vos iamdiu multiplicatæ rituum diuersitates; hinc dimanauit illa institutorum varietas quæ pertinent ad religionem, scilicet subruendam. Hac quidem ætate, nullo veritatis intuitu, nullo pietatis respectu, sed prauis hinc inde studiis audaculi homines impulsi quoslibet ritus inducunt, diuino nomini illudentes, numen lædentes, sacra ausu gigantæo profanantes. In tanta discrepantia vix est vllus veritati, ac proinde pietati locus. Omnia sunt plena impietatis sceleratissimæ. Maneat ergo, eum hominem qui sit impius, esse infra

omnes res creatas. At eo qui sit pius & seruans religionis, nihil esse diuinitati acceptius. Furiæ, inquit ille apud Æschylum, non ingrediuntur domum illius, cuius é manibus Deus sacrificium accipit. Ochus Artaxerxis filius, percunctante filio natu maximo, qua industria, quibusque artibus regnum per tot annos tutatus esset, vt eius rei sciens factus domesticum exemplum imitaretur, Pietate, dixit, in Deum, iustitia in homines. Illi demum vni & diuinarum & humanarum rerum ratio constat, qui diuinitati ritè, hoc est, vt à Deo iussus est, famulatur. Vt cælo nihil est inuisius impio pectore, ita nullos homo pulchriores ac veriores quam pietatis titulos præ se ferre potest, qui vix alibi quàm in religione, vt in purissimo speculo pietatis, exscripti reperiuntur. Pietatem ea omnia comitantur quæ diuinis oraculis continentur. Ibi eminent præcepta & constitutiones diuinæ, quas vobis suppeditant sacra volumina. Hæc ipsa edictant, docent, identidem suggerunt illi, quibus hæc omnium maxima & nobilissima cura incumbit. Pietatem illam quæ propriè Deum respicit, imitatur illa quæ parentes. Cum enim inter filium & patrem intercedat ea charitas, quæ dirimi nisi detestabili scelere non potest, & cùm filio pater sit alter veluti Deus, meritò parentes à suis liberis haud absimili ei cultum exigunt, quem vniuersi vno consensu Deo tribuunt. Pudeat homines in hac tanta re non imitari animalia rationis expertia, quibus natura indidit nescio quam similitudinem rationis, ac proinde pietatis. Eadem est ratio patriæ, quæ cùm sit communis omnium parens, atque adeò alter Deus, ipsis parentibus, ipsis amicis anteponi debet, atque adeò ipsi vitæ, quam eius propugnationi impendere, vt ait ille, dulce & decorum est. Cùm enim ipsa terra, vt aiunt, pugnet pro incolis, ecquid tantum est, quod non huic impendere debeant incolæ? Si feris est hic ipse tam generosus spiritus, quid de hominibus dicendum?

CAP.

Cap. XV.

Pietati contraria est impietas & superstitio.

PIETATI inimica impietas est contemptus religionis, ac proinde scaturigo omnium impuritatum, omnium matrix calamitatum. Est vitiũ diuini cultus, & iniustitia aduersus Deum, patriam, parentes. Negotium aduersum ab omni ratione, omníque timore Dei. Impietas, vt cœpi dicere, aut palam Deum nescit aut spernit, sicuti rerum humanarum negligentẽ; aut omnino nullum putat. Hinc cogitationes nefãdæ. Hinc expuendæ voces illorum, qui pietatis aram calcibus petunt. Non ego fulmen reformido Iouis; Nec Iouem fateor esse præstantiorem me Deum, ait Cyclops ille immanis, & quisquis feritate Cyclopi similis est. Indidẽ scelerati illorum mores, qui Dei præceptis pertinacissimè renituntur. Huius prodigij destinata huc pertinent, vt hominem saluti ereptum tradant æternis suppliciis. Nempe impietati proposita mors est, & mors quidẽ nullo fine. Impietatis duo sunt genera. Priori nomen est atheismus, id est, nulla re conuenisse cũ Deo; cum eo quod bonũ & rectum est, nullum habere commercium. Hæc est illa impurissima secta, cui nimio plures nomen dant. Athenis bona illorum, quorum in Deũ cognita esset impietas hastæ publicæ subiiciebantur. Eaque res columnis insculpebatur, vt vniuersi intelligerent, publica exectatione id esse sancitum. In illam alteram, quæ patriæ, parentúmve maiestatem lædit, omni suppliciorum atrocitate vindicatur. Superstitio est religionis fraudulentissima & ineptissima imitatrix. In hanc plures prolabuntur, simulationem religionis pro religione ostentantes. Hanc sapientes vocarunt sacrum prophanum, preces impias, pietatem notham, sanctitatem adulterinam, innocentiam nocentem, veritatem mendacem, cultum Dei fictum & personatum, omnis impuritatis emissariam. Vt ex veritate mendacium, ita è religione superstitio cõpingitur. Et superstitiosus dicitur ineptè religiosus. Hæc quoque cùm Deum nesciat, tamen ad mentionẽ Dei con-

tremiscit. Vel ingratiis ad Deum exclamat, sed nequicquam. Quoties supplicat, toties maledicit. Precatur & calumniatur. Quæ se in omnes impietates ingurgitat, omnia præ se fert decora pietatis. Vt ergo quisque est contaminatissimus, ita est omnibus superstitionibus implicatus. Religio docet summũ numen præsidere rebus humanis; hanc esse vnicam homini tutelam. Id superstitio non quidem apertè negat, sed id agit vt sibi ipsum Deũ, si queat, reddat obnoxium. Religio est ipse cultus Dei, & quidem syncerus; inde dicta, quòd sibi Deus hominem religauit, & pietate constrinxit. Quicquid huc pertinet, ipsa animosè, piè, perpetuò cõsectatur. Superstitio ea quæ Dei sunt audacter excludit, vt sua tantùm admittat. Religioni vniuersorum salus est proposita. Superstitio vt semper est præcordiis palpitantibus, non aliud respicit quàm sua commoda. Hinc superstitiosi, nimirum sic dicti, quòd totos dies precabantur vt sibi sui liberi superstites essent, etsi non desunt qui hoc vocabulum aliunde deriuant. Religio certissimis argumentis exploratum habet, vt Deus fauet suis, ita eius tela in impios nunquam non esse intenta. Superstitio suis sceleribus diuinum nũmen prætendit, vt latiùs, vt licentiùs, vt tectiùs grassetur. Religio vt Deum, ita sanctitatem, fidem ac iusiurandum nullo metu legum, sed sponte suadet. Superstitio sui semper est anxia, semper inquies. Quicquid agit, vbicunque est, ibi metuit vltorem Deum. Religio veluti manu homines perducit ad pietatem, pietas ad Deum. Superstitio errore quodam mentis famulatur impietati. Quisquis superstitione illaqueatus est, non potest effugere proximas miserias. Ipsa sibi superstitio supplicium est, dum quæ non sunt mala, hæc fingit esse talia; & quæ sunt mediocria mala, hæc maxima facit ac lethalia. Quid? vmbram suam metuit; inanibus terretur. Rationem nescit, formidinem vbique ducem habet. Superstitiosus vel leui aura, nunc sinistro, nunc dextro alitis volatu, offensione pedis, primo huius aut illius occursu, veste perperam sumpta, qualicumque nocturno visu, qualemcunque propter auditionem exalbescit metu. Omnia sunt ei minacia, omnia ominosa, omnia formidolosa. Superstitiosi exẽplum est priscus ille Midas. Nam quibusdã insomniis, prauáque eorum interpretatione perturbatus, superstitiosa, inquam,

solli-

ſolicitudine perculſus, epoto tauri ſanguine, voluntaria morte occubuit. Quid atrocius Ameſtri illa Xerxis vxore, quæ duodecim homines viuos pro ſe defoſſos inferis deuouit; Cùm Romanus miles ſcalis muro Hieroſolymæ admotis inibi eſſet vt vrbe potiretur, vniuerſi Iudæi, tanquam in vniqua aliqua naſſa capti, deſidiã ſaluti non dubitarunt anteponere, nimirum vnius impulſu ſtultiſſimæ & pertinaciſſimæ ſuperſtitionis. Quàm igitur tota mente amplectenda eſt pietas & religio, tam intenſis animis inuiſa Deo ſuperſtitio exturbanda eſt, atque adeò eius vel minima ſtirps proterenda. Quiſquis ſuperſtitioni obnoxius eſt, huic nuſquam ſecuro conſiſtere licet.

CAP. XVI.

Sequitur iuſtitia, cui adhæret æquitas, vt æquitati æqualis.

SI qua virtus eſt, cuius intellectus vſuſque humano generi ſit neceſſarius, ea eſt iuſtitia, quam vetuſtas finxit eſſe filiam Iouis, ipſique Ioui proximã ſedem occupare. Cuius loci tanta dignitas eſt, vt virtutũm domina & regina fuerit nũcupata. Alij fidentiùs loquuti dixerunt, iuſtitiam eſſe ipſũ Iouem, id eſt, eam legem, quæ ſit antiquiſſima & perfectiſſima omnium legum; quæ ab illo cœleſti domicilio deſcendit in animam eius qui fit iuſtus; inde in ciuilem ſocietatem. Certè cùm anima, quòd eſt immortalis, cupiat imitari Deum, quæ eſt ipſiſſima iuſtitia, fatendum eſt, hanc animæ immortalitatem eſſe illud pedamentum, quo omnis iuſtitia nititur. Tantus omni ætate iuſtitiæ ſuſpectus fuit, vt cœlitibus addita aris ac diuinà re culta ſit. Iuſtitia eſt omnium animæ partium conſenſus & concentus. Et iuſtum eſſe eſt perpetuò adhærere rationi, ac perenni quadam & ſempiterna lege ſuum tenorem ſeruare, nulliſque caſibus à ſuo tramite flecti poſſe. Hominis iuſti eſt æternus quidam vigor, in quo omnia eminent recta, æqua, ſancta. Ergo iuſtitia ab anima, cuius eſt propria dos, ſeſe diffundit in communionem

humani generis;ac tunc fit habitus,siue perfecta quædam notio eorū quæ cuiq; cōueniūt,eaque vt par est,dispartiēs. Illa quæ adhuc est in anima imperat,legemque fert; proprieque dicitur imperium legis. Altera quæ est ab illa vocatur obsequium,siue obtemperatio. Illa est ipsa casti pectoris sanctitas,& semper intuetur Deum. Hæc homines respicit; his consulit & quidem duabus rationibus, reddendo cuique suum,& vitiis emendandis. Hanc posteriorem homines peculiari dictione iustitiam vocant. Vtramque homo iustus possidet. Illius ope coniungitur cum Deo;huius cum homine. Vtraque suos characteres in singulis virtutibus impressos habet; ideoque dicitur & apex, & character omnium virtutum. Ergo vbi homines superba cæcitate lucem iustitiæ aspernantur, ibi hic nobilis character obliteratur: ibi vitiorum nigror omnia occupat, ibi nullus est nec prudentiæ,nec fortitudini,nec temperantiæ locus. Ipsa ergo iustitia ita vna è virtutibus est, vt aliarum virtutum quodammodo sit ductrix, protectrix, conseruatrix. Certè sal dicitur esse typus iustitiæ, quod corruptionem & interitum arcet. Hæc virtus in hoc virtutum sacratissimo choro aspicitur sicuti præmiorum dispensatrix. Statim vt aduersus vitia constitit, ibi verò est eorum indagatrix & vltrix. Sed verius est, hîc & in cœlo esse Themidem, apud inferos Dicem,in mediis hominibus legem, in ciuitate pacem, quam è vestigio sequuntur omnia vitæ commoda: si quidem cuiuslibet Reipub.duæ sunt columnæ, maiestas iustitiæ,& prouisus annonæ.In lare cuiusque familiari est concordia coniugum, & familiarium beneuolentia, & gratæ gratiæ erga eum qui est paterfamiliæ, & huius erga cunctam familiam mutua charitas. Quibus ex rebus intelligitur, iustitiam in hominum cœtu esse animi habitum, qui suum cuique tribuendo humanæ coniunctionem societatis tuendam suscipit. Et venerari aram iustitiæ est, nec sibi,nec aliis esse iniurium: sed intimè & extimè innocentiam profiteri: denique esse æquum diribitorem eius quod cuiusque est. Ergo Iustitia meritò dici potest ἀκαρνα, virga illa Ægyptia geometrica, vt Romanum ancile, de cœlo delapsa: quæ, cùm Nilus diluuiasset,vnicuique suos terminos indicauit, eaque ratione Ægyptios discordiis & cædibus eripuit.

eripuit. Non inſcitè quidam δίκην Iuſtitiæ effectum dici voluerunt ἀπὸ τοῦ διχάζειν καὶ διαλύειν τοὺς φιλονεικοῦντας, à dirimendis ac ſeparandis litigatoribus. Doctè antiquitas finxit, miſſu Iouis, qui veritus eſſet ne ſeſe hominum genus mutuis cladibus conficeret, Mercurium terris intuliſſe pudorē & iuſtitiam, quæ eſſent humanæ vincula ſocietatis, & vrbium nunc præſidia, nunc ornamenta. Tres ergo ſunt potiſſimi iuſtitiæ effectus, Innocentia vitæ, diſtributio eius quod cuiuſq; eſſe debet, vltio peccati. Innocētē eſſe eſt ſanctè ſe gerere in iis omnibus quibus vitæ cōmunitas cōtinetur; abſtinere omnibus cōtractibus, niſi iis quos neceſſarius vſus & natura inducit. In his, ſi eò neceſſitate ventum fuerit, præſtare fidem, veluti in venditione, emptione, mutuo & ſimilibus. Quiſquis hîc ita ſe geſſerit, vt nihil excuſandum habeat, hunc dicimus eſſe cultorem iuſtitiæ, hoc eſt, virum bonum, nemini nocentem, omnibus qua re maximè poteſt, commodantem; eum qui & neminem flagitat, & à nemine flagitatur; cui animi ſedatio perpetuā parit felicitatem. Hic ipſe nullum à iuſtitia compendium nec captat nec capit, niſi hoc ipſum, iuſtum eſſe præſtare, quæ eſt altera pars iuſtitiæ, quam vocaui diſtributionem, ne quis fraudetur ſuo; ne aliena quiſquam per vim aut per fraudem occupet, aut in alienam ſiue perſonam, ſiue exiſtimationem ſit iniurius, quæ eſt tertia pars iuſtitię. Qui tripartitus animi habitus vſque eò humanæ dignitatis eſt proprius, vt omnes homines, ne iis quidem exceptis, qui iura & leges ignorant, erigantur ad lumen iuſtitiæ, eiuſque numen & maieſtatem reuereantur. Ergo humanum genus ſponte & ſuopte ingenio iuſtitiam amplectitur, ac ſtrictè ius obſeruat. Nihil imperare, nihil cogere neceſſe habet is, qui agit negotium non proprij affectus, ſed iuſtitiæ. Hinc ſe homines perſuaderi facilè patiuntur. Cùm enim ad iuſtitiam repræſentandam fiat concurſus naturæ, rationis & moris, nullus mente eſt tam obtuſa, aut ingenio tam prauò, qui nō ſe ipſe idemtidem ſubmoneat, vt & domi & foris iuſtitiam agitet, ſe & ſua dirigat ad normam recti, non iuſtitiam ſimulet, ſed præſtet. Huius virtutis numen vſque eò eſt omnibus rebus inſertum, vt Indica ſapientia quicquid à Deo peteret vno iuſtitiæ vocabulo complecteretur; quandoquidem omnes virtutes

in vna iustitia censentur esse collectæ, vsque eò, vt qui iustitiam dixerit omnes virtutes dixisse videatur. Ea re Agesilaus, cuidam interroganti, vtra melior Fortitudo an Iustitia, Fortitudine, inquit, nihil opus est, vbi omnes sunt iusti. Hinc quoque perspicuum est, eum qui deerrat ab iustitia fieri desertorē humani ingenij, & instinctus naturalis, eorumque morum qui sunt probi, commodi, emendati, postremò omnē ex animo humanitatem extirpare. Quippe natura est, non tantùm hominem non violare, sed & eum seruatū, auctum, ornatum velle. At quisquis id quod natura est, etiam perducit ad scientiam, huius item scientiæ salubreis effectus promit in frequentibus iustitiæ experimentis, hunc dicimus esse hominem iustum, & rarissimum inter mortales bonum. Hunc vniuersi non solùm admirantur vt fortem, sed & colunt sicuti prudentem, & amant veluti temperantem. Cæterum hæc est illa potentissima virtus, quæ suo magno numine bonos protegit, ferocitate exultantes, nolentes atque adeò repugnantes cogit in gyrum rationis. Hæc est superbis vehemens, & improbis formidabilis. Per vnum iustitiæ splendorem excellentia summi loci transit in similitudinem Dei. Non purpura, non fasces magistratum veneratione circumfundunt, sed vna iustitia est ei decus, autoritas, robur. Ductorem exercitus iustitia donat victoria, cunctos concordia, iisque bonis quæ sunt ingenita concordiæ. Persapienter antiquitas iustitiā effinxit aspectu quodam & filo virginali, quo significatur integritas & puritas animi, tum oculis acerrimis & inconniuiuis, quibus significatur vigilātia, quæ est propria dos eius qui fit rerum arbiter, bonorum propugnator, facinorosorum vltor, cui denique impositum est onus cuncta regēdi. Neque verò alia de causa reges, quàm iustitiæ fruendæ causa constitutos constat. Est enim rex anima iusta, & sacra quædam ara, ad quam omnes confugiunt. Vt omnes rerum potentes iniustitia armat feritate, ita iustitia regem diuina quadam venustate conuestit. Certè regna, remota iustitia, nihil sunt aliud nisi generalia quædam latrocinia. Quidam regum & potentiorum hominum propter excellentem habitum iustitiæ, aut Diis sunt additi, aut Diis proximi habiti, cuiusmodi Rhadamantus, Deioces, Aristides, aliaque talium celeberrima nomina,

mina, ad quorum iubar improbitas excæcata, iniustitia exanimata est, haud aliter atque ij qui fulminis ictu conflagrant. Iustitiæ perpetua comes it æquitas, æquitati æqualitas. Æquitas id præstat, vt se quisque cum aliis coæquet, quæ & æquabilitas dicitur, ne visus iustitiæ nimia indulgentia vilescat, ne item impensiori atrocitate crudescat. Est enim æquitas regula diuina, nusquam tam rigida & abscissa, vt gratiam cœlestis amabilitatis amittat. Huiusque aspectus neque trucis neque atrocis, sed reuerendæ cuiusdam dignitatis maiestate conspicuus est. Æquitas ergo est proprius ille iustitiæ modus, est condimentum, est id quod inter extrema medium est. Extrema, sæpiuscule enim hoc dicendum, voco excessum ac defectum, siue nimium rigorem, & nimiam laxitatem, summum ius & summam iniuriam, inter quæ æquitas nec pendet nec propendet, sed est quædam veluti proportio eius quod satis est. Hæc est omnium hominum, omniúmque rerum trutina, siue illa statera, cui inter symbola Pythagoræ locus est, quam is philosophus non transiliendã dixit. Æquitatis quoq; typus esse potest forma quadrãgularis, & ipse quaternus numerus, quòd est æqualiter æqualis. Certè hæc virtus cui nomen æquitas quandoque vocatur æqualitas, sed tunc solùm cùm apparet in rebus, vt æqualitas dici possit æquitas alicui præstita, siue effectus æquitatis, quæ etsi non alibi reperitur quàm apud Deum, tamen & in iis hominibus, qui iustitiam profitetur, quodammodo aspicitur exscripta. Hæc item statera nihil est aliud quàm ipsum ius, ad cuius normam instituitur iudicatio, hoc est, distributio & ordinatio iustitiæ. Id quod eò pertinet, vt totum, quod præ manu est, negotium sit mansum & remansum, planè cognitum palamque perspicuum. Cùm ergo æquitatem dicimus, non hoc dicimus, omnia & omnes, quamuis ad vitæ condicionem pari sorte veniant, oportere fieri pares, siue æquales. Nam hac quidem inæqualitate nihil esset inæqualius, sed eum qui Reip. præest omnibus pariter consulere debere, neque in hac virtute aliud sibi proponere nisi ipsam. Quippe vnam æquitatem in rerum tractatione ducem habere, est agere vicem eius, qui quantus quantus est & bonitas & æquitas est.

CAP. XVII.

Iustitiæ adhæret seueritas, de qua hic, ac prætereunte manu de lege.

IVSTITIAE perpetuæ comites eunt hinc seueritas, hinc clementia. Atque adeò seueritas est nomen ipsius iustitiæ, quoties hæc est præsens remedium aduersus pullulantem & inualescentem vndique improbitatem. Est illius propria virtus qui omnibus potiùs veniam dat quam sibi, Qui reiecta omni mollitie, & animi imbecillitate, aduersus grauiora delicta inexorabilis est. Hæc virtus si nulla sit, aut remittatur, contra improbitatem planè inualidæ sint leges quas vna seueritas facit ratas, sicuti eas impunitas reddit irritas. Ergo hanc quoque virtutem diuina bonitas homini concessit, vt eam iudex aut princeps aduersus quemlibet vtiliter promat. Sæpe enim salus vniuersorum planè esset deplorata, si non ei præcipitanti tempestiua seueritate subueniretur. Seuerum esse est nullius delicti animo suo gratiam facere, ac proinde non facilè cuiusquam libidini malefacta condonare, sibi quemque ea re esse implacabilem, vt excusatiùs aliis non sit exorabilis. Quisquis est tali ingenio præditus, hunc meritò sapientibus annumeres. Quippe nullus sapiens non est seuerus. Nec enim ipse cuiusquam libidini gratificatur, neque loquitur ad cuiusquam voluptatem, sed seriò, nec ab aliis secus quàm par est, dicta aut commissa ignoscit. Porrò cùm seueritas sit ipsa iustitia, manifestũ est, hanc virtutem, vt de iustitia dixi, non posse cuiquam opitulari, si non is qui seuerus est, nititur in propria innocentia. Innocentiæ potissima & prior pars est, non peccare in iis, quibus humanæ societatis officia côtinentur, nec esse bonum ex præscripto legis, sed ad regulam naturæ, Altera, si quid ab aliis peccatur id minimè probare aut æmulari, sed propriam virtutem ad id coercendũ excitare, hanc & solidam & rigidam criminibus opponere, hoc tanto præsidio Rempub. firmare, hac ratione rei priuatæ & publicæ vtrisque temporibus belli pacisque subuenire, potissimùm ea resecando quæ sanari nequeunt, ne in vniuer-

sorum

ſorum perniciem erumpant. Hinc celebres illæ vltiones à parentibus,qui eſſent aut magiſtratus,aut in imperio conſtituti, in proprios filios vſurpatæ eos,qui forte Rempub. læſiſſent, aut militarem diſciplinam contempſiſſent, aut pudorem violaſſent, aut alio aliquo ſcelere humanam ſocietatem diremiſſent.Hinc illa dura ſimul & magna nomina Bruti,Manlij,Rhacocis,Epaminondæ, aliorum,qui ſalutaribus, licet atrocibus exemplis palam fecerunt, ius & maieſtatem imperij natura, patrioque amore potiorẽ eſſe, atque adeò ſeueritatem humano generi plus conducere quam indulgentiam, veniam,facilitatem.Hic ergo eſt ordo naturæ & rerum,primùm vt non peccetur, altero loco, vt,ſi quis peccauerit,emẽdetur,poſtremò vt malefacta ſua pœna expientur. Nam flagitiis impunitis diuina iuſtitia non ignoſcit.At puniri à Deo,eſt Deum placabilem experiri. Neque tamen ſpecie ſeueritatis vllam triſtitiã,aut ſæuã meditationem inducimus,qui huic virtuti ſua tempora,imò ſua momenta,ſuoſque modulos prębemus.Primò dicimus,ſeueritatem oportere eſſe veram, nunquam ſimulatã. Vt falſa perſuaſione nihil abſurdius,ita ficta ſeueritate nihil eſt ineptius.Videndum quoque ne ſit intempeſtiua,ſed loco prompta.Siquidem intempeſtiua ſeueritas eſt virtus, vt ita loquar inhumana, aut potiùs ferale quoddam vitium.Potiſſimùm in Reip.adminiſtratione prudentes dant aliquid tempori, quod ſæpe tale eſt, vt antiquo rigori homines deprehendantur impares. Poſtremò cauendum, ne ſit nimia & modum excedens. Nimia ſeueritas in paruis vocatur moroſitas,in mediocribus acerbitas,in magnis feritas. Humanæ infirmitati per ſe ſeueritas planè terribilis eſt,niſi inſuper eam cumulet crudelitas,vitium execrabile, Eſt ergo ſeueritas grauioribus delictis reſeruanda, nec aduerſus quemquam,niſi re flagitante, diſtringenda. Salutaris ſeueritatis euidens argumentum eſt, ex ipſa non oriri odium vltoris,ſed inſtitutionem & emendationem illorũ, quorum maximè intereſt talibus exemplis erudiri, moneri,terreri. Habet hoc ſeueritas, vt in quos diſtringitur hos erigat in admirationem ſui.Cauendum & illud eſt, ne hæc virtus nimia aſſiduitate diſſoluat neruos ſuos, atq; amittat autoritatem ac ſtudia vniuerſorum. Vt enim nimia facilitas parit contemptum, ita nimia durities deterit amo-

rem. Hinc liquet, seueritatem condiri oportere si non iucunditate, at certè placabilitate & facilitate, quibus in mediis inuenire autoritatem, & in seueritate non facere iacturam amorum populi rarissima laus est. Vni principes ac summi magistratus planè sciunt, quàm arduum sit, nunc miti & mansueta seueritate, nunc eâdem virtute vti, sed rigida, animosa & indeflexa. Hac tanta laude floruerunt illi, qui insanientes exercitus saluberrimis exemplis decimarunt. Adnotatum est, Catonem illum Stoica disciplina inclytum in sua persona & moribus res planè dissimiles consociasse, seueritatem & populi Romani amores. Seueritatis effectus sunt, præstare, ne fundata salutaribus legibus ciuitas effusissimis moribus euertatur. Nam qui sponte legibus obtemperent, pauci, qui pœnæ metu in officio contineantur, horum verò est messis maxima. Certè seueritas vel inuitos homines cogit abstinere vitiis, ne ex horum congressu & vsu inueterato crimina coalescant. Nimirum hoc assequitur præstando se aduersus vitia insecabili adamante rigidiorem. Nam qui singulos coërcet is vniuersorum saluti consulit. Ergo seueritas immedicabile vulnus, vt ait Poëta, ense recidit ne pars syncera trahatur. Quapropter vix vnquam hæc virtus incedit sine pœna comite. Pœnam præcedit castigatio, quæ plerumque verbis peragitur. Hæc si irrita est, accedit animaduersio, hoc est pœna & supplicium, tunc potissimùm cùm homini desperatæ improbitatis non aliter subueniri potest, quàm si, propemodum vt arbor infelix, radicitus exscindatur. Huic rationi tam salutari tunc in Republ. dicitur esse locus, cùm iustitia est eminentissimo loco, illa quæ hoc nomen meretur, si odio vacat & contumelia. Seueritas ergo priùs minatur, quàm ad puniendum accedat; imò minatur ne punire necesse habeat. Quod si quis puniendus est, ita p nit, vt eâdem seruet. Propterea hęc virtus scrupulosè cognoscit tardè absoluit, tardiùs condemnat. Id semper cauet, ne spe impunitatis alantur peccata, ne pœna sit maior quàm culpa, hoc est, ne iusto grauiùs puniat; ne, quod aiunt, id quod Æmilius fecit, plectatur Rutilius. Nunquam adhibet in consilium prauos affectus, sed illam mediocritatem, illud æquilibrium, illam æquitatem quæ inter extremitates defectus & excessus media est. Seueritatis munus est, quod multitudinis furores compescuntur, ac

tur, ac sæuientes alioqui tempestates euitantur. Seueritati lex adest. Lex est vox diuina publicè proposita ad hoc vt sit regula iusti & iniusti, ex mente & prudentia profecta, quæ habet vim monendi, cogendi, vlciscendi. Monendi, quòd quædã leges verius sunt βουλευτικαὶ consiliariæ, quàm ἀναγκαστικαὶ cogentes, siue coactrices. Cogendi, quòd in pluribus innocentia est è metu legum. Ergo ex hoc metu oritur sanctitas, præcipuum hominis decus. Hic enim ille est qui cupiditates cohibet, ne excurrant ad illicita. Vlciscendi, quòd quæ vni est vltio cunctis est exemplum. Illæ monitrices progignunt pudorem; Quæ cogunt morem; Quæ puniunt, timorem. Quemcunque ex his effectibus lex edat, ea humanæ naturæ salus est. Enimuero mens legis hæc est, singulorum commodis vniuersorum salutem anteponere. Huc vt perueniat, honesta suadet, facienda præcipit, nefaria vetat. Prima ratione bonis consulit, altera errantes retrahit in viam, tertia scelestis resistit. Hinc omnis vitæ & honestas & quies. Lex est scripta aut non scripta. Hanc natura insculpit animo, & est inter effectus rationis. Hanc ipsam supra demonstraui cùm ei indidi nomen conscientiæ, contra quam quicquid committitur huius naturalis legis iniuria est. Qui huius legis obseruans est, apud hunc scripta superuacanea est. Nam legem scriptam nihil nouum docere aiunt, sed eius hominem quod obliteratum fuerat, admonere. Nullæ item sunt partes cogentis, vbi æqua sponte expetuntur. Apud quemcunque conscientia obruta & sepulta est, ibi verò emergit scripta lex, quæ quod illa suadere debuit, cogit, ac prohibita transcendentem coërcet ac punit. Illa ergo cupiditates, libidines, prauos mores excludit, hæc receptos & inualescentes comprimit. Posterioris huius legis ope multa hominum millia alioqui immansueta coguntur mansuescere, & societatis causa in vnum corpus coalescere. Hoc est ferocioribus frænum, inualidis auxilium, vniuersis præsidium. Legis custodes & ministri sunt magistratus, qui assidua iurisdictione suam vim legibus & autoritatem accommodant. Nam quod legis sanctitas & religio iubet, hoc ipsum magistratus imperium cogit.

CAP. XVIII.

De crudelitate quæ vult videri seueritas.



PECIEM seueritatis frequenter assumit immane prodigium, cui nomen crudelitas. Huius virtutis specioso prætextu suæ atrocitatis fœdissimas maculas occultari posse putat; cùm tamen seueritati non modò non sit affinis, sed planè hostili animo eam excludat. Crudelitas est voluntarius morbus animi vltionis cupidi, ac diri & atrocis in exigenda pœna, sempérque inclinantis ad superiora. Quicquid item ferum & immanem animum oblectat, ea est ipsissima crudelitas. Si mauis, crudelitas est immitis, immisericors, planè hostilis contra humanitatē animus, cui huius aut illius supplicium voluptati est. Crudelis ita describi potest, vt sit spiritibus implacabilibus, mente pauidissima, habitu atroci, gestu ferino, oculis trucibus, vultu perturbato, toruo ac truculento, voce inhumana, corde inamarescente, pectore fellito, lingua rabida, manibus cruentis, feritate inexplebili, totus concitus, furens, mōstrificus; is, cui iracundia perennes lentásque flammas subiicit; vnde totus feruescit, & omnia charitatis vincula disrumpit. Quid multa? Crudelitas est ferale monstrum exortūm in perniciem generis humani. Crudelitas est filia furoris. Furor est iracundia genitus. Vt hæc est ira contumax, pertinax & indomita, ita crudelitas est iracundia inueterata, hoc est obstinata, sibíque indulgens ira; qui est morbus fœdissimus, vnde iracundi vocati sunt morbosi. Ira, iracundia, crudelitas sunt inuicem implexa, & vno ferè partu edita vitia. Sed vt ira & iracundia priuatæ sortis hominem insanum faciant, certè vix & ratò ad crudelitatis effectus excrescunt, metu, scilicet, pœnæ. At crudelitas plerunque ipsis se imperantibus altius insinuat. Horum præcordia simulátque insedit, exoritur bellum, & quidem internecinum quod contra humanitatem geritur. In hoc tantūm iracundia & crudelitas dissident, quòd illa insurgit in vltionem acceptę iniuriæ. Crudelitas sæpe nec lęsa, nec lacessita

sita erumpit, ac frequenter iniuriam sponte euocat, vt sit, vbi sæuiendo sese oblectet. Iracundia perrarò sanatur, crudelitas nunquam. Nunquam hoc portentum obstinatissimos, sæuissimosque mores deponit, quos potiùs impensè fouet. Huic ostēto ignauia est indiuidua comes, & promptissimum homini crudeli suffugium. Veterem euolue & nouam historiam; Quoslibet torpētes, meticulosos, ignauos reperies fuisse homines crudelissimos & sceleratissimos. Quippe vt perpetuo metu percelluntur, vt cōsciētia stimulatur, vt sua libidine cruciātur, ita ab omni humanitate dereliquuntur; nullæ sunt eis cogitationes nisi atroces, nulla destinata nisi cruenta, nullus sermo nisi procax, atrox, impurus; suo deterrimo affectui remedium a crudelitate mutuantur, id agunt vt suam crocotam contectam spolio leonis gestent quasi terriculamentum multitudinis. Si quas fortè habent puniendi causas, eas audacter ostentant pro seueritate, quæ tunc suū nomen amittit, cùm nullum habet modum. Hinc tot illa nomina quæ solis sæuitiis clarescunt. Id vnum, scilicet, homines loquuntur quod illa ferrea corda, & cruentæ manus perpetrarunt, sæpiùs duratæ in supplicia innocentium. Crudelitatem ergo circūmsistunt hinc ignauia, hinc arrogantia, quarū interuentu omnis ignoscentia, omnisque sensus miserationis planè frigescit, sola feritas efferuescit. Huius tantæ diritatis blanda nutricula est mollis ac tenera educatio, qua plures eneruantur, eneruati ferociūt, emasculati crudescūt. En aspice istos corruptiùs quam̄ casti mores postulant, habitos, qui vel ab ipsis prope incunabilis sæuis sese lusionibus exercent, quæ sunt eis bullæ nobilitatis. Quid istis dicas esse damnatius? Hinc quoque agnosce sapientiā Areopagitarum, qui in eos seuerè animaduerterunt, quorū alter in ipsis pueritiæ annis coturnicum oculos eruisset; alter viuo arieti corium detraxisset. Sic enim omnem rem interpretati sunt, eum qui adhuc tener cum alite tā atrociter luderet, eumque qui in feram tanta sæuitia ferretur, iam suscepisse in se scelus, præ se ferre argumenta mentis crudelissimæ, quæque iam tunc multis perniciem minitaretur. Et verò ab inhumanis istis oblectamentis feri isti, iamque immanitate notabiles pueri, priùs in suppliciis ingeniosi, quàm vllam timoris Dei partem edocti sensim transeunt

ad humanum cruorem cædibus admoueri incipiunt?& inter laceratorum ac morientium gemitus ludibundi agunt; iamque ipsis aliena suspiria sunt optabiles iucunditates. Hinc sensim adolescit illa insequenti ætate luxurians, iãque altiores radices agens, postremò hominum calamitatibus nobilitata crudelitas. Hinc quoque sæua illa blandimenta sæuitiam meditantium, & mitiori aliqua attrocitate immania facta temperantium donec effusissimæ crudelitati locum inueniant. Nec mirum si exoriuntur diræ populorum execrationes in eos, qui omne humanum fœdus animo eiecerunt; qui diritatem teneris animis conceptam ita auxerunt, vt nihil nec sciant, nec possint nisi inhumanè facere. Hinc honestissimi homines flagris cæsi torti, trucidati. Hinc multa innocentium millia absumpta in sæuitiam, & ad satietatem alicu ius luti sanguine macerati, Hinc illa, quæ omnia conspurcat victoriæ decora, mens immitis, & insolentia insatiabilis. Hinc animus ferreus. Huius notæ fuit Achilles, is, quem non solùm Thetis pepererat, sed Chiron elaborauerat, planè hic quidem diuersus ad educatione sua. Quippe in Hectorem prostratum tanta animi ac verborum atrocitate fertur, vt eum vocet canem, cuius carnium se esurientem esse crudelissimè profitetur. Ex hac ipsa matrice sunt cædes cædibus cumulatæ, sanguine sanguis expiatus. Hinc amnes occisorum cædibus infecti. Hinc ad libita luparum decollati innocentes. Hinc & immerentes culeo insuti. Hinc filij in parentum conspectu truciditati, Hinc cœnæ illæ Thyestææ, Hinc viuis eruti oculi, ac nares detruncatæ, & quidem totis populis, cui rei illa Rhinocolura argumento sunt. Hinc illæ tot numero mortes, quot vulnera, lacerata viuis menbra, aliæque in viuis corporibus crudelissimæ deformitates. Hinc amici feris obiecti, & in conuiuas lanceæ contortæ, tum corpora insepulta, & feris obiecta. Hinc illa omnem feritatem excedentia vota, quale hoc, vt ingens ac dominus terrarum populus vnica ceruice detruncari posset. Hinc pisces ob leuissimam culpam humano sanguine saginati. Hinc ænei tauri, in quibus innocentes, subditis ignibus, sunt aliquando gemẽtes exauditi. Hinc illi qui vix vitam vagitu salutauerant, ab ipso vberum suctu abstracti, necatique. Hinc balneatores, quòd aqua fortè tepidior

pidior esset, in ardentem fornacē coniecti. Hinc illa monstra Neptunia. Hinc denique illa hodieque ominosa nomina; quorum multimodis est celebrata crudelitas, Cyclopes, Cerciones, Læstrigones, Busirides, Scirones, Phalares, Cephrenes, Sennacheribij, Typhones, Gyges, Cambyses, Amestres, Syllæ, Tiberij, Caligulæ, Nerones. Domitiani, Polliones, Commodi, mōstra monstrosissima, luctus, pestes, totarum gentium vastitates.

CAP. XIX.

Crudelitati natales sunt excandescentia, ira, iracundia, odium.

QVIA dixi crudelitatem esse iracundiam inueteratam, & iracundiam esse iram sibi indulgentem, restat vt, quid excandescentia, ira, iracundia sit, id quoque expromam. Non sum nescius excandescentiam distingui ab ira, dicique iram nascentem, & modò existentem. At iram esse excandescentiam iam valescentem, iam nescio quid vltionis meditari incipientem. Iracundiam item esse ipsam vlciscendi libidinem iam adultam & corroboratam, iam naturæ commistam, eorum proprium vitium qui dicuntur exisse è potestate, nempe mentis, ideóque sunt constringendi. Atque adeò iratum differre ab iracūdo sicuti ebriū ab ebrioso. Hęc vt vera sint, non ideo tamen hîc plura vitia fingimus, sed vni vitio plura nomina imposita intelligimus; & si nascens distinguimus ab adulto, adultū ab inueterato, eoque quod iam transiit in mores. Ergo istis vocabulis, ne rem per se facilem anxiè distinguendo difficilem reddamus, promiscuè nos quidem vtemur. Hoc vitium, cui nomē excandescentia, ira, iracundia, est motus & concitatio animi, quam progignit dolor is, qui concipitur ex apparente sui, siue suorum contemptu, aliaue opinione iniuriæ, cuius vlciscendæ libidine stimulatur. Si mauis, est animi acerbitas, amarities, vesānia. Vt irę initium est opinio acceptę iniurię, sic meta ad quam incitatissima decurrit, est vltio. Vt nullus affectus est ira celerior, ita nullus est vlciscendi cupidior,

nullus concitatior. Nullus mortalium non huic morbo ob noxius est, ne illo quidem excepto, cui iam ad virtutem multa est facta progressio. Cū hoc motu nullus sit insidiosior, nullus fallacior, à nullo humana conditio citiùs circumscribitur. Iratus rem, vt est, nondum videt, ac tamen iam totus tumet: propemodum vt canis, qui ad leuissimū strepitum, visumue latrat; nec discernit quis ille sit, quo audito visoue latrat. Ea re prudentum vetus est præceptum, Vnumquemque sibi debere præripere causas iræ, ne ea implicetur. Qua prouidentia nulla in toto vitæ stadio est cōmendatior. Qui modò sapiat nullus est qui in pugna equū frænet, omnes ante pugnā. Nec qui sitit, vt sitim extinguat tunc demū puteū fodit. Eadem ratione contra omnē intemperantiam non serò animus commonefaciendus, sed maturè muniendus est, ne facilè prolabatur ad hoc vitium. Ergò statim vt primum iræ germen in pectore oritur, vir moderatus subsistit, gradum suspendit, non sequitur quà animus ducit, sed quà ratio monstrat; illico pedem refert, non properat, sed sibi spatium ad iudicandum sumit. Intelligit enim in properantia nullū esse iudicio locū, neque quicquam ibi confestim sequendum, vbique pleraque sunt præcipitia. Se ergo tunc potissimum attentiùs colligit, tūc se totum curatiùs circumspectat & componit. Hoc exemplo & Socrates, & Archyta Tarentinus, Cæderem te, dixerunt, hoc est, supplicium à te sumerem, nisi irascerer. Ipse Augustus à doctore sapientiæ didicerat, vt vbi irasci cœpisset, quatuor atque viginti Græcas literas memoria recēseret, vt illa cōcitatio, mente aliò traducta, parui tēporis interiectu languesceret. Hac & simili aliqua ratione primis motiunculis huius furoris, cui nomen ira obuiā iri potest. In hisce principiis tam formidabilis hostis excipi & expugnari debet. Hic ergo se sapiētes regunt, aut monēti ac regenti obtēperār, certè primis ictibus scurū rationis opponunt, Moram hic quidē, cuius ope bona consilia valescūt, adhibent. In hac nascentis iræ cuspides retundunt. Quod ceræ aut glaciei est ignis, hoc est iræ mora. Mora primus ille furor vanescit, & in eius locū mansuetudo succedit. Mānsuetudo confestim germina huius tam diri affectus proterit & obliterat. Quocumque in statu vir cordatus est, siue ei sunt læta omnia & prospera, siue aduersa sēper ei placida

da mens est. At stulto semper mota. Sapiens omnino extra iram est. Sapienti proximus huic morbo se statim eripit. Ipsam lapsionem timet, ne hinc ægritudo ingrauescat; ne illa tam prompta ad iram procliuitas, quod Græcis est τὸ θυμῶδες toti se homini insinuet, eumque occupet; & in ipso euertat eam animæ partem qua ratio continetur. Nec enim ira, vt quibusdam placuit, est impetus masculus, respectu aliarum cupiditatum, quas dicunt esse fœminas, ac proinde fatuum ac stolidum, tardum ac stupidum esse eum qui nescit irasci. Etiam Homerum huius rei audent adhibere sicuti probatorem huius affectus, vt iucundi, eiusque qui sit melle dulcior, atque adeò euidens argumentum bonitatis, facilitatis, simplicitatis. Hinc sibi fingunt laudabilem nescio quam iræ mediocritatem, qua naturales impetus incitari, & intendi firmant. Ne multa, iram laudant sicut vtilitet à natura datam, & quandam veluti cotem fortitudinis. At nos dicimus, rationem in arce humanæ compaginis esse collocatam. Iram verò & cupiditatem locis discludi, atque vtramque esse subter præcordia. Vtrique ergo compescendæ diuinitus est missa ratio, & homini data sicuti domina & imperatrix. Huic cùm satis sit virium, nullius, scilicet, externi adiumenti est indiga. Ridiculè aduocet sibi auxilium perturbationis, temeritatis, amentiæ, quarum ipsius generosi spiritus sunt debellatores ac triumphatores. Qui illa, quæ dixi, sentiunt, videntur non audere interimere hoc vitium, sed cum eo ad pactiones venire, & aliqua irarum mediocritate esse contenti. Neque attendunt, iram esse perturbationem rationi inimicam, ac mentem ipsam abalienatam, quæ sæpe obuio cuique deridēdam propinat. Ridet Deus, inquit Æschylus, super homine feruido. Animus feruidus nihil aliud est nisi quoddam subitum acumen multa amaritie tinctum, cuius vel leuissimus tactus hominem asperat, ac morosum reddit, contentiosum, pusillum, infirmum, ad leuissimum motum cuiuslibet auræ vacillantem. Verè dicitur, iram esse particulam illius ignis, quem Prometheus Ioui subtractum principi limo addidit, & humano stomacho apposuit. Et primò quidem est igniculus, mox veluti flamma solida & erudita ingenia præteriens vio-

lentiùs ac diutiùs leuia corripit, fera obsidet, incauta vt ventosa perducit ad furorem. Nam quoties quispiam irascitur, toties insanit. Est ergo ira argumentum pudendę leuitatis, infirmitatis, insaniæ, etiam in iis qui alioqui multa laude sunt spectatissimi. At, inquiunt, boni viri facilè & admodum irascuntur. Quin & hinc deprehenduntur esse & simplices & aperti. Quis negat? Non tamen non corripiēdos dixeris eo ipso quod in iram tam facilè prolabuntur. Nihil, scilicet, eorum quæ ipse vir bonus dixerit aut fecerit iratus laudabile esse potest. Specta iratum; Aduertes eum ex ipso corporis habitu, è gestu, vel momento esse factum dissimilem sui, & à ratione transfugisse ad animi impotentiam & cupiditatem. Eadem est ratio fœminarum, quæ plerunque sunt viris iracundiores, vt pueri senibus, hi florentibus, ægrotantes valentibus, miseri felicibus. Se, suos, sua ignorant. Vsque eò manifesta cæcitas, proteruitas, sinisteritas eos inuasit. Quippe ira vt nata est, iam rabida, iam venenata, iam sibimet inimica facta est. Adhuc tenella iam tota acri felle concaluit; iam tota sui impotens, ac proinde nullius rei potens est; continuo alieni iuris est. Homine irato nihil est ad omnem contumeliam proiectius. Intimè totus ringitur; veritatem odit, errorem amplectitur, aduersus bene monentes pertinax est, si praua suadentur, sequax. Propriæ existimationis oblitus, propriæ salutis inimicus vela dat furori. Nullum dolendi, nullū rabiēdi modū facit. Totus est contra se contumax, indomitus, implacabilis, proximis molestus, acerbus, intolerabilis. Rationi ereptus insaniæ traditur. Iratos in mutuā perniciē atra bilis accingit. Hos vt aspexeris, ne quid vltra sciscitatus fueris. Quib. est animus turbidus, his aduertes corpus esse nihilo deformius. Cùm inibi sunt vt loquātur, ipsis plectra linguæ rota hebent. Fracta inde verba erumpunt, atque vt è cruēta pugna saucius miles, inter anhelitus eluctantia, dimidiata, trunca. Fauces aridæ, voces rabidæ, palatum amarescens, lumbus dolens, poples tremens, oculus fluitans, capillus horrens, gradus vacillans, omnis sensus errans. Nullus iratus non suæ conditionis immemor est. Tenuis dispergit opes, priuatus imperat, debilis fit leo, panthera, draco. Vbi cunctandum, properat; vbi festinandum, hæsitat. Non sibi placet, si non totus est igneus, si non

totus

totus ex homine labitur in bestiam, mente pugnax, lingua minax, gestu ferox, manibus intemperans. Nequissimum quoddam hominum genus violentos animos altiùs condunt, dum lentis quibusdam ignibus macerantur, hoc magis detestabiles quòd lethaliter icti sanitatem simulant. Sed vt summus oratorum ait, color, vox, oculi, spiritus, denique impotentia dictorum atque factorum quam partem habẽt sanitatis? Quòd si hæc pestis ipsos quoque rerum dominos, aut vniuersos inuadit, tunc verò mala quæ sunt ab ira centuplicari constat. Quæ enim in priuatæ sortis homine dicitur iracundia, ea verò in summo loco, in cunctis, in tanta malefaciendi licentia, in tot, tantis, tamque obuiis ac frequentibus occasionibus est superbia intolerabilis, ipsissima crudelitas. Quicquid priuatus, qui sit iracundus, animo prauum concepit, id princeps aut vniuersi momento patrauerint. Cùm ille cuipiam malum dare cupit, hic iam dederit. Illius quamlibet præceps & insana cupiditas sæpe nullo effectu terminatur. At illa ipsa in principe cupiditas iam est feritas circumfusa eorum agmine portentorum quæ hæc Erinnis secum trahit. Habet enim sub pedibus quos calcet, sub ictu quos feriat, in faucibus quos glutiat, in vnguibus quos laceret. Itaque persapienter Demonax cuidam quærenti quis optimè imperet, Is, inquit, à quo abest ira. Nam cùm principatus iussu & pœna contineatur, quî fieri potest vt is qui ad vtrumque iratus accesserit, teneat illam mediocritatem quæ est inter nimium & parum? Ergo vt iussum æquitas, sic pœnam moderatio comitari debet. Certè τὸ κολαστικὸν, summa illa puniendi facultas, ad cuius mentionem homines contremiscunt, antiquitas docuit esse è decreto Iustitiæ, eorúmque Deorum quos vocabant vltores. Hi si non humanis rebus præsiderent, si nulla in mundo esset vltio, enimuero apud plures benefacta & male facta in æquo ponerentur. Ergo vt actio puniendi, si à legis præscripto non discedit, est opus diuinum, ita si iræ obtemperauerit, si modum excesserit, est ministerium furiarum. Ipsa quoque Nemesis præclarè intelligit, se esse ministram iustitiæ, non flagellum dæmonum. Atrocissimos esse iræ effectus quotidiana experimenta docent. Multitudinem ira concitatam nemo rexerit. Tota seditionibus sæuit; ac procusas gladiorum acies in se vertit.

Exercitus hinc fit immemor disciplinæ militaris, & armatur in suum ductorem. Familiæ nihil spirant nisi mutuum sanguinem. Totis ciuitatibus, si irasci, hoc est, insanire occeperint, adest exitium. Omne humanum fœdus rumpitur; omne fas animis eiicitur. O morbum sænum, & insanabili proximum! Hunc quoque nimia educationis mollities ex sese gignit; fatua inquam, parentum indulgentia, stultarúmque matrum ineptissima blandities. In pectusculis ingentes iræ iam sat loci inueniunt. Iam puelli arbitratu suo licentiùs & soli ambulant per plateas. Ibi plus mali exempli auribus & oculis hauriunt, quàm boni. Laudabilis mos Romanus quo non licebat puero decenni incomitato & incustodito ambulare per vrbem. Sed cùm hodie pueris omnia libeant, & ipsis quicquid libet, liceat, quid miramur, si nullo metu aut respectu iam toti sunt in fermento, si non illico ipsis de familiari, de ipso magistro, de ipsis parentibus satisfit? Ergo & procaculo & audaculo concedi necesse est quicquid lasciuiens animus concupiuerit. Maturrimè natæ iræ maturrimè radicescunt, sensim grandescunt, denique valescunt. Tantum abest vt vllo ætatis auctu euelli, aut saltem extenuari possint, accedente potissimùm insolentia, aliísque non mediocribus vitiis. Qui seueriori educatione poterant fieri mansueti primò fiunt catellis iracundiores, mox pauone tumidiores, lepore meticulosiores, asinis petulantiores, felibus aut lupis rapaciores, gallis contentiosiores. Hinc denique procuduntur illa ostenta sanguinaria. Nec Deo nec vlli hominum homo iracundus placere potest; haud sanè magis quàm ille præposterus minister, qui nondum percepto herili iussu, veluti turbo huc illuc fertur, nihil ordine, omnia præcipitanter agens. Quiqui estis, desinite putare vos esse aliquid, continuò mitescetis. Si te inferiorem non maiorem duxeris, desines commoueri. Quippe irasci maiori aut potentiori ipsi stulti stultum ducunt. Ex ira sensim configuratur odium, quod breuiori interuallo videtur ab ratione distare. Nec enim plerumque odium, vt ira, statim emanat, sed meditationem adhibet. Sed, vt ira, semper in vltionem intenditur, nocendi tempus & occasiones obseruans. Prorsus eo homine qui & sit ingenuus & probus, indignus affectus. Odisse est nota hominis praui; non odisse, generosi. Ergo nō minori cura quàm

ipsa

ipsa ira odium exturbari debet; cùm odium nihil ferè aliud sit quàm ira latens, senescens, inueterata, pertinax. Cæterùm quempiam odisse est se illo, quisquis est, minorem fateri. Odium est inimicitiarum radix, & seminarium calamitatum; Est amoris, beneuolentiæ, amicitiæ venenum. Quàm amor inter quoscunque est, expetendus est, tam execrabile odium, & odio peior improbissima odij dissimulatio est.

CAP. XX.

Ex iisdem vitiis nascitur superbia quæ est crudelitati congenita. Superbia diuersa est dignitas.



RVDELITATI insolentia, siue arrogantia, & superbia vsque eò sunt contubernales, vt nullus sit crudelis, qui non idem huic portento seruitutem seruiat, quod hoc trino nomine demonstrari constat. Superbia est existimatio propriæ præstantiæ & magnitudinis coniuncta cum contemptu aliorum. Prior illa Græcis est οἰηματία, siue δοξοσοφία. siquidem hoc vitium originem trahit à falsa opinione sui. Superbus is est qui de se nihil sentit nisi magnificè. Se vnum putat esse caput columénque rerum; cæterum multitudinem præ se haud homines ducit. Est prorsus alter Astudamas, aut Narcissus, falsa sibi vindicans, & ostentans bona quæ non habet, cuius typus potest esse cycnus, ales ceruicis arduæ. Sunt qui superbiam distingunt ab arrogantia. Arrogantiam dicunt esse tumorem verborum, saeuitiam in quotidianis congressionibus & victu communi, insolentiam in gestu. Hinc fieri simiam grauitatis, non sine aliqua nota impietatis. Certè quorundam virtutem amplectimur, quorum, si sunt arrogantes, fastidium ferri non potest. Nos non tres, sed vnam facimus. Neque enim de homine insolente & arrogante quicquam dici potest, quod non idem superbo conueniat. Nec tamen dicimus superbum ire per alta, id quod est virtutis opus, sed per abrupta, quod est socordiæ ꝓpriũ. Optimus quisq; fateor, altissima cupit & conatur, sed eadẽ licita, vniuersis vtilia, quęq; pręclaro adornãtis animo,

præſtati poſſunt. At ſuperbus ea ſibi ſpondet quæ nec ſunt,nec futura ſunt.Nec enim reſpicit ſuas vires, ſed inſanas cogitationes intendit in ea,quibus eſt impar.Demēs altè ſpectat,nec aduertit præcipitem,quo conſtitit,locum. Scitè & ingeniosè Græci huic vitio nomen quoque fecerunt, ἀπόνοιαι παρὰ τὸ ἄποτεν εἶναι τὸν νοῦν, ab eo quod longè ſummota mens eſt. Et verò hominis ſuperbi mentis propria cæcitas eſt. Qui enim fieri poteſt vt is quidpiam videat, qui ne vmbram quidem ſuam videt?Nam ſi videret, aduerteret non eſſe tantam, vt alij ſub ea latere poſſint. Archidamus, qui fuit filius Ageſilai, Philippo per literas nimium propter victoriam apud Chæronæam partam inſoleſcenti reſcripſit,Metire vmbram tuam,non eam inuenies factam longiorem ex quo victor extitiſti.Superbus æquum cenſet,nutus,annutus,renutuſque ſuos eſſe ius quo ſe omnes teneant. Si ſeſe intimè excutit, nihil reperit niſi ipſam inanitatem. Quæ tamen in ipſius animo mirum dictu quam tumeſcat. Se enim identidem ſufflat opinione ſui, quam fatuorum adiuuat magniloquentia,ſtultiloquentia, falſiloquentia. Eſt ille ipſiſſimus Cumanus aſinus,cui ſuperiectum ſpolium leonis cùm non ademiſſet aſperitatem vocis, nec obtuſum ingenium acuiſſet, ſe tamen leonibus additum gloriabatur. Sunt ergo homini ſuperbo ſpiritus magni & intolerabiles, iidem & praui & pertinaces,quos perſonati faſtus continuò produnt. Dum id cauet ne tangat humum, quod Græci dicunt, ἀεροβατεῖς totus eſt in aëre, in nubibus, in inanibus.Totum ei ſalit,ſubrigetque ſupercilium, oculos ambulando circumfert, eloquio tonat, vix quemquam niſi per interrogationes alloquitur, tragicum indutus cothurnum totus perſtrepit, totus vltra mortale tumet.Suus ipſi faſtus ſunt magna latifundia. Ibi ſeſe admodum effert,aliorum contumelioſus extremuſque contemptor. Vel ſolum introitum ſui liminis putat eſſe magnum munus, ſuum aſpectum radios ſolis, ſuam allocutionem, menſam Deorum. Hoc vitium omnis generis hominum mentes occupat. Ipſos pertenues videre eſt inflata ceruice ſuffrendentes. Ignaui, nullique rei homines etiam aſpiciuntur cothurnati. Mercatori ſiquid noui lucri obiectum eſt,continuò præcordia tument. Iam per maritimas oras per quietem circumuectatur, iam regias opes,

regiam-

regiamque potentiam meditatur. Nobilis totus turget, ac de generis antiquitate audet contendere cũ Cecrope. Vix vllus est paulò beatior, quin adiungat sibi superbiam comitem. Ipsa literatorum secta mirum quàm citò insolescat Cuius aliqua scriptio exiit in publicum, is iam metitur magnitudinem nominis sui, nullos alios nisi de se, suaque multiplici eruditione vsquam sermones haberi autumat. Quippe isti plerunque vt aliena contemptim aut malignè ita sua cum admiratione legunt, malis musicis similes, qui quantum aliis molesti sunt, tantum sibi placēt. Admodum scitè Demetrius Philosophus aiebat. Supercilium non esse pusillum, negligendumque membrum, sub quo, videlicet, omnis vita vmbrari & obscurari potest. Tam importunos homines verè alteros Polyphemos dixeris. Est mihi, inquit ille apud Theocritum Cyclops, hirsutum supercilium per totam frontem ab aure altera ad alteram protensum. Hoc tamen tam vastum portentum excellenti se pulchritudine præditum firmabat. Primus ac verus doctrinæ fructus est, ponere arrogantiam, id est, persuasionem sui, ac dedignationem parēdi. Ignorantia, quòd est vacua & inanis, ceruicem subriget sicut spina inanis, cùm plena & durior se ipsa demittit & incuruet. Vtinam docti, quod huc pertinet, non lyram imitentur, quæ se non audit, sed suis quisque præceptis obtemperent. Iurisperitus, nullo Mose, nullo Zoroastre, nullo Lycurgo aut Solone est minor. Ac ne vllus quidem medicorum Æsculapio aut Chirone. Iam vt alteri Alexarchi effingi volunt vt soles. Iam se quisque vt Menecrates ille Iouem nuncupat. Ipsis ergo rescribendum esset illud Philippi, Menecrati sanitatem. Suadeo vt te ad Antycyram conferas. Hoc ipsum dicendum fuit Nicagoræ illi qui sibi assumpserat nomen Mercurij, huiusque numinis indutu conspicuum se fecerat. Nulla professio non habet suos Thrasones. Ipsimet fortunatorum serui iam sunt ipsis dominis intolerabiliores. Martis asseclæ plerumque vt Oetus & Ephialtes grandia incedunt, vix paganos nisi Tirannico vultu intuentur. Ipsos summi loci homines vt otium eneruat, sic fastus infatuat. Humanæ sortis obliti iam cœlo se contiguos putant. Iam multitudinem pro ignobili agitare mancipio, id verò suæ magnitudinis documentum exhibent. Constantij illius simiæ, qui æter-

nitatem meam aliquoties subserere ipse dictando, scribendoque nõ dubitauit. Vix est vt non in principis nutu, aspectu, gestu, incessu, nominẽ ipsa habitet superbia, cuius suasu quandoque nec senatui, ac ne vniuersis quidem se assurgere æquum putat. Cæterùm è superbia, sicuti è virulenta radice, omnigena vitia pullulare constat. Superbus idem est morosus, contumax, obsequij impatiens, contentiosus & rixator, cupiens nouitatis, improuidus, etiam inuidus, gloriosus, insatiabilis, furiosus, simulator ac dissimulator improbus. Hinc omnia dedecora sobolescunt, hinc omnia flagitia fruticescunt. Ipsi Deo superbus impias videtur intentare manus. Superbis Deus resistere dicitur, ac, sicuti ab Titanibus oppugnetur, impiis conatibus cogi opponere scutum potentiæ suæ, denique socordes, stolidè ferocientes, atrociter furentes proturbare, prosternere, proterere, & quidem solo spiritu oris sui. Nullus ergo loco tam fragili stat, quàm superbiæ pertinacis homo. Huic enim à tergo Deus imminet seuerus iudex & vindex. Sedem stabilem nusquam superbia sortita est. Cuius elatum supercilium videris, ab hoc scito haud longè Nemesim abesse. Superbum caput priùs tonitru conterritum cœlesti igne deflagrat. Nunc homo, quisquis es, gloriare te esse aliquid, quem vno momento quælibet res creata iussu creatoris extinxerit. Quid ergo grande tumes? Nõ nescis te esse ventum, & si quid ipsa inanitate inanius est? certè plus flare quàm posse: Grãde tu quidẽ despuis, pituita, scilicet, & crassiore saliua abundans. Respice exitus eorum qui se superbis institutis censeri voluerunt. Agnosce quàm fuerint amari, infausti, funesti. Thamyris gloriabatur se cantu posse Musas vincere. Huic ergo Musæ priùs excæcato abstulerunt facultatem canendi, eique omnis citharistriæ artis obliuionem iniecerunt. Vel minimus ictus virtutis ferociam magnæ superbiæ prosternit, propemodum vt arida satio sæpe vincit solum tumens ac pingue. Bellerophon suas res gestas pernimiùm ostentabat. Idem cum esset mortalis, pegaso insidens impudentes oculos in cœlum immittere, ac de diuinis operibus iudicare ausus est. Hunc ergo Iupiter furori manciparum inde deturbauit, & cæcum & erronem esse iussit. Atque adeò, quo magis vreretur, ei ademptum equum Ioni concessit, quo vecta promptiùs & faciliùs

ilius mundi regiones perlustraret. Aiacem à Neptuno, ob olam insolentiam adactum vt gladio incumberet, Poëæ non absurdè sunt commenti. Tarquinium specta vnà um filiis, detestabilia, & superbiæ cognomine nobilitata omina, quæ Romanum regnum extinxerunt. Nula superbia diuturna, nulla fælix est. Quapropter natus nortalis, siquid sapis, noli sapere supra Deum. Si modetia omnia temperaueris, si quicquid tibi Deus concessit, nansuerè tuleris, tibi verò omnia futura sunt læta & canida: Memento te esse hominem: Caue id affectes quod st supra sortem tuam: Ne insanis cogitationibus pectus nple, sed time. Nec tamen vero eos homines qui unt pignora salutis, & securitatis publicæ, tantum sibi arogare, quantum alienam insolentiam vitare, ac se à contemptu vindicare possint. Certè inniti sibi, & suas dores osse, proprium est virtutis, quæ est amans reuerensque ii. Neque quisquam melius virtutem nouit, quàm qui ius domicilium factus est. Huius excellentis notæ fuent prisci illi, nec refert, ficti an veri, Achilles, Neor, Vlysses. Certè verus Scipio Nasica, cuius hæc sunt erba, Tacete, quæso, Quirites, Plus enim ego quàm os quid Reipubl. expediat scio. Dictum non insolentiæ, ed conscientiæ. Quisquis præclarum hunc ex animo timulum exemerit, eâdem viaticum virtuti dempserit. Quisque se vt amet, est naturæ lex, dummodo intra moum. Non desunt qui superbiam ostentant pro dignitate. ed quàm illa tota in vitiis, tam hæc in virtutis censu est. Dignitas est id decoris & autoritatis, quod sibi quisque à irtute tributum in sua persona circumfert. Huius est obseruantissimus quisquis nouit excellentiam virtutis, in uius sola appellatione est summus honor. Hic honos aud magis abscondi & latere potest, quàm illa cœlum ondecorantia lumina. Dignitas est à dignatione, hoc est, onis præclarísque factis amplificata autoritas. Hoc à superbia distat, quod superbia vna nititur opinione sui. Cuilibet insipienti ad superbiam pronum est iter. Semiam dignitatis arduam non alij tenent quàm sectatores irtutis. Est aliqua, fateor, in natalibus, pulchrituine, diuitiis dignitas, sed quæ statim deflorescit, si non irtute nititur. Hæc sunt insignia dignitatis falsò ia-

ctata. Scitè Demophon de Copreo apud Euripidem ait, Ornatum quidem iste Græcanicum & vestem gerit. Cæterùm hæ sunt manus hominis barbari. Non ergo dignitas in externo splendore, qui sæpe est simulatus, consistit, sed in moribus exscribitur, qui quales elucent, inde homo censetur. Ea verè dignitatis possessio est quam bonitas homini conciliat. Superbia vbicunque est, execrabilis est. Dignitatis apex, vbique suspiciendus ac venerabilis est, vbique ipsa morum nitore conspicua est, vbique vitæ splendore enitescit. Quemcunque dignitas condecorat, hunc medium statuit in iis, quæ sunt animi dulces delitiæ, eædemque solidæ, perennes, mansuræ.

Cap. XXI.

Altera iustitiæ comes est clementia, quæ nihil minùs est quam impunitas. Quibus rebus seueritas & clementia discriminentur.



IVstitia modò se per seueritatem, modò per clementiam ostendit, tātùm abest vt clementia seueritati obsit, seueritas clemētiæ. Cùm vtraq; sit magna, nobilisque virtus, nūquā nisi egregiè concordes agunt. Vnus vtriq; scopus est, i. prestare ne homines à iustitia deerrent. Sed diuersis itineribus huc tendūt, seueritas puniendo, clementia parcendo. Vtraque hominis innocētiā molitur, seueritas dū duris, verùm salutaribus exēplis deterret à peccando, clementia, dum homini indit verecundiam peccandi. Ergo seueritas desperatæ sortis homines tollit, Clementia errantes, sed non insanabiles emendat. In eo quoque sunt persimiles, quod vtraque adhæret rationi, vtraque cautè & feliciter vitat id quod plus æquo parum est. Neutra spectat sortem aut condicionem hominis, vtraque causam, seueritas vt bonam inueniat, clementia vt faciat. Clementia est animus temperatus, & ad lenitatem vergens vel in mediis occasionibus, & summa potestate puniendi. Non tamen est in alieno dolore indolentia, non in aliena calamitate securitas.

Non

Non item est solutior aliqua lenitas. Non est impunitas, qua quidē impunitate nihil est in Republica perniciosius, quòd vitia nunc prouocat, nunc proseminat, quæ clementia loco prompta promptè eliminat. Nec enim clementia magis quàm seueritas peccato fauet. Verùm seueritas iudicando est iudex necessarius, clementia condonando voluntarius. Clementia nequaquam tabella absolutoria obliterat seueritatis tabellam damnatoriam; sed suam profert quę ignoscit. Ad illius mentionem homines trepidant, in huius admirationem consurgunt. Nimirum ignoscentia delictum expungit, lapsum erigit, errantem ab errorum labyrinthis reducit in viam innocentiæ. Seueritas pœnam exigit, clementia contenta est pœnitentia. Nullæ preces seueritatem frangunt, Clementia facilè vergit in spem probitatis. Seueritas nullam puniendi causam omittit; Clementia nullam seruandi occasionem amittit. Vtraque auersatur crudelitatem. Quàm cæca & præceps crudelitas, quàm oculata, rigida, & indeflexa seueritas est, tam lenis ac tam circumspecta clementia est. Clementia non prorsus abstinet à causæ cognitione, sed rem omnem ita æstimat, vt eâdem hominem suæ bonitati reddat. Seueritas suis exemplis terrorem animis iniicit; Clementia leuissimis monitis eos à peccando retrahit. Seueritas improborum temeritatem compescit; Clementia generosissimum quemque acuit. Seueritas vbi fuit vulnus cicatricem relinquit; clementia vnum peccandi pudorem. Ergo seueritas non respicit humanam fragilitatem; At clementia huic potissimùm consulit. Seueritas pronunciat è formula legis; Clementia suasu æquitatis prostratum absque illo legis ministerio subleuat. Seueritas vel vnicum delictum punit more Persico; Clementia condonando abstinet ab omni æstimatione litis, & ab omni pœna; & eum qui peccauit non solùm vitæ reddit, sed honestati. Certè illa omnium præclarissima potentia est, quæ homines ad innocentiam perlicit, & apud quam sæpè locus est clementiæ, rarò vltioni. Est ergo clementia virtus seruatrix, intérque diuini numinis proprias excellentésque dotes meritò collocata. Dioscuri illi, hoc est Iouis filij proprio & excellentissimo epitheto donati sunt. Hos enim Deos seruatores antiquitas vocauit, vt hinc cæteri Dioscuri, hoc est reges,

F

quantum est summorum hominum intelligant se seruandis hominibus inuentos, non affligendis. Si in cœlo tantus huic virtuti est honos, perspicuè patet, quales in terris quàm delectabiles & salutares fructus edat. Enimuero cũ humana imbecillitate pessimè ageretur, si non ei cœlestis hæc virtus impensè opitularetur. Cæterum homo clemens quantum aliis condonauerit, tantum sibi ipse remiserit. Nam quicquid ille cui ignoscitur, admisit, potest is qui parcit, aut aliquid peius committere. Clementer quidpiam facere est sui ipsius misereri. Hic fuit priscus ille monitus, Miserere quisquis aspicis miseranda. Quisquis aliorum miseretur, hic omnia clementia & propitia experitur. In hac tãta rerum varietate ecquis tam iustus, tamque rectus est, quin periculosè & iustus & rectus sit? Ecquis ille tam firmus qui non stet in lubrico? Non priùs ille lapsus est, quem cadentem aspexisti, quàm tu ibi esses vbi cadere posses. Ergo & ipsa humana innocentia ita sibi fidit, vt eâdem clementiæ opem sæpe aduocet, nimirum inter tot fallacia, lubrica, præcipitia loca. Innocentiam cùm dico, eâdem humanam infirmitatem cogito. Nec enim clementia vlli improbitati protegendæ est obuia, sed infirmitati subleuandæ parata. Nihil quicquã agit nisi beneuolè cogitat, nihil agit nisi fauorabili quodã, humanitatis intuitu. Nulla ergo est in mũdo venia quæ non sit ab clemẽtia, quæ tamẽ multò latiùs patet quàm venia. Et quidem venia pœnam peccato debitã remittit, pœnæ causam non aufert. At clementia personæ notam demit, ipsamque infamiæ memoriam abolet. Denique illũ, cui subuenit, ita pœnæ eximit, vt nulla pœna dignũ iudicet. Porrò quod dixi, clemẽtia ipsã persæpe innocentiam subleuari, verum esse perspicuitur quoties probitas impia vitiorũ cõspiratione oppugnatur. Sæpe niueum innocentiæ decus criminum suspitionibus aspergitur. Nonnunquã, accusatrice calumnia, ei causa dicenda est, vt legitimè oppressa dicatur. Sæpe innocens id omne expectare necesse habet quod inimicæ libidini, impiæque criminationi complacitũ fuerit, sæpe falsis testimoniis circumuenitur. Tunc verò ad curã regnantis, ac sũmi prouidentiam magistratus maximè pertinet, has machinas fortiter euertere, & obiectu clementiæ illã aduersariorũ malignitatem repellere, idque præstare, vt illa cõposita fabula,

quæ

quæ specie summi iuris inducta est, iaceat consopita; eaq; stirpitus euulsa, in eius locum substituatur innocentię decus nitidum, purum, conspicuum. Quid multa? boni viri nota est, esse clemẽtem. Et cùm Iris illa Homerica Neptuno dicit, bonorum mentes esse στρεπταὶ plicatiles, siue flexiles, non hoc dicit, esse leues & inconstantes, sed ad miserationem veniámque pronas. O amica humano generi patronáque virtus, laborantibus subsidium, afflictis solatiũ, ægris medicina, errantibus viæ monstratrix, indefensis patrocinium, innocentibus præsidium, ne desere genus humanum. Omnes tuam opem aduocant, cùm peccare tam sit pronum, & innocentem euerti tam sit consuetum. Vt iustitiæ & seueritatis vocabulis infirmitas humana terreatur, certè ad vnam clementiæ mentionem prostrati eriguntur, iniuriæ metu collapsi subleuantur. Ne vim, ne iniuriam timete; Nulli vos subiti atrocésque casus perterrefaciant quos hæc tanta virtus suis æquissimis oculis aspicit. Hæc illa est quæ pro vestra incolumitate excubat. Hinc quoque perspicuè verum est, hanc tam præsentis opis virtutem illis potissimùm conuenire, qui modum virium in sua potestate positum habent. Cùm enim horùm præcipuum munus sit, ad sanctam æquitatis regulã omnia sua exæquare, & cùm clementia nihil aliud sit quàm ipsa æquitas, certè rerum potentes tuuc potissimùm æquitati dicuntur adhęrere, cùm clementiæ sunt cultores assidui. Eo quoque seueritas & clementia discriminantur, quod illius causæ plerunque sunt in propatulo; clementiæ momẽta librãtur in vna mente summi magistratus aut ipsius regnantis. Est ergo clementia principum & potentiũ propria virtus. Vt.n. verum sit, omnibus eam hominibus esse cõgenitam, tamen sua admirabilia & suspicienda opera potissimùm per eos edit, qui & rerum domini, & hominum sunt; quibusque in summa potestate summa est malè, summa benefaciendi licentia. Certè quoties is, cui in manu est ad seueritatem propendere, pronus est ad lenitatem, tũc verò omnia sui iuris fecisse, omnia in sua potestate habere dicitur. Est ergo clemenvia summus imperij character, ipsorumque regnantium decus altissimum, atque adeò vt præsens vniuersorum tutela, ita totius regni certissima salus. Exemplaria priscæ clemẽtiæ toto orbe sunt clarissima & celeber-

rima. Inter recentia eminet Henricus ille Quartus cognomento Magnus, non magis ob fortia facta, quam propter huius virtutis frequentissima experimenta futurus apud omnem posteritatem celebratissimus.

CAP. XXII.

Iustitiæ opponitur iniustitia. Huius partus est iniuria, cui affinis est contumelia.

IVSTITIAE inimica iniustitia omnium animæ partium dissidium ac dissensio. Est voluntarius morbus læsæ rationis, omniumque & vitiorum & criminum teterrima matrix. Iniustitiæ multæ sunt species; Impietas Deo inimica, iniuria, cōtumelia, inuidia, calumnia. De impietate iā egi. Reliquas nunc persequar, si priùs monuero. Omne praui facti propositū verè & appositè dici iniustitiam, at id quod peccatur esse iniuriam. Certè vnico iniuriæ vocabulo omnis generis peccata contineri constat. Omes effectus iniustitiæ sunt pessimi, etsi diuersi. In principe est tyrannis, in priuato contemptus obsequij, eorumque omniū quæ cōmittuntur in vtramque legem. Cæterùm cùm iustitiæ proprium sit, nihil iniustum aspicere aut pati, necesse est, quicquid iniustè fit, id est, contra ius & fas, id fieri in odium & contumeliam iustitiæ, quæ tamen ad postremum iniustitiam pessimè habet. Id quod non effectiùs ræpresentari potuit quàm in illa apud Elidē tabula, in qua matrona augustiore facie alteram mulierem quam formę dedecus mirè premit, fuste verberat, quarum illa iustitiam, hæc iniustitiam demonstrauit. Ergo iniustitia progignit iniuriam. Illa animum insidet, hęc prodit se in actionibus. Iniuria dupliciter fit. Aut enim ius & æquum subruitur, aut cùm ab alio subruitur, ab eo qui potest id factum nōn propulsatur. Sic ergo vtraque & definiri & describi verè potest, Iniustitia est peruersi animi affectus, quē stimulat malignitas & cupiditas nocendi, qui cùm perfecit quod voluit, tunc dicitur

citur iniuria. Cùm ambæ pro vna accipiantur, cũque horum vocabulorum vsus sit promiscuus, vtroque nos indiscriminatim vtemur, nimirũ nõ nescij iniustitiã esse omnium vitiorum malorumque scaturiginem; At huius & satellitem & ministrã esse iniuriam. Hæc verò capitalior est, quoties id quod iniuriosè fit ita concinnatur & adumbratur, vt videri possit benefactũ, beneficiũ, meritum. Planè est vitium illius, qui dummodo obsequatur libidini suę fas & æquum pro nihilo ducit. Ergo iniuriam non alius infert, quàm is qui est ab iustitia derelictus, homo videlicet, natus in detrimẽtum illius, in quẽ prauo studio fertur. Effectus iniuriæ vt plurimùm sunt tres, pulsatio, quæ personam, conuitium quod famam & existimationem, violatio, quæ pudicitiam spectat. Iniustitiæ & iniuriæ plures adstãt prõptissimi satellites, in his stultitia, fraus, vis. Stultitia summa in illo est, qui in quo minimà nocere potest, in eo prodit cupiditatem nocendi, veluti si quis mare verberet, vt Xerxes, aut inimici statuam flagris cędat. Fraus est acumen malæ mentis, & propria labes vulpeculæ; Vis nota alicuius belluæ ferocioris. Vtraque est ab hominis ingenio alienissima. Fraudi nescio quo pacto omnes sũt inferiores. Hæc enim versutiùs, ac tanquam aliud agens, & amicitiam simulans obstinatè in hominis perniciem insistit. Non omitto, iniuriam esse commune malum, illius à quo proficiscitur, & illius cui fit. Quippe huius animũ dicimus esse nimis humilẽ, seq; nimis cõtrahẽtẽ ob aliquod iniustũ in se siue dictũ siue factum. Etsi multò grauius est delictũ illius qui eam infert, quam eius qui eam impatienter fert. Ille omni vituperio, omnique pœna dignus est, hic aliqua excusatione non prorsus indignus. Autor iniuriæ, quantum quidem in se est, disrumpit omnem generis humani societatem. Sed is qui sibi illatam iniuriam agnoscit, non quidem iniurius est, sed euidenter prodit imbecillitatem animi sui. Siquidem ab ipso exigitur in iniuria tranquillitas, modestia, taciturnitas. Ille etsi est homo nequam, tamen eum ipse quidem hic non vlteriùs obiurgabo, in cuius vltionem omnia iura consurgunt. Siquidem iniuria vernans tandem metit luctuosam messem mortis. Propter iudicum iniustitiam Iupiter sæuis tẽpestatibus cõterit fructus terræ. Regum iniuriæ sunt regnorum extinctio-

nes. Neque tamen cessant homines. Quin vt feræ, si quis hinc momordit, alius illhinc remordet. Acriter certatur vtri sint peiores, propemodum vt ranæ strepitu contendunt cum cicadis. Vsque eò potentium adoratores deprauantur, vt iustitiam, æquitatem, pudorem accipiant pro ignauia ac torpore illius, qui iniustè facere nihil audeat. Harum prauitate rationum nimio plures impulsi si fortè incœperunt ab iustitia, desinũt in iniurias, & ab sua probitate libenter degenerant. Hoc genus hominum vinculis, carcere, aliisq; pœnis coërceri æquum aio, ijs quibus hoc scelus expiari solet. Nos istos suæ improbitati, suisque suppliciis relinquimus. Illi tantùm omni ope succurrimus quem iniuria circumlatrat. Hũc fulcire, huic adesse cupimus. Et in hanc partem libentiùs incumbimus quòd præclarissimus quisque vel leuissimæ iniuriæ intolerans est. Pauculos aduerto tam constantes, vt non huius aut illius obtrectatione debilitentur. Principiò quemlibet seriò monemus vt, quantum humano prouisu effici potest; iniuriam vitet potiùs quàm inuitet, aut irritet. Altero loco suademus, vt potentiorum iniurias is, qui tenuior est, non solùm patiente, sed & hilari animo ferre discat. Ex amicitia principis quidã interrogatus, Quomodo in aula ad tam grandem ætatem peruenisset, Accipiendo, inquit, iniurias, easq; nunc remittendo, nunc gratias agendo. Sic certè sapientes putant, Præstare quieta tolerantia sanari vulnera iniuriæ, quàm paratu vltionis etiam irritari. Postremò, cùm in terris nulla sit tanta nec magnitudo nec potentia in quam hoc portentũ vereatur incurrere, omnibus autor sum, vt aduersus quoscunque casus sapientiæ præceptis sic se roborent, vt nullo ictu ab recto sensu abduci possint. Ita, scilicet, est, iniuriæ tela in se recidere, quotiescunque in forte pectus cadunt. Contra quoscunque iniuria mouet, protitat, vulnerat, statim icti prosternuntur. Falsò illum rectum dixeris, quem iniuria inflexit, aut incuruauit. Animosè enim explodimus illos quorum hic est sensus, Si veterem feres, ea patientia nouam iniuriam inuitari. Nam contra, si veterem tuleris; noua ne ici quidẽ poteris. Vir sapiẽs ac fortis quò eum iniuria sępius ac violentius incursat, hoc eã frequẽtiùs & animosiùs repellit; hoc pluribus & clarioribus victorijs nobilitatus incedit. Sępe etiã is cui fit iniuria, dum eã maximã

putat,

putat, impatientissime fert, seque excruciat, propemodũ vt is, qui exiguum vulnus lacerando facit altum, vastum & insanabile. Verùm iniuriam quisquis contempserit, exoletã reddiderit. Si vehementiùs irascatur, illa quoque vehementiùs ingruit. Sunt quædam iniuriæ, ad quas omninò satius est obmutescere, quam rem noxiã retractando è nullo aut paruo sibi magnum negotium facessere. Huius generis illę sunt, quarũ turpitudo ad vindicantem recurrit. Harũ obliuio prorsus optanda est, quòd ea nullum aduersus tale animi vulnus remedium præsentius est. Itaque iniuria animo penitus est expuẽda, neque committendum vt eodẽ cõtubernio vtantur virtus & hoc dedecus. Aduocanda est patientia, cuius præsidio omnes iniuriæ, omnesq; offensiones aut æquo animo tolerantur, aut mentis altitudine condũtur, aut ne sentiuntur quidem. Quæ est expeditissima ratio irritas reddendi conatus illius qui ad inferendam accingitur iniuriam. Hanc enim fecerit quidem ipse, sed nequicquam fecerit, quam nemo senserit, nemo acceperit. Quàm exectandum est scelus illius qui iniuriam meditatur & facit, tantum solidæ laudis meretur is, qui ad iniuriæ sensum non perturbatur, cuius mens manet immota & integra, qui ne mussitat quidẽ: qui non solum adgnitam ignoscit, sed omnino non agnoscit. Quisquis supra omnẽ extat iniuriam, quem nulla vltionis cupido proritat, cuius animus iniuriæ stimulos hebetat ac retundit, ille demum vnus egregiè vltus est aduersarium suum. Hæc vt sint primariæ cuiusdam generositatis documenta, illa certè consummata virtus dici potest; quæ iniurias beneficiis pensat. Quem, inquam, iniuria non modò non fregit aut exacerbauit, sed ad benefaciendum acuit, is altissimum sapientiæ gradum conscendisse dicitur. Illum quidem nonnullo interuallo post se reliquit qui suis affectibus animi robur opponit, eosque ne longiùs excurrant, cohibet. Genere, opibus, potentia clarissimos homines hoc quoque monitos oportet, vt quò plus possunt, hoc se submissiùs gerant. Nam in omni certamine quisquis opulentior est, quamuis interdum iniuriam accipiat, tamen quod inferẽdæ censetur idoneus, sæpius eam facere videtur. Iniuriæ proxima & adiutrix contumelia est. Atque adeò hæc magnis & liberis ingeniis quàm ipsa iniuria plerunq; acerbior

est. Contumelia est iniuria quæ fit procacitate illius, qui verbis virulentis & fellitis, aut gestu arrogante, & superbo ludibrij genere spectat alienam ignominiam, quam tamen nec agnoscit, nec patitur virtus illius, qui ea petitur. Cōtumeliosus is est, qui in alicuius miseriis, atq; adeò in eius vituperium venustus, loquax, procax est. Hinc dilucidū fit, iniuriæ vocabulū latiùs patere, quàm contumeliæ, & iniuria contineri, contumeliam, non cōtra. Iniuria sic offendit, vt se aliquid reperisse putet quo quēpiā lædat. Contumelia ne lædere quidem potest, si ita accepta est, vt in animo illius, quē aggreditur, nullos morsus relinquat. Si quis ea offenditur, tunc id quod ipsa voluit adepta est. Quippe omnis contumeliæ fructus est in sensu & indignatione illius in quem eius tela contorquentur. O magnum & spectabilem animum, eum, qui hinc non modò pungi aut inquietari, sed ne tangi quidem potest. In illa quæ non propriè sunt hominis, nec in homine, nec cuiusquam culpa accidunt, cuiusmodi infelicitas, paupertas, ignobilitas, contumelia arbitratu suo incurrere potest. At animum viri fortis nec tangit, nec infirmat. Prudenter Fabius Maximus eum qui scommata, & procacitatem illius cuius ore incesto lacessitur non fert, meticulosiorem pronuntiauit illo, qui terga vertit hostibus. Nulla generositas cum ea cōferri potest quam contumelia non modò non inclinat, sed erigit. Hanc tam fortis animi vim Poetæ luculenter repræsentarunt in Hercule interemptore Scyllæ, quæ fuit vera effigies contumeliæ; cuius, videlicet, superior pars erat fœminæ, inferior canis. Et verò in habitu hominis contumeliosi sæpe est species amici; in lingua & factis specimen inimici. Porrò quæ sibi homo non sua culpa contraxit, cuiusmodi sunt illa quæ proximè dixi, nullius viri fortis adrepunt animo. Sed id quod illis est negatum contumelia videtur posse. Habet enim quendam aculeum, quem ipsi viri boni ac prudentes pati difficillimè possunt. Quocirca prorsus præclarior & commendatior est contra contumeliam victoria, quàm contra illa ipsa quæ specie malorum humanam vitam infestant. Contumelia plerunque afficiuntur isti delicati, quos aliqua vox asperior, aut gestus absurdior confestim commouet. His si non alij seruiliter famulantur, se verò contem-

ni

ni putant; illico animum ad quamcunque ſibi illatæ iniuriæ ſuſpicionem contrahunt. Certè contumeliam à contemptu dici volunt, non ſolùm ob hoc, quòd hoc iniuriæ genus proficiſcitur ab eo, qui præ ſe alium contemnit, ſed, id quod verius eſt, quia is qui contumeliam accipit, ab eius autore ſe contemni putat. Immania & ferina quædam potentium corda, ſi quod cuiuſpiam exſtat ingenuum factum, pauloue liberius dictum, id pro ſua libidine interpretantur eſſe contumelioſum, nempe ſuæ immanitati. Sæpe contumelia ipſos bonos audaciſſimè incurſat, imò hos potiſſimum. Atque adeò illud ipſum quod alicuius honori ac dignitati præcipuè ſuffragatur, hoc monſtrum audet vertere in opprobrium eius. Nec deſunt, qui vt erumna iniuriam, ſic iniuria contumeliam atrociorem putant. Nec ſanè pauci reperti tolerantes iniuriarum, qui ſunt vel minimis contumeliæ ictibus impares deprehenſi. Quò magis erigendus eſt animus, & aduocandæ opes eius virtutis, cuius propria laus eſt contumeliam infringere. Hanc ſupra nominaui, & quænam ea ſit, ſuo loco reddam.

CAP. XXIII.

Inuidia eſt inter inimica iuſtitiæ vitia.

INVIDIA eſt inter execrandos iniuſtitiæ partus. Eſt monſtrum epicœnum. Nam modò liuor eſt, modò inuidia, ſiue inuidentia. Quocunque vocabulo efferatur, hinc ſignatur malignitas illius qui alteri inuidet. Qui affectus, cùm naſcitur, indignatio dicitur, ſi adoleuit & exarſit, eſt ipſiſſima inuidia, vitium abominabile. Eſt ergo inuidia animi deprauati affectus is, qui quempiam ob aliena mala perfundit prauo & volucri gaudio, aut eum, ob alienam virtutem & felicitatem intimè macerat, cùm tamen neutra res ad eum pertineat, eiue noceat, ſed videlicet, id agit, vt potiorem ſubruat. Lætitia ob alienum incommodum, & mœſtitia contracta ex alieno commodo, diſpares quidem ſunt affectus, ſed in eo ſimiles, quod vtroque nihil fingi poteſt ab humanitate alienius, nihil crudelitati ſimilius. Quidam priorem affe-

ctum, hoc est in alienis malis voluptatem vocarunt non quidem φθόνον inuidiam, sed ἐπιχαιρεκακίαν maleuolentiam, siue malignitatem, quam distinxerunt à mœrore quo quispiam ex aliena felicitate afficitur. Nos quoque hanc distinctionem agnoscimus, neque hos affectus cõfūdimus, sed eiusdem originis esse, & vtrique eundem finem proponi dicimus, vtrumque firmamus esse nimiam & malignā in rimandis alienis siue bonis, siue malis perspicaciam & sagacitatem, quæ alienam perniciem spectat. Vtramque Bion demonstrauit, cùm cuidam subtristi, cuius prauū ingenium, ipse probè nosset, dixit, Nescio vtrum tibi malum, an alteri bonum contigerit. Ergo inuidum nos quidem vocamus eum, qui cū sua miseria non parum vrgeatur, aliena bona ægris oculis aspicit, potissimum proxima, affinia, æqualia. Eundem res alienæ improsperæ delectant. Inuidi proprium est, alienam bonam famam lacerare, sed occultè cæcisque viis, & improbissimis, quibus plurimùm potest, artibus. Ex imo loco alta, ex abdito clarissima spectat. In hæc cùm ipse infimus ac tenebricosus insilire non possit, sicuti latens vipera sua venena in occulto coquit, Ac proinde hoc tam dirum portentum quoties è suis tenebris erepit, non alibi suum domicilium eligit quàm in animo pusillo alicuius obscuri, miseri, maleuolentis, ignaui. In celebri, & spectato loco nunquam habitat. Ab omni honestate, dignitate, bona spe, ab omni diuino choro excluditur. Ad cœlestia non adrepit, nec ad ea quæ à cœlestibus deriuant, aut his affinia sunt & similia. Non inuidet Luna Soli, nec terra, quamuis infima, cœli conuexis, non terræ Oceanus. Per hominum cœtus, inter ipsos coniunctissimos mira sæuitia grassatur hoc monstrum, Eos tantùm non attingit, qui quantum conniti animo possunt, ad sapientiam pergunt. Solis stultis manum iniicit. Hos inter medios similia conterit, proxima elidit, ima contemnit, altissima concutit. Vbicunque inuidia est, ibi discordia est, ibi inductis odiis, beneuolentia exulat, ibi praua certamina exoriuntur. In diuitiis, in imperio, in arte artem æquante aut exsuperante, in iis omnibus, quibus aliqua pars humanæ societatis continetur, ferales nidos extruit. Spes eius semper sunt circa hominum mentes pendulæ. Ad potentiam, ad opes, ad magnitudinem serpit. O por-

portentosa inuidia, ecquam humani corporis partem insidere te dicam, vt sciri possit qua oppugnari, quà expugnari queas? Qua sectione, qua potione, quo igni, quo ferro exscindi possis? E oue ex inferis emersisti, vt quicquid cuipiam bene est, id tuum supplicium faceres, quod cuique improsperè accidit, ex eo captares tua vesana & infelicia gaudia? Enimuero nullus dirus carnifex tot cruciatibus nocentes afficit, quot sibi ipsa pœnas infligit. Ipsa sibi est sæuum, ingeniosum, perpetuum tormentũ. Ipsa in se sæuit, nec tamen ita se conficit, vt non semper sit rediuiua, & potens ad se identidem excarnificandam. Hinc transit ad spectatissimum quemque, hunc liuidissimis oculis figit, vt eum, si possit, aliquo inexplicabili malo inuoluat. Certè inuidus, quòd potiorem imitari aut æquare non potest, pro æmulatore fit dirus osor, pro laudatore obtrectator, serendi in alios veneni improbus artifex, semper minor, vilior, ac deterior illo cui inuidet esse melius quàm sibi, alienum bonum suum malum putat, Alieno infortunio pascitur, alienis virtutibus perstringitur. Nec tamen inuidia virtutem non suspicit, sed ita suspicit, vt pessimè oderit. Eam sic laudat vt obtrectet, sic sequitur vt fugiat, sic amplectitur vt auersetur. Est ergo hominis inuidi conditio omnium conditionum infima, sordidissima, infelicissima. In ipsos tamen hominum summos nonnunquam inuidia transuersa incurrit, non tantùm, vt ipsi euertantur, sed vt ipsi quoque alienæ laudis prorsus intolerantes sint. Quis credat Alexandrum hoc morbo fuisse contactum? Atqui suam imaginem, opus Apellis, vt laudaret animum inducere non potuit, ad quam tamen equus eius adhinniit. Meritò ergo Apelles regi in os dixit, Equus de picturæ operibus te melius ac syncerius iudicat. Certè paucissimi gestant pectus non aliquo inuidiæ veneno suffusum. Maiorem partem videas malle obniti conscientiæ, quàm alienas virtutes ornare suo testimonio. Num quemquam homine erudito candidiorem esse par est? Atqui hic solo liuore sæpius prohibetur ne quemquam sua nunc doctrina, nunc debita laude participet. Inuidia vitioso oculo persimilis est, qui ad obuium quemque splendorem hebescit. Homericæ celebritati, Virgilianæ maiestati, Demosthenico robori, Ciceronia-

næ opulentiæ, Platonicæ ſublimitati, Ariſtotelicæ ſcientiæ maculas tentarunt inurere Ariſtarchi, Momi, Zoili, cimices mordentes, anſeres ſibilantes, canes latrantes. An quicquam portentoſius dici poteſt, quam ſenectutem florenti ætati inuidere? At etiam inuidet ob ea quæ ſibi ſunt negata, iuuentuti conceſſa, vſum voluptatum, vſum virium, vigorem membrorum, alias dotes Hæc vſque eò vera ſunt, vt vir eximius plerunque plus periclitetur quam is qui longam nauigationem ſuſcepit, aut qui prælio paratus eſt. Quicquid agit, vbicunque eſt, adeſt inuidia quæ ipſius virtutem circumlatrat. In media, inquam, virtute hoc monſtrum reperit occaſionem vituperij. Inuidia, inquit Callimachus, in aurem Apollinis clanculum dixit, Non admiror Poëtam qui non tantum cantat quantum mare. Inuidiam Apollo pede pepulit. In quos inuidia concitatur, his hoc vtique ſolidum ſolamen eſt, quod huius prodigij proprium eſt, nunquam adrepere contemptibilibus. Trita vox eſt, Cæcum miſerantur omnes: At cæco inuidet nemo. Ii qui nihil habent, nihil poſſunt, nulla cauſa eſt cur quiſquam inuideat. Ergo inuidia vt flamma ipſum vbique petit culmen & columen rerum. Magna gloria eſt latus inuidiæ campus. Flebat ille Græcus, & ſuam ſortem grauiter conquerebatur, quod nihil vnquam tale geſſiſſet, in quod inuidia inſurgeret. Nec immeritò quidam alius, Cupio, inquit; is eſſe, cui re proſpera, inuideri poſſit. Vt non alijs quàm in ſolo ambulantibus adeſt vmbra, ita non alijs quàm iter gloriæ euntibus liuor it comes. Vt Cantharides plerunque florenti ſpicæ connaſcuntur, aut roſis purpuraſcentibus: ita inuidia potiſſimis ſeſe laudibus inſerit, in optimum quemque erumpit, hunc allatrat, in hunc aut genuinum figit, aut venenatum ſuſpicionis aculeum: certè tota ſe in virtutem, vbicunque eſt, vibrat: Addit ſe comitem importunam probitati, proſperitati, famæ, claritudini. Quicquid illud eſt quod ſinguli & cuncti mirabundi aſpectant, venerabundi ſuſpectant: Si quod caput laurea, laus, gloria circumſtat, hoc illud eſt quod peſtilentiſſimis inuidiæ ventis circumflatur. Felicitatem amentem, ignauiam ferocientem, miſeriam frendentem, omnia abiecta, deſpecta, ridenda facilè tramittit. Inuidiæ domicilium eſt latebroſum quoddam rupis cauamen, & inferis contiguum,
planè

planè monſtrificum, ac perpetuo horrore ſeptum. Id enim ſol nunquam tepefecit, nullus ignis calefecit, nulla ſalubrior aura hilarauit. Huc ſe receptat inquies inuidia, cuius eſt ingenium nunquam ſedere aut quieſcere, nunquam flecti in ſomnum, nunquam recta acie tueri; ſed videndo quod nollet, contabeſcere, fieri pixeam buxeamque & aliena commoda ſemper oblimantem. Faciem perpetuus pallor obſidet, frontem cauæ turpant rugæ. Crates dentium habet atras, ſcabras, rubiginoſas, acuminatas & venenatas. Vbicunque figuntur hi dentes, ibi omnia continuò liueſcunt, languent, tabeſcunt. Infelix macies infame corpus occupat. Hinc pulpis viduantur oſſa. Nihil quod alios delectet hoc monſtrum iuuat, non cibus, non potus, non aliquid ex ijs quæ alijs ſunt alimenta, aut oblectamenta. Atque adeò vipereas carnes, & ſuas, quæ ſunt vipereis virulentiores, perenne depaſcitur. Totum pectus eſt ei fellitum, cogitationes minaces, vox rabida. Quot verba loquitur, totidem lethalia ſpicula emittit. Vt proſerpenti beſtiæ lingua eſt ei biſulca & ſibilans, perpetua amaritie flagrans. Ridet nunquã, niſi propter illa quæ omnibus ſunt deflenda. Si nihil lachrymabile videt, tunc verò effunditur in fletus. Præcordijs penitiſſimis nutrit propria tormenta. Certè ſi non ad viuum effigiari, certè ſic adumbrari hoc monſtrum quodãmodo poteſt. Ex hoc tãto malo multa ad optimum quemque vtilitas peruenit. Certè cùm nulla virtus, donec eſt permiſtus cũ corpore animus, non inuidiæ dolis circumuenta ſit, ac non alicunde mordeatur, neutiquam hinc quiſquam compungi, ſed circumſpectior fieri debet. Accuratè, inquam, verſandum in hac ſcena rerum, vbi tam multa ſunt ſubdola & captioſa, vbi cum eo pręclarè agitur, qui aliquo fraudulẽtò laqueo non intercipitur. Quiſquis hanc ſui curã gerit, is laudi ſe totum tradet, ac proinde inuidiæ abundè ſuggeret vnde ſuo arbitratu ægreſcat, ac macreſcat; qui eſt omnis humanæ gloriæ cumulus. Hinc quoque liquet, quàm nõ leni manu tangẽda ſit virtus, ſed quàm toto pectore potiùs excipi debeat, vt ſit homini vndique obſeſſo præſidium. Certè tam præclarũ eſt de inuidia triumphare, vt eo perueniri niſi inter maximos periculorũ æſtus queat. Quæſitæ nihilominus prudentiæ opus eſſe fateor occurſus huius monſtri, quoad eius fieri

potest declinare. Vt in corporis exercitamẽtis fugienda est lassitudo, ita in cursu rerũ inuidia. Id quod eo admirabilius est, quod paucissimi illi sunt, quorum potentia, magnitudine, splendore liuor deprimi, conteri, obscurari possit. Maxima manus, quamuis morum integritate conspicui, vix sæuos inuidiæ latratus effugere, vix hasce scyllas enauigare potuerunt. Quæ tamen omnia quò sunt spectatissimo cuique molestiora, hoc sunt ei ad omne decus valentiora. Enimuero illius absoluta felicitas dici posset, in cuius laudes & ipsa liuidorum turba consurgeret. Porrò si non aliud, saltem mors sæuitiæ huius portenti optimum quemque eripit. Frustra viuentis effascinatur gloria, cuius defuncti multiplicata splendescit. Maligna æmulatio vanescit, & in eius locum laus mansura succedit. Vix est vt mortuus vllum habeat antagonistam, nedum vt eum liuor incurset. Postremò vt sæpe inuidia præstantissimos homines ad breue tempus debita laude fraudet, certè benefactorum conscientiam nemini ademerit. Hæc & animæ & nomini indiuidua comes est. At liuor instar fumi initio densus aut sensim tenuatur in aërem, aut certè eò ablegatur vbi est interitus. Hinc ergo acui potiùs homo ad virtutem, quàm auerti debet. Vera & solida virtus post frequentia & ingentia luctamina, hoc portentum, eiusque satellites ducit in triumpho; ac deniqne excipitur his locis.

CAP. XXIIII.

Inuidia est mater calumniæ, monstri execrabilis.



VT iniustitia ita progignit iniuriam, vt hæc nihil sit nisi operatrix iniustitia, sic iniuria ex sese edit calumniam, quæ propemodum nihil aliud est quàm inuidia loquens, & sese insidiatrice aliqua actione prodens. Nos eam sic definimus, Calumnia est aculeus inuidiæ, hoc est, mendax & malitiosa infamatio virtutis aut felicitatis alienæ, & scelerè exquisito in aliquem conflata versutia. In calumnia duo sunt iniurij. Priores partes assignamus auctori calumniæ.

niæ. Nimirum iste nequaquam præsenti alicui exprobrat sua vitia; nam si coram & falsò faceret, contumeliosus esset, non calumniator: aut in absentem ambigua quædam iacit, aut eum falsò rei turpis insimulat. Alter est is, apud quem calumnia promitur, si priùs illi, qui detrahendi causa loquitur, quàm rem compertam habeat, credit. Vterque absentis famam collutulat, ille dum malum indicat eum qui bonus est; hic dum sua stulta, aut maligna credulitate dictum probat. Ille sator calumniæ est alienæ famæ depeculator improbus. Hic aut est homo nequam, & ipsa tippula leuior, & puello bimulo imbecillior, in cuius animo vanitas facilè locum inuenit. Interdum calumniator impudenter mendax est, nempe quoties id quod credi vult palam loquitur, nullis nebulis nulla circuitione; dum in integros primò spargit haut sanè bellos rumores, è quibus conflatur nescio quid malæ famæ. Nonnunquam subdolè agit; & hoc triplici ratione. Aut e im nihil audenter promit, sed velitatur clandestinis, verùm mordacibus susurris. Aut laudes alicuius edit, sed guttatim & malignè, vt modicæ laudis pręfatione sibi dein in magnis vituperiis fidem præstruat. Videri, inquam, vult se alienis laudibus fauere, sed ab re destitui, nec plus reperire quod illi tribuat quem cupit esse laudatissimum. Ille prior comminiscitur probra. Hic detrahendo id quod virtuti debetur, sęuit in eum cuius decora deterit; pauculas ac minores laudes promit, plures ac maiores premit. Hæc inter omnes aulicas prauitates restim ducit, & est similis hippocentauris, mistо generi ac dubio. Ipsa enim est anceps inter veritatem & mendacium, laudem & vituperium. Semper tamen & dedecus & perniciem spectat eius, de quo sermo est. Proxima huic est illa, quæ edentata mordet, ac tacendo obtrectat. Paucula verisimilia vbi sycophanta loquutus fuerit, insperatò imperat sibi reticentiā, vt plura relinquat suspicāda. Quippe sub solo suspitionis velo sępissimè plus latet virulētiæ, quàm in ipsa explanatione criminis. Veluti siquis, dum sermones hinc inde cęduntur, hęc iaciat; Ille castitatem palam ostentat, qui nuper ex hac vicinia matronam. Non plura dico, ne cùm illo digna dixero, non illum indicasse, sed potiùs aliquid non satis hoc cōfessu dignum dixisse videar. Talis vtique sermo audientem sęua suspitione pulsat, ea quæ sæpe insontē deprimit. Qualis-

cunque calumnia tam atroci specie est, vt grauiorum calamitatum auctor, sæuientisque gladij ministra sit, vix quoque hoc monstrum suum virus euomit inter obscura, humilia & contempta. Id agit vt ipsas claritudines obscuret, ipsa rerũ culmina inclinet, ipsam magnitudinem proterat. Bono cuique facto praua interpres adest. Nihil probat nisi cum aliqua improba appositione exceptionis. Calumnia quamlibet purgata, & omni ratione confutata, tamen vbi semel aculeum fixit, nonnihil relinquit nęui indelebilis, quomodo vulnus cicatricem. Non tam est aculeus quàm cuspis quædam feralis, quæ quicquid vbique decoris est ab se contactum momento obliterat et sine præsidio & firmitate conscientiæ. Conscientia omnes calumniæ ictus reijcit in ipsum sycophantam, quo homine nihil terra sustinet magis execrandum. Cùm enim vel mediocris virtutis videatur esse, bene audire si quid benefecerit, cæteris præstare, eminere, hoc demum illud est quod calumnia corrodendum ac disijciendum suscipit. Amaram, vt sic loquar, homini præstanti suam virtutem reddit. Nam quid acerbius, quàm obijci calumnię telis? Quapropter etsi calumnia sæpius est inepta, absurda, apertè mendax, seque ipsam confutans, nihilominus tamen eam nemo prudens vnquam neglexit. Potiùs ei scutum innocentiæ suę maturè palà, & fortiter opposuit, ne vt hydra altior, atrocior, multiplicata insurgat, ne quibusdam Æxonibus sua mordacitas & falsiloquia diu voluptati sint, ac bono viro tormentum. Nimirum præter illa tria quæ memoraui, calumnię genera, adest in iudicijs quarta. Hæc est accusatio quædam, absente & ignorante reo, à malo iudice admissa, vna tantùm parte audita, contradicente nemine. Et hæc quidem dicta creditur à caluendo, quod valet decipiendo. Hinc factum, vt actor & reus in ipso litis exordio teneantur iurare de calũnia quo iureiurando continetur, vtrumque putare se bonam causam habere. Se nihil nec dedisse, nec fecisse, nec daturos facturosve vt secundum se iudicetur. Priscis tẽporibus nulla fuit in calumniã constituta pœna, quòd nulla visa est satis grauis. Nisi quod prudentes censuerunt, vnicuique licitum esse in sicophantam statim vindicare, prorsus vt is, qui ab araneo aut serpente ictus est, illico in eũ fertur, &, si potest, interimit. In huius calumniæ reos plures
extant

extant ſanctiones. Nam hodiéque iudicium calumniæ redditur in eos, qui inuidioſis criminationibus accuſationes implere non verentur; qui aliis falſas notas affigunt, vnde cuiuſque maculari exiſtimatio poſſit. Calumniam ſic Apelles effinxit. Ipſa eximiè compta aſpicitur. Sed in ſolo eius aſpectu iniuria, in toto vultu eminet illa toto pectore concepta rabies. Siniſtra facem retinet flammiuomam. Dextra adoleſcentem hominem coma præhenſum rapit, oculos & manus in cœlum tendentem, ac fidem Deorum immortalium aduocantem. Ei adeſt quidam anteambulo multo pallore; homo, vt è vultu coniici poteſt, impurus, nulla oculorum acie, nullo vigore, ſed ea forma, quæ eſt eorum propria, qui morbo ſontico contabeſcunt. Hunc facilè dicas eſſe ipſiſſimum liuorem, de quo alibi dicimus. Ei ad dexteram aſſidet quidam non minus auritus quàm Midas. Is propiùs accedenti calumniæ manum porrigit. Hanc quoque circumſtant mulierculæ duæ, quarum alteri nomen eſt ignorantia, alteri ſuſpitio, quod eſt vitium animi imbecilli, indocti, exulcerati. Eſt falſa opinio, qua bonitas, veritas, ſinceritas læduntur. Et ſuſpicioſus eſt is qui propter animi ſui impotentiam omnia accipit ad contumeliam. Huic contra luculentam veritatem nunquam deeſt argumentatio; crimine innocentiam aſpergit, huic bonitas eſt reatus, quicquid alij ſentiunt, occaſio falſæ exiſtimationis. Hic eſt improbus, nimiúmque ſubtilis & argutus ſanctitatis violator, dum huic aut illi veriſimiles culpas concinnat, dum quæ non ſunt, comminiſcitur, cui vita eſt anxietas, cogitatio nutans, oculi peruerſi, pectus ſinuoſum, vigilantia praua. Haud longulè à calumnia ſtat aliud par mulierculārum, Inſidiæ & Fallacia multis inſtructæ malitiis, atque, vt ille ait, fallaciloquentiis. Pone Calumniam eſt lugubri & lacero quodam centumculo pœnitentia. Hæc, capite in caput reclinato, cum lachrymis & pudore veritatem procul aduenientem, ſed ſerò & poſt occaſionem excipit. Vnde ſciri poteſt, vitia adoleſcentiæ ſeris virtutibus vix emendari poſſe.

***

CAP. XXV.

Iustitiam sequitur Sapientia, de qua hic, ac de eius effectibus.



VALE, quantumque sit sapientiæ numen vix vllo humano ingenio concipi, nedum vllo mortali eloquio memorari potest. Nimirum in sapientia omnes effectus mentis scientiæ collecti apparent. Sapientia omnium rerum causas peruidet, omnium rerum est ei generalis quædam notitia, quamuis non exquisita singularum cognitione fulta. Hæc tamen scientia tanti est, vt extra se nihil spectet. Ipsa sibi finis, ipsa sibi & bonum & pręmium est. Sapientia nullas hinc inde vtilitates captat, quòd in vita nihil est præclarũ, quod non defluat ab ipsa. Nec de nihilo traditũ est, hoc esse proprium bonum Iouis, quamuis in cætera quoque numina dispersum. Quanto, inquiunt, Iupiter est omnium Deorum potentissimus, tanto reliquos omnes sapientia antecellit. Hinc est, quòd sapientia omnis potentiæ firmamentum est. Nos qui purioribus & vegetioribus oculis eam in his locis intuemur, haud istis dissimilia firmamus; qui agnoscimus, Sapientiam esse scientiam rerum diuinarum & humanarum, quam quisquis possidet, is, quatenus humanæ conditioni datum, Deo proximus est. Vt enim summi numinis quies nullis casibus interpellari potest, ita sapiens perpetua æquabilitate fruitur, ac proinde in vno se conquiescit, vno se oblectatur. Quicquid extra hos cancellos est, nihil ad ipsum pertinet. Ipse nullius iudicio obnoxius de omnibus iudicat. Meritò, cùm sapientia in homine nihil aliud sit, nisi ratio adulta, immota, perfecta; sub cuius dispensationem omnia cadũt. Quapropter horę, cœlorum incolæ, temporumque discriminatrices, & occasionum dispensatrices, veluti proprio epitheto sunt sapientes dictæ. Ne multa, tãti est sapiẽtia, vt qui eã admirati sunt, videantur dubitasse, an tanta virtus in hominum cœtu reperiri, an acquiri, an vt res propria possideri possit. Nos dicimus eam nullo metallo venalem, nullo pretio emptitiam, sed tantùm stare nummo iusto, quę est ratio perẽnis &

nis & incorrupta. Tota est dos cælestis, quam tamen quodammodo humanitati ingenitam fatemur vt verũ sit vetus illud, felicitatem à Deo petendam, à se ipso sumendam esse sapientiam. Antiquitus illi tantùm habiti sunt Deorum filij, quorũ cœleste genus sapientia assereret. Ita tamen homini data est, vt humana longo interuallo sequatur diuinam. Humana est duplex, vulgaris, & eximia. Vulgaris, hoc est, cuiuslibet hominis sapientia præterita nouit, eaque quæ sunt in circumspectu. Illa quæsitior & paucorum, præter illa quæ fuerunt, manum inijcit instantibus & aduenturis. Hinc liquet, nomine sapientiæ demonstrari sæpè prudentiam, quorũ neutra eos fines quos dixi, transgreditur. At illa cœlestis, quæ vnius Dei propria est, omnia complectitur, ne ijs quidẽ exceptis, quæ post longa tẽporum spatia euentura sunt. Ergo humana sapientia, illa quam vocaui quæsitiorem & sublimiorem inter diuinam, eamque quæ est plurium, media est; diuinæ tamen quàm vulgari propior; siquidem is qui hac sapientia pręditus est, eius vi affectibus quodammodo concisis, propemodũ cẽseatur assumptus in diuinitatem, & in ea loca, quæ sunt supra sphæram lunæ, vbi omnia sunt læta, inconcussa, immutabilia, cuiusmodi vides esse hæc loca. Dicimus ergo Sapiẽtem non quidem omni ægritudine vacuum, sed eius victorem fieri; & exstantem super cupiditates & ægritudines propemodum degere inter cœlestia, & huc suas cogitationes semper intendere. Acies diuini eius ingenij non alia requirit. Hic verò veluti diues paterfamilias sua latifundia nullis imbribus, nullis tẽpestatibus obnoxia peragrat. Hic est in secura possessione eorum bonorum, quorum sola simulachra vulgus habet. Ipse semper est in liquido, & in vero, non semiliber, sed prorsus integræ, solidæ, diuinæ libertatis. Hic ille est qui primùm sibi sapit, estque rector sui prouidentissimus. Deinde alijs quoque sapit. Nemo genus humanum plus iuuare potest. Nemo præter hunc est formatus in commune mortalitatis auxilium. Hic interiores animi dotes edit moribus integris, manibus puris, gestu, habitu, incessu modesto, sermone modico, nunquam perplexo & sophistico, qualis eum decet, qui vbicunque, & in quocũque statu est, alijs mortalibus veluti quoddam diuinitatis exemplar est. Neque alios pu-

riora sæcula sapientes esse pronuntiarunt, quàm qui sese præstarent nitidos & emunctos aduersorum vitiorúmque domitores. Nam sanè alius potest esse is qui vera cognoscit, falsa intelligit, speciosa, fallacia, inania secernit a solidis, fucata à pulchris. Nulla huic est venditatio. Ridiculè apud hunc infert se pompa, fastus, inanitas. Semper sibi constat; semper sanum sapit. Ex hac serenitate mentis omnibus omnem bene viuendi rationem promit. Errores, falsæ opiniones, alia rerum humanarum spectra vni huic non illudunt. In media tempestate clauum tenet; In bello est minister fortitudinis; in iudiciis æquitatis. Mala scit adhibere bonis vsibus; ipsa noxia conuertit ad salutem. Quia optima vult, semper idem vult. Non eum fortuita deprehendunt, non aduersa lædunt; non spes erigit, non metus contristat. Nullo pondere pressus, nulla mole inclinatus, simplex, quietus, integer ac securus exit è vita. Non tamen numen dicimus, sed hominem; non ei aduersorum sensus eripimus; non silice natum putamus. Nō ei ferinum, ferreum, lapideum cor, non adamantinum pectus assignamus. Eum delineamus, qui sua bona modicè, incommoda & calamitates sibi fortiter ferre imperat; Qui quicquid à Deo immittitur quietus excipit, nulli iniuriæ opportunus, nulli contumeliæ obnoxius. Prorsus dignus qui sit in perpetua & celsa specula, vt Dei vicarius, aut mortalis quidam Deus; cui quicquid est, in conspectu est; cuiusque virtuti nemo non libenter iuge obsequium præstat, scilicet propter admirationem scientiæ & potentiæ. Hinc regnum, quod aureo sæculo dictum est esse penes sapientes. Et verò cùm sapere propemodum sit præscium esse, vtrumque vnitum nihil est aliud quàm regnare. siquidem ad eum meritò regnum defertur, qui quantus quantus est, totus regula, totus lex est. Ad hunc vnum mitti æquum est aureum tripodem, sicuti ad consultissimum oraculū. Quamobrem equidem omnibus autor sum, vt in ipsa pueritia hanc viam ingrediantur; se moneri, doceri, emendari patiantur, hisce sapientiæ sacris maturæ initientur. In humanæ vitæ curriculo nihil hac procrastinatione periculosius. E supradictis perspicuum fit, quàm absurda illorum secta fuerit qui olim quasi cauponas instruebant sapientiæ; qui pleno pectore sapere videri volebant, si se cultu & habitu corpo-

corporis transformarent in speciem sapientis, hæc studia magnificis nominibus extollentes, eaque baculo, pallio, barba tenus ostentantes, in quibus tamen vix vlla esset sapientiæ gutta. O malè feriati, prorsúsque infelices sophistæ, qui non in quærenda vera sapientia, sed in asserenda sibi falsa opinione sapientiæ occupati hanc nunquam inuenerunt.

CAP. XXVI.

Stultitia est inimica sapientiæ, Stultitiæ adhærent ineptiæ siue sinisteritas, rusticitas, stupor.

SAPIENTIAE nimirum stultitia, siue insipiētia & incogitantia opponitur, commune, nisi vni sapienti, vniuersæ mortalitati malū. Stultitia est vitiata ratio, Est prauitas, morbus ac vitium mentis coalescens ex imperitia & insania. Deniq; est eorum quæ quilibet scire debet, pudenda ignorātia; cuius exitus est, vt hebetet ac retundat stimulos rationis, huiusque in homine tenuem & qualemcunque imaginem relinquat, vnde totius vitæ infelicitas. Stultus is est, in quo extincta est disciplina morum & regula eloquij obliquata, tū hominis dignitas contaminata. Est is qui incedit insignis iis maculis quæ eum non hominem monstrant, sed semiferum. Stultus sapienti medium digitū monstrat & hinc sese denudat. Stultitia est vitiū & mōstrū, audeo dicere, omniū luctuosissimū. Nec enim intra vnius alicuius dicti factive fines sese continet, sed se in omnia diffundit. Ab singulis vitiis nonnihil mutuatur, dicíque ideo potest breuiarium omnium vitiorum, & mater omnium delictorū. Primò quisquis succum stultitiæ perbibit, hunc quoque malum esse necesse est. Cum.n. sapientia sit ipsa bonitas, quicquid sapientiæ aduersatur. Id fatendum est esse in censu prauitatis. Ergo nequitiæ soror stultitia est. Stultus est ipsissimus Epimetheus, nulla nec bonitate, nec prouidentia, multa incogitantia, quam continuò sequitur pœnitētia. In huius gestu, nutu, incessu, sermone intelligitur quàm in ipso

sit omnis humana maiestas obliterata. Non homo est, sed ὀνοκέφαλος asinino capite; in quo, scilicet, capite habitat mens clauda, vt in toto corpore sensus ficulnei. Sibi stultus vsquequaque placet, etsi nullius bonæ rei, ac ne sui quidem ipsius amator, sed tantùm suorum vitiorum leno est. Stulti caput si ipse Æsculapius sanandum suscipiat, eâdem lapidem asset. Est ei suus morbus insensibilis, ideoque nullius monitus, nullius cõsilia moratur. Sibi ipse est fastidio, neque tamen se vitare potest. Suas miserias & fœditates non minus ipse prodit, quàm quilibet insidiator alienas. Infante est imperitior, adolescente imprudentior, virili ætate tumidior, affecta dementior, vento incertior. Quod pertinet ad hoc vltimum, non frustra creditum est, stultitiam esse inconstantiam omnis sanitatis expertem, quæ tamen officiorum mediocritatem tueri videtur posse. Certè maxima stultorum manus, vt veri trunci ac stipites, honorum & magistratuum titulos quotidie sustinent. Nec quicquam vbique locorum frequentius. Stultus semper incipit viuere, nec vnquam discere qua ratione viuendum sit, potest. Si quando componit se in sapientem, tunc qui obsoleta tantùm & insipientia sapit, nonnisi absurda loquitur, vno elato, altero depresso supercilio grandia intonat. Si quid dicitur incredibile, tunc est credulus. In media mœstitia effunditur in risus. Senex vapulat. Nullus Margites, nullus Mãmacuthus est tam fatuus. Ni adest manifesta occasio gaudij, quò plus aliis sapiat, frontẽ contrahit; etiam atque etiam circumspicit metuẽti similis. Semper ibi cautus est vbi cauto nihil opus est. Cùm alij meritò metuunt, tunc ipse fluctus numerat. Nullo labore, nulla industria fretus alienis promissis nititur. Dum aliorum vitia ridet, suorum est securus. Dum alijs insidiatur, ipse aduersus omnes insidias est incautus, aduersus omnes ictus intectus. Re absumpta, rationem putat. Cùm firmo pectore opus est, tunc totus vacillat, totus pendet à futuris, fortuitis, instabilibus. Quod modò amplexus est mox respuit. Stupet ad consueta. Insolita, aduertenda, miratu digna ne aduertit quidem. Vt nihil ingruens vitare, ita nihil præsens æquo animo ferre potest. Solida transmittit, vt inania sectetur. Semper est idoneus in quo quilibet illudat. Herculem vituperat vt plaudat Acheloo. Infanti

ſanti aptat cothurnos, togato caligas, militi ſoleas. Mercaturam faciens totus eſt in militia, ſi ſacris initiatus eſt, argentariam profitetur. Adoleſcens affectat dici ſimius ſenis; ſenex eſt aleæ intentus aut choreis. Imbecillis valentiores inſectatur, noxia anxiè conquirit; profutura, quamuis obuia, audacter aſpernatur. A poſterioribus incipit, in prima deſinit. Cùm ſe callidum putat, tunc vehit clitellas. Cùm ei lautiſſimè illuſum fuerit, tunc quaſi opimam prædam agens erigit ſe in pedes; tũc ſicut vrſus bipes infert ſe, & quidẽ totus turgidus haud exigua perſuaſione ſui. Cui nocere ſtudet & neſciens ac nolens prodeſt. Vt leuem plagam auertat, grauiorem accipit. Quam ad rem opus eſt intellectu, ad hanc accedit planè ſaxeus, planè caudex. Nam bis bina quid ſint nunquam didicit. Omnia animi vitia, quibus abundat, habet in numerato. Si cui virtuti puer initiatus fuerat, hanc nititur extinguere, aut eius eum pudet. Suæ ſtultitiæ obuiam quemque conſcium facit. Vbicunque conſtitit, proximis grauis eſt. Vbique læuus, leuis, perperus, inſulſus apparet. Vbique intelligitur quàm ſit frutex, quàm dementer & infeliciter omnia ſuſcipiat, quanta infelix caput ægritudo verſet, quàm ſorditer fabuletur. Eius enim verba neque cœlum, vt aiunt, neque aquam contingunt. Differt tamen à furore ſtultitia. Quippe ſtultitię relinquitur nonnulla ſpecies & imitatio ſapientię, furori nulla. Et verò furor eſt mentis ad omnia cæcitas, ſanabilis tamen; cùm ſtultitia ſit indelebilis, eiuſque ſtirpes euelli nullo niſu queant. Nec mirum ſi ſtultus in ſe contrahit omne genus malitiæ, ſi perpetua quadam prauitate peſſimè diuexatur. Ita, ſcilicet, ſtultus eſt, vt eâdem ſit improbus & infelix. Sæpiſſimè eum ſua ſtultitia in ſublime vibrat, vt grauiori caſu proſtratus elidatur. Denique nihil de ſtultitia, & in ſtultitiã ſatis atrociter dici poteſt. Id quod documento eſt, quanta cura & ſedulitate vitanda ſint illa quæ ſuis blanditijs & falſimonijs hominem huic portento mancipant. Huic diuitię, illi propria induſtria, alijs iugis felicitas, omnibus nimius amor ſui vſque eò illudit, vt oppido pauciſſimos videas nõ ex aliqua parte hoc morbo implicitos. Hęc eſt illa furia, cuius blãdo, ſed vipereo cõtactu homines, ſicut viſa Gorgone cogũtur obbruteſcere. Vt verè ac prorſus ex humani generis vtilitate dictũ ſit,

primam sapientiam, hoc est, primum gradum, quo ascendi potest ad sublimitatem sapientiæ esse, caterestultitia, cum qua nulla diuinæ illi virtuti communio esse potest. Cæterùm sapientia non hanc aut illam hominis partem sibi deposcit, vt stultitiæ cæteras permittat, sed totum hominis pectus sibi vacuefieri ęquũ censet, vt totũ hominem sui iuris faciat. A stultitia veluti à trunco rami, exeunt ineptia siue sinisteritas, σκαιοσύνη siue σκαιότης ac stupor. Quãuis hæc vitià quispiam, vocabulo licet se pari, ingeniosiùs quàm veriùs distingui nec discrepare existimare possit. Est tamẽ inter ipsas quędã propiùs inspiciẽti cõgruẽs diuersitas. Ineptiam vocamus animi perturbationem eã quæ homini eripit omnẽ respectum honesti, eiusque quod decorũ dicitur. Et ineptus is est, qui omnia præposterè, omnia indecorè agit. Summa apud hunc est inscitia locorũ, personarũ, occasionũ & opportunitatum. Id quod etsi stultitiæ expetit, tamen dicimus, ineptiam intra stultitiæ præsepes sic totam constitisse, vt, vel in re minima & inexpectata totam stultitiam repręsentet. Vt stultitia est specimen omnium vitiorum, sic ineptia stultitiæ. Hæc dum grauitatem imitatur, stoliditatis fit manifesta. Etsi falsò timet, continuò tamen in id se quod timet, induit. Quæ verecundiam desiderant, in his prodit impudentiam. Dum alienos mores, vndecunque & qualescunque sint, potiùs admiratur quam bonos, ab his desciscit, ac transit ad fatuos ac deridendos. Vbi loquendum, obmutescit, vbi tacendum, alienas aures loquacitate delassat. Tunc fit petulantia, quod est vitiũ animi lasciuientis, qui sese prodit per linguæ & gestuum immodestiam. De hoc genere plerunque sunt illi quos vocant proletarios, quæ est hominum fæx vulgaris, qui quicquid loquuntur, ea re nihil est absurdius, obtusius, insulsius. O, inquit ille, vtinam me natura regem fecisset, Pulmento vteret vnctiori, & mollius curarer quàm ille diues ac præpotens vicinus meus. Sermoni gestus sunt consimiles. Nam si standum, ineptus tunc sedere cupit, si flectendum, rigescit, quid sit dignitas, quid opportunitas, quid tempori, quid intẽpestiuè faciat, nihil ad se pertinere putat. In cõsuetudine Romani sermonis hæc vox perlatè patet. Siquidem ineptũ vocant non aptum & inconcinnum, præposterum, peruerso quodam more, & notabili omnibus in rebus inscitia.

Quip-

Quippe si quid est firmandum quod pertineat ad pacem, tunc iurat super clypeo. Si eundum in senatum, aut in concionem, tunc poscit tibias aut citharam. Præpostera sedulitate officiosè nocet illi cui prodesse cupit. Ingerit se iis quæ nihil ad suum munus pertinent. Apud eum cui prompto remedio tunc maximè est opus, maximas nugas agit. Quæ omnes in propatulo faciunt, hic occultè: Quæ celari natura & cõsuetudo iubet, ante ora multitudinis patrare non veretur. Magnis, præclaris, necessarijs negotijs ludicra, puerilia, ridenda inserit. Alcibiadem ineptia vsque eò infatuat, vt in ipsa populi corona sub veste habeat coturnicem, quæ euolando sibi salutem pēperit, illi indelebilem notam reliquit. Ineptus inter tricas quasi rem seriam agens versatur, In nugis est tragœdus. In arte præclara planè cœcus, aut exiguus, in re nihili mirè perspicax & magnus. Sui est importunus ostentator, atque alter Annicetes Cyrenensis, qui de arte aurigandi, quam ipse probè nosset, semper & vbique apud occupatos ageret. Etiam ineptus de eo quod minimè scit gnatis audacter præcepta tradit. Ille nescio quis Phormio corã Annibale & de imperatoris officio, ac de omni re militari disserere non erubescit. Hodie politica scribunt ij qui nullam vnquam Reip. partem attigerunt. Nulla est ineptiendi ratio frequentior quàm illorum qui nec vocati nec rogati de rebus difficillimis nec necessariis argutissimè, vt sibi quidem videntur, disputant, & quidē in conspectu peritiorum. Alij nihil nisi sententiosè loquuntur, quicquid despuunt ea est mera sapientia. Id quod isti suscipiunt illud est quod prudentes improbant, id quod isti omittunt, illi laudant. In horum mores, in totam vitam diligentius inspice, nihil ferè aduertes nisi præposterum. Qui alijs facem sapientiæ præferre se profitentur, reperiuntur ostentatores ineptissimi, ijs similes qui si venerint ad Hellespontum, equos poscunt. Si conscendendus est Atho, quærunt nauem quam locent. Si quiescendum, carpentum ascendunt, si iter ingrediendum applicant se lecto. In funere Bacchum nominant. Re prospera & læta, feralia contrectant. In familiaribus & quotidianis colloquijs ineptus merus est Scytha, cùm pugnæ tempus adest, dicax & vrbanus. Re vbique tranquillata, tamen ipse cum ventis litigat, aut cum laruis. Si nihil aliud est in

quo ineptiat, rete instat, rete ventum venatur. Omnia illi nec opinanti excidunt, nihil secundum destinata accidit. Quapropter ineptus non omnino caret animi aut corporis dotibus, sed ijs peruersè abutitur. Ineptiæ affinis rusticitas est illa decori & honestatis ignorãtia quæ edit actiones ciuilitati parum conuenientes, incõcinnas, & inæquales, eaque re absurdas, crudas & ferinas. Vt si legatus antequam legationem edat, petat sibi dari bibere. Rusticus est is, qui in statu, ingressu, sermone manifestò disconuenit, & agrestis, hispidus, hircus, indolatilis, toruus, rupex & syluicola apparet. Denique similis est bubus & asinis, quibus & præsepe & sterquilinium simul est. Nam & ipse quoque se eodem tempore & eâdem opera emungit, spuit, cœnat, in scrupea & spurca schola eruditus. Quæ sordida vitæ ratio animum probat esse parum nitidum. Ergo rusticitas & durior & agrestior quædam ineptia est. Stupor siue stupiditas ἐμπληξία est animi duritia, tarditas & cunctatio, siue sub humanitatis specie extinctio veriùs quàm imitatio rationis, quæ in omnibus dictis factísque deprehẽditur. Certè stupidus non solum est incogitans & indocilis, sed quasi sydere tactus, & suimet immemor. Et stupor est quoddam genus dementiæ, cuius effectus non tam apparent in committendo quidpiam contra ius & fas, quàm in omittendo siue deserendo functiones homine dignas, quæ sunt ipsa humanæ vitæ officia. Ea re stupor & impudentia sunt vitia diuersissima. Siquidem impudens multa intelligit quæ stupidus ne suspicatur quidem. Hic certè nec commoda ab incommodis, nec iucunda scit discernere ab iniucundis. Vt alicui Cappadoci modò de grege venalium abrepto omnia ei sunt in æquo, dulcia amara, proba improba. In stupido omne acumen ingenij est retusum, omnis solertia hebetata, omnis memoriæ vis extincta, omnis dignitas deformata. In historia Cęsarum Romanorum Claudius multa edidit huius vitij specimina.

CAP. XXVII.

Sapientiam proximo interuallo sequitur prudentia. Prudentiæ aduersatur calliditas seu versutia, imprudentia, intempestiuitas.

IN ordine virtutum plerique collocant prudentiam sapientiæ proximam, nullo errore, siquidem hic etsi duas & separatas, proximas tamen aspicimus. Qui vnam putarunt, horum existimatio hinc fluxit, quod sapientia est vniuersalis quædam prudentia, cuius subiectum non aliud est quàm ipse Deus, Quomodo sapienti hoc vnum propositum est, vt se formet ad similitudinem Dei. Ideo sapientia est inter homines imago quædam diuinitatis. Et si quod homini cum Deo consortium est, id omne ex hac sanè sapientia est. Sed politica siue ciuilis sapientia propriè illa est quæ hoc prudentiæ vocabulo demonstratur. Vt illa tota versatur cum Deo, ita hæc nihil aliud est quàm ratio in rectione rerum hamanarum occupata. Huius item prudentiæ duplex est ratio. Prior est veluti aspectus mentis, & oculus intellectus, & inter dotes animi eo loco, quo visus apud alios sensus. Hæc illa est quæ vniuersalium cognitione pollet. Eaque re omnibus rebus præesse dicitur. Ergo eam verè nominaueris architectonicam, præsidem, ac legislatricem. Vt fusilis materiæ optima & probatissima aurũ est, ita hæc virtus est purissimus affectus mentis. Ex hoc ingenuo fonte particulatim hauritur quicquid ad actiones pertinet, hoc est quicquid in qualibet re præcipi debet. Tunc fit illa altera specialior, quæ sicuti riuus, ex illa deriuatur vniuersali. Et quoties hæc virtus sese hac forma conspiciendam, cognoscendamque præbet, tunc verò compertissimum est, eam esse præcipuam humanę imbecillitati adiutricem, cùm huius vnius ope sibi quisque suisque rebus opportunè prospiciat. Nec enim alia virtus singulis rebus suos ordines, suas mensuras, suos modulos assignat. Hęc est & hominum gubernatrix, omniumque rerũ prouidentissima dispensatrix. In hoc ergo differt à sapientia, quòd hæc nunquam suos fines egreditur vna se contenta. At prudentiæ

campus vbique patet,qua quà res humanę sunt.Rebus humanis cùm nihil sit incertius,ipsa eò magis eminet quò sępius habet sibi diuinitus adiunctam felicitatem. Nam felicitati tantus vbique est honor, vt, quemcunque ipsa complectitur,vulgò existimetur prudēs, etsi sæpissime immeritò.Certè felicitas id numinis est quod clementer obtegit hominum peccata,eaque non quo merentur, sed bono fine terminat.Pars felicitatis est occasio,quoties & non quærenti obuia fit. Vt prior illa prudentia in contemplatione, ita hæc in iudicatione, mox in actione versatur. Est ergo prudentia incorrupta illa animæ facultas, quæ, ratione duce, rerum causas & principia spectat, dein colligit ea quæ inde sequi necesse est. Quales futuri sint publicæ, priuatæque rei casus, vt rem præsentem, videt, nimirum vt ad subita nouorum consiliorum rationes accommodet. Atque adeò ex prouidendo est appellata prudentia, cuius subiectum est ipsa hominum vita; Actio, antrorsum simul ac retrorsum videre;in omni negotio quid iustum & honestum sit,quærere, id ab iniusto, turpi,inutili secernere,illa amplecti, hæc reijcere, omnibus rebus sua loca describere, quicquid est negotij cum tempore commetiri, eique suas opportunitates accommodare.Prudens is est qui præterita,præsentia,futura habet in circumspectu. Nec enim prudentem dicimus eum, qui cùm ignoret præsentia, futura tamen sibi comperta esse profitetur.Vt scias ea esse quæ futura dixi,accipe ea quæ antehac euasisti, ait Prometheo apud Æschylum chorus. Quapropter prudentis proprium est, ex ratione præteritorum sagaciter odorari instauria, ac de ijs verè iudicare, ex illis ipsis præteritis, additis præsentibus,futura, quamuis è longinquo,callidè coniectare.Nec enim in prudentiam demonstratio cadit,quæ assentiendi ac dissentiendi necessitatem in se continet.Nec etiam hæc virtus circa ea occupatur quæ mutari nequeunt.Solùm descendit in ea negotia,quorum cùm ratio nondum comperta sit,talia sępe sunt,vt sine accursu & interuentu prudentiæ ea multis ludibrijs agitari necesse sit, Certè prudens rebus secundis casus aduersos reformidat, & omnia cum tempore cōmetitur.Prudentia ergo inter incerta,quorumque euentus est anceps,quod optimum factu est ratiocinando assequitur,

res

res iniustitiæ & confusioni ereptas in bono & optabili statu collocat. Si gubernandum est, mauult fluctus vitare quàm compescere. Si litigandum, non adhibet brachia & vectes, sed iure rem definit. Vbi hæc ducit fortitudo non pugnat. Si tamen ita res tulerit, coniunctæ agunt. Si Vlyssis prudentiæ comes it Aiacis fortitudo, has verò virtutes strenuè sequuntur salus, victoria, decus. Prudentia item est scientia boni & mali. Est ille humanæ mentis habitus, cuius monitu quid fieri, quid non fieri oporteat, quisque dispicit. Sapiens antiquitas Iouis excellentiam prudentia censuit. Nam hominem prudentem vocauit Διὸς μεγάλου ὀαριστὴν Iouis magni confabulatorem, eum qui Apollineum tripodem gestat in pectore Hercules nomine prudentiæ intelligentiam simul & vim signabat. Quippe maxima prudentia est comes maximæ potentiæ, parisque felicitatis. Prudentia est cuique illud ipsum quod Peleo gladius is, quo à Dijs donatus tam in pugna quàm in venatione sui iuris obitia faciebat. Nec tamen Prudentia est bona valetudo, non vires, non pulchritudo, non fama, non est aurum, argentum, opes, sed his omnibus ipsum bene vti & quomodo alijs vtendum sit, posse præscribere, hoc demum est esse prudentem. Omnes politicas actiones hæc virtus dirigit ad optimum finem. Huius beneficio rebus omnibus accedit decus, magnitudo, diuturnitas. Absque huius virtutis prouidentia ipsa immortalitas nequaquam sit vita, sed tempus. Tanti est prudentia, vt quisquis in eius effectibus occupatus est, hic nulla causa sit quapropter artium dotes magnopere affectet. Prudens enim vna prudentia censeri pluris facit quàm regnum possidere. Sit alius in musica, in notitia cœlestis disciplinæ, in terrestris globi dimensione, in numeris, cœlando, effigiando, fingendo apprime nobilis, in omnibus industriè, ingeniosè, cum omnium admiratione versatur, hæc est prærogatiua prudentis, vt istis imperet. Prudens omni notitia, arte & peritia vtitur sicuti ministerijs excellentiæ ac potentiæ suæ, siue asseclis & pedissequis eorum omnium sine quibus vita nec rectè, nec feliciter institui potest. Vsque eò omnia præclara, & ad vitæ vsus necessaria sunt in famulatu prudentiæ. Ipsa quidem talibus fulta adminiculis omnia pensat ac dispensat. Omnia dirigit ad normam rationis, prorsus vt mens ipsa di-

uina. Porrò quid diuinius quàm acumen & solertia distinguendi expetenda a fugiendis, quid quisque ferre possit, non possit, quid suscipere debeat, non debeat nullo errore posse æstimare? Ne multa, Prudentia est ars viuendi. In huius virtutis admirationem rapta antiquitas non solùm eam virtutem nominauit, sed & Deam fecit, cuius numen poëtæ ostendunt velatum nomine Mineruæ, quæ vt ex cerebro Iouis nata, sic Iouis intellectus dicta est. Hæc vtique dicitur adesse Vlyssi. Siquidem hunc heroëm Homerus sicut eximium quemdam prudentiæ typum vbique magnificat. Hanc ille ipse veluti commilitonem addit Diomedi, cuius auxilio fretus Venerem vulnerauit, vel ob hoc falsò Deam creditam. Quid, quod hanc virtutem summi viri prætulerunt fato? Vt enim fatum sit id quod diuina prudentia futurum constituit, hoc est, id quod ex omni æternitate verum fuit, certè id prudentiæ vi mutari posse existimarunt. Nos quoque hominem prudentem omnibus necessitatis vinculis exsolutum firmamus. Ac proinde prudentiam in hoc ab sanctissimo numine terris immissam dicimus, vt sit suprema arbitra rerum humanarum, cuius tutelæ cuncta mortalium subiici æquum est. Cæterùm quòd nulla virtus in eo perfecta est, qui suę mortalitati etiam agglutinatus est, ita res docet, prudentiam huic adesse maiorem, alij minorem, certè pluribus vulgarem, perpaucis raram & exquisitam. Quidam suis experimentis, alij alienis periculis commoniti prudentiores euadunt. Alij sibi possunt imperare, vt, quamcumque in partem opus est, animum flectant. Quod prudentię genus eò pertinet, vt, quod sibi paulò post ingratiis faciendum esset, nunc faciant, vt sponte fecisse videri possint, non cuiusquam coactu. Aliis non in totum aufertur prudentiæ laus, si ea modò quæ ante pedes sunt, viderint. Isti in re præsente veriùs sunt consulti, quàm in longinqua prouidentes. Alij, quibus vix vlla est prudentia quam expediant, semper sunt in insidiis, & alienam inscitiam attentè speculantur, vt hinc suas vtilitates captent. Id quod si ipsis fortè successit sub manus, ibi verò quam diu aucupati sunt, veræ ac primariæ prudentię opinionem apud imperitos adipiscuntur. Etsi intentiùs tuenti quantillum sapere existimantur id, vix est vmbra prudentiæ, nedum similitudo. Aliis hæc est

vnica

vnica prudentiæ ratio, vt alios quàm se prudentiores ducant. Ipsi hactenus sint prudentes, vt bene monenti pareāt. Tolerabilis secta, sed clauo tenendo parum efficax, vt quæ vni sibi, non item aliis hac ratione prodest. Nos omnimodam prudentiam, illam in qua est coniectura consequentium, non multum à diuinatione differentem vni illi tribuimus, nec alium quemquam prudentis appellatione censemus, quàm illum, qui ex iis quæ vtilia sunt secernere potest vtiliora, ex opportunis maximè opportuna, è multis bonis eligere optima, & conuenientissima. Nam illa altera, cuius aliquot species memoraui, illorū est, qui prima huius virtutis elementa attigerunt, necdum ad solidam prudentiam perducti sunt. Nec verò prudētia ex aliena imperitia, socordiâve vllam captat laudē aut commoda. Hoc potiùs est negotium malitiæ, siue subdolæ caliditatis, & ingeniosę nequitiæ, quæ peruersè componit se in imitationem prudentiæ. Hæc sæpe est origo praui cōsilij. Hæc est earum ferarum propria dos, quibus neque vim Deus attribuit, neque eas vllo aculeo armauit, sed solas eis concessit insidias callidas, & versutos dolos. Nec enim calliditas est prudentia, sed simia prudentiæ. Est habitus rationis deprauatæ, ad fallendum & nocendum erectæ. Callidus est is, qui dum ingenio subdolo in aliorū perniciem abutitur, sæpe se ipse suis acuminibus compungit. Callidus de alieno negotio semper anxiè iudicat. Sic dicitur, quòd eius animus, sicut opere manus, vsu concalluit. Certè callere nihil ferè aliud est quàm scire, sed plerunq; plus scire quàm scito est opus, eáque peritia, sicuti spiculo, alienam simplicitatem figere. Vitium eo animo prorsus auersum, cui generositas & sinceritas alta & optima suadent. Est proprium acumen istorum vulpionum qui semper id agunt, vt suis vaframentis meliorum destinata euertant, actiones intercipiant. Verùm prudentiæ nullū negotium est, calliditatem, quāuis fallendo exercitam eludere. Scilicet & mirū, & planè nouū esset, fraudem esse bono consilio valentiorē. Huic eidē vitio nomen quoque est Versutia. Et versutus est is, cuius mens ad quaslibet malas artes momento vertitur. At prudentia est immobilis, ꝙ sua vi nititur, eiq; suæ opes abundè sunt. Nec itē hęc ex huius aut illius opinione suspēsa est. Non hūc illūve casū reformidat. Ipsa sibi est pfecta ratio, lux, firmitas.

Ipſa, ne mirere, ſine doctrinæ adminiculis plus vtique poteſt, quàm ſine prudentia doctrina. Ipſa ſibi veri & ſalutaris conſilij fons eſt. Prudentiæ contrarium vitium eſt Imprudentia, Gręcis ἀφροσύνη, labes eius animæ partis, cui nomen eſt rationali. Hæc neſcit id quod omnes ſciunt, ideóque perperam iudicat, malè eligit, peius conſulit, iniquè conuerſatur, malè omnia interpretatur, præſentia peruerſè videt, ad ea quæ futura ſunt, cæca eſt. Vbi plus cauendum eſt quàm metuendum, tota contremiſcit, de iis, quibus omnis vitæ ratio continetur, falsò ſentit, & mendaciter loquitur. Veritatis enim eſt oſor. vanitatis cupida ſectatrix. Re proſpera nimiùm laſciuit, ſi quod periculum increpuit, nunquam ſe extricat, ſed ibi reperit interitum. Nunquam laudari poteſt: Semper excuſari neceſſe habet, ſemper vituperari debet. Imprudens omnibus malis obiicitur. Nec mirum, Quia cùm ſit improuidus, & vacuus ab iis quæ prudenti incumbunt curis, ingruentia non cauet. Nihil vltra videt quàm id quod eſt antè pedes: Semper alias res agit, Seria ludibundus tractat: Seſe in ea quæ vitat, induit, feli ſimilis, qui dum limam lambit, ſibi ipſe linguam deterit. Impudentiæ ſoror eſt intempeſtiuitas, quæ eſt inſcitia temporis & occaſionum. Hæc occupato obſtrepit, quod nunc fieri res poſtulat, differt in nouilunium, præpoſtera, abſurda, omnibus odioſa eſt. Semper ei aliqua deprecatione opus eſt.

CAP. XXVIII.

Prudentia eſt aureus partus experientiæ. Experientia conſtat propriis & alienis experimentis, quibus nomen eſt exemplis.



VT vſus & memoria ediderunt experientiam, ita experientia eſt mater prudentiæ. Vſum voco totam illam ſupellectilem, quam ſenſus per frequentia & particularia ſpectacula comparatam memoriæ tradiderunt, & rationi, quę per ſe circa vniuerſalia tantùm verſatur, deſpiciendam offerunt. Hæc, inquam, huius diſperſæ ſupellectilis collectio, in qua

vſus

vsus fuit occupatus, illa est, quam experientiam voco. Experientiæ nulla esset vtilitas, si non hanc exciperet ratiocinatio, qui est vsus & opus rationis. Hæc enim singula introspicit, cognoscit, ponderat, eaque in præsentem rerum tractationem inducit. Hęc quoque ratiocinatio est prior effectus prudentiæ, ex quo manat alter, cui nomen electio. Hinc liquet, nullum esse rerum vsum sine actione, quomodo nulla sine vsu experientia est. Actionem voco non aliquam leuem, breuem & vmbratilem operam, sed arduam, diuturnam, laboriosam exercitationem, cuius ductu itur ad experientiam, ab experientia ad prudentiam. Quapropter quisquis per frequentes rerum difficultates, ac per inextricabiles rerum labyrinthos diu ambulauit, & quicquid ibi aduertit memoriæ commendatum animo admouere sicuti rem præsentem potest, denique omni re discussa, amplectenda eligere, hunc vsu tritum & experientem hominem vocamus, huic eminentes prudentiæ laudes adscribimus, hunc si non præeunte prudentia, ac comitante experientia doctum dicimus. Ergo experientia vt ancilla prudentię adest vt dominę, eiq; prompte quicquid poposcerit, subministrat. Vnde constat experientiam esse è longa tractatione rerum singularium, quas sibi quisque in itinere vitæ sicut aduertendas proponere debet, collectam peritiam siue notitiam, ac rationi propositam. Harum rerum aliæ priuatos cuiusque lares, aliæ publicam rem spectant. Id quod vtrisque documentis verum cognoscitur. Vnicuique est loco strigilis quæ desquamat imperitiam, aut sicuti ferrum, quod eam ad viuum resecat, aut certè lumen quod menti admotum omnes errores discutit. Hinc etiam efferuescentes hominis affectus, nimirum subdito eis salutari longæ & multiplicis cognitionis igne, sensim despumant. In primis experientia si non prorsus abolet, at in vnoquoque minuit eam, qua quisque tumet, persuasionem sui. Denique vt homini aperit illa quæ nescit, ita eum ducit ad illa perficienda quæ nequit. Siquidem vir experiens vt est rerum prospex, ita est maximarum potens; quia nihil aggreditur quod non prius & statera rationis, & prudentiæ trutina diu examinarit; propemodum vt ille veteranus miles, qui multis stipendijs, multis secundis & ambiguis rebus exercitus omnia militaria munia fortis & intrepidus obit.

perſpicuum eſt, experientiam eſſe propriam dotem nō vtique iuuentutis,ſed Hercule eius ætatis, cui hinc tantùm prærogatiua,quod multa proſpera, multa aduerſa decucurrit. Tempus enim ſenectutem ea cognitione communiſſe debuit,quæ in omni rerum tractatione eſt id ipſum quod in naui gubernaculum. Ergo vt labor iuuenem,ſic experiētia ſenem commendat. Quàm enim ſeni ſenſus ſunt tardi, tam ei mens eſt velox,& lōgo rerum vſu inſtructiſſima. Soli cani & rugæ ſolam indicant ætatem. At experientia abditas animi diuitias recludit. Longa ætas eſt cuique longa militia aduerſus ignorantiæ, ſtultitiæ, aliorum vitiorum agmina. Inexperto multa ſunt inacceſſa, quæ experienti ſunt prona. Fidentiùs ea tractantur,quorum iam factum eſt periculum. Audentiùs itur qua pedum viſa eſt via, quà experimentum præmonſtrat. Quicquid quiſque oculis vſpiam vſurpauit,quicquid proprijs manibus contrectauit,vbicunque pedem poſuit, quicquid ipſi feliciter ſucceſſit, ea ſunt ipſi veriſſima documenta, monitus, præcepta quæ verſantur modò circa cautionem, modò circa actionem, quarum vtraque ſecundis rebus inſtruitur, frequentiùs ac tutiùs aduerſis, Sic eruditum vix affectus impellit, vix impetus rapit, ſed vna ratio ducit,præeunte,videlicet, nunc huius,nunc illius experimenti face. Nec alius inducitur in adyta prudentiæ, quam vnus ille,qui & doctrina liberaliter inſtitutus,& multorum conuerſationi ſuetus, multis difficultatibus circumuentus, varijs caſibus exagitatus, multis ſuis erroribus iactatus, multis ſuis, multis alienis damnis commonefactus, tandem euaſit multiſcius & limatus. Vt qui deſides agunt ignauo quodam torpore fatuantur, ita qui laborum periculorum confragoſum iter pergunt, tandem ſummum illud prudentiæ iugum eſcendunt. Quippe vix eſt vt non præteritis futura reſpondeant, & experimentis documenta contineantur. Qualis, obſecro, ſit hominum vita ſi deſtituatur artibus? At nulla artium non eſt ab experimentis; dum multa tractantur,retractantur,multa peccantur;& emendātur; dum prima nouiſſimis mutantur, dum prauis recta ſubſtituūtur. Sic enim formatur ea ratio quæ it ad aliquem finem, cui rationi nomen eſt ars. Nec mirum videri debet homines errando inſtrui, & peccando erudiri. Cùm enim & error

& pecca-

& peccatum sese rebus humanis facilè inserant, vtroque homines monentur, ne pes in eodem lapide iterum offendatur. Quid quod sæpe delitescentem in animo errorem experrecta experientia discutit, explodēdo quicquid fefellit, & accersendo quicquid iuuit? Sunt enim experimenta vnicuique cynosura ad quam sua dirigit, illa lumina quæ mentem perpurgánt, illa magisteria, quæ erudiunt; Certè efficaciora quàm vlla auditio, vlla lectio. Lecta & audita sunt instar lusus; gesta rem seriam imitantur. Vera experimenta instruendæ vitę sunt idonea. Hoc est illud rerum specimen quod verè specitur, hoc est certamen quod cernitur, cui nullus se fucus, nulla fallacia inserit. Nec tamen inficias eo, nulla quæ per scriptorum elubricationes posteritati mandantur diligenter peruolutari oportere, vt sicuti è copioso penu indè quisque quod sibi, suæque Reipub. expedit, capiat. Enimuero attentæ lectioni addita frequens rerum obseruatio est experimento proxima, diciq; potest quoddam experimentum adumbratum. Hæc est illa vtilitas quam cuique propria experimenta præstant. Aliena quæ sunt, quæ non nobis, sed huic aut illi aut nuper aut olim acciderunt, ea vocamus exempla, id est, quasdam res ijs similes quæ sunt præ manu, nec tamen easdem. Ex his etenim experientia quoque formari amat. Et hìc quoq; nihil humani, id est quod alteri acciderit experiens homo ab se alienum putat. Certè vt in exemplis sit autoritas, in præceptis est necessitas. Hæc cogunt, illa suadent; nec in ipsis semper est certa fides. Nullus gubernator velificatur ad exemplum. Nō semper iudicem exempla morantur, sed item præsentem ad normā scripti iuris semper explorat. Vix quisquam in re domestica hoc tantùm sequitur quod cuipiam contigit. Publicæ rei moderator nonnunquam exemplorum adiumenta adhibet sic quasi hortamen, & quasi manum proximam, non vt sequatur quà illa ducit, sed quà ipse destinauit, illa tantùm nixus. Nulli ergo prudenti exempla sunt pro ratione, sed pro aliquo ductu ad rationem. Ratio & prudentia in cuiusque vsum exempla deriuant. Sed exemplum nunquam ducit rationem. Ratio illa est quæ rerum causas librat, progressus examinat, euentus præuidet. Exemplum est preteritus euentus, quem prudens diligenter aduertit non vt amussim, ad quam

ſua dirigat, ſed vt ab hoc, veluti nunc per contraria, nunc per obliqua veſtigia retrocedens perducatur ad rationem. Ergo ſola ratio eſt rei agendæ regula. Nec vbi ratio deſideratur exemplorum valere debet autoritas. Exemplorum alia ſunt ſimilia, alia contraria. Similibus plerunque oſtendimus ſequenda, contrarijs vitanda. Vtrorumque vſus eſt vbicumque aliqua negotiô difficultas ineſt, ideoque patefieri quid in re tali factum aliquando ſit, expedit. Tunc verò à ſubtilitate præceptorum tranſitus fit ad euidentiam exemplorum. Hinc dictis prompta & manifeſta probabilitas, quam progenerat auditio rei veriſimilis, iucundæ, atrocis, nouæ & inexpectatæ, quę ſeſe coram animo ſiſtit veluti teſtis quidpiam aut firmans aut negans. Quapropter ab ratione ſemper eſt incipiendum tanquam ab rudimento, ac eundum per experimenta vtriuſque generis, prout res ſeſe dat. E negotio ſic demum explorato certa rei tentandæ aut omittendæ fiducia naſcitur. Hinc quoque datur intelligi, quàm docendi ratio per ſola exempla ſit fallax, quàm tutior & exploratior per præcepta. Nam præceptum nihil aliud eſt, quàm ipſa vox rationis. Ratio cauſam expendit, exemplum ſolum commendat exitum, qui longo interuallo rationem ſequitur. Rationi imponi non poteſt. Euentus autoritatem paruula diuerſitas interuertere poteſt. Omni materiæ, fateor, exempla conuenire poſſunt, ſed non quâ ratione quidque agendum ſit, præſcribere. Niſi diligenter circumſpexeris quatenus exemplo fidendum ſit, ſpecioſum exemplum ducet ad exitus luctuoſos. Vt ergo exempla ſint ſalubria, neceſſe eſt eis præire præcepta. Hęc priùs eruderant quicquid in homine eſt ſentum & incultum: mox ita inſcitiam oppugnant vt expugnent. Vt præcepta docent, ſic exempla adhuc titubantem ad rationis motus animum confirmant. Vtraque eò pertinent, vt quid vitandum, quid expetendum ſit, ſciri poſſit. Euitatio eſt ordine prior, quia vitium priùs eſt expellendum, quàm admitti tota virtus poſſit. Hoc fit abſtergendô homines à prauis cogitationibus; deinde ab incœptis inconſultis, ne mala initia peior exitus conſequatur. Hoc lex & magiſtratus domi, hoc ipſum peregrè & militiæ dux agit. Vterque domeſtica & publica tam mala quàm bona ſuis ante oculos ponit. Hinc excluſio turpium, & eorum

rum

rum quæ honesta sunt, admissio. Fatendum quoque est, exemplorum autoritate sæpe magis compungi homines quàm ipsa præceptorum veritate. Nam præcepta auribus percepta continuo vanescerent, si non altiùs inderentur animis, si non ibi pullularent & germinarent. At exempla oculis, qui est acrior sensus, subiecta quosdam veluti stimulos apud animum cui adhærent, relinquunt. Certè exemplum est, veluti quædam obsignatio præcepti. Nam quæ doctor præcipit exemplum ostendit. Præceptorum sæpe homines obliuiscuntur, aut vt nimium arduis exasperantur, atque ad eam se disciplinam tardos prębēt & indociles. Exemplis aut blandissimè inuitantur, aut vehementissimè deterrentur. Ea propter vulgus libentiùs ac sæpius inspicit in exempla quàm in præcepta. E numero exemplorum illa sunt efficacissima quæ sunt domestica, non remota & obliterata, & aliena, sed noua, recentia ac propemodum in conspectu. Præcepta veluti per manus homo homini tradit, etiam illa quæ omnium sunt vetustissima. At ex ea re, quæ cuique proxima & familiaris est, quisque arbitratu suo sibi exemplum sumit; Quod in rem sit, amplectitur; ancipitia mutat certis & solidis, inutilia vitat, noxijs abstinet. Quin & illa ipsa quæ sapienter sunt à maioribus tradita, ipsæque adeò leges, ipsi mores sæpe exolescunt. Nec omnium præceptorum est æterna autoritas. At exemplorum est diuturna vis; certè apud quamplurimos sunt ipsis legibus, ipsisque moribus potentiora. Apud pauciores, eosdemque ingeniosiores plus habent præcepta commendationis; At exemplis multitudo capitur. Exempla spectatæ ac nascenti virtuti impensè suffragantur, virtutis æmulationem alunt, pullulantibus vitijs diros exitus minitantur: omnes in re qualibet ambiguitates præcidunt. Quæ enim ante editum exemplum fuerant verisimilia tantùm & probabilia, exemplum exhibet vera, rata, firma. Siquis vsque eò imbecillis est, vt erudiatur præceptis, hunc denique exempla vehementer afficiunt. Ergo experientia non solùm admittit pręceptorum veritatem & sublimitatem, sed & ipsam exemplorum autoritatem & perspicuitatem. Vtrinque est eruditrix. Exemplorum optimum genus est illud quod ex sese præbent viri opti-

mi; qui in quocunque gradu constiterint, nihil admittunt quo non censeri velint.

Cap. XXIX.

Iudicium est potissimum specimen prudentiæ.



T prudentiam experiẽtia peperit, ita iudicium est ipsa vis & efficacia prudentiæ. Et quidem hæc inter eximias naturæ dotes, sed quam sensim format illa prudẽtiæ genitrix experientia. Cuicunque natura hoc tantũ boni indidit, hũc & experientia, & sciẽtia subnixum dicimus. Iudicium est illa vibratior pars animi, cuius in cõspectu si quid est in rebus & fuci & fallaciȩ continuò vanescit, eo tantùm subsistẽte, quod est verũ, solidùm & syncerũ. Nequicquã malæ artes ibi delitescunt, vbi exertus est is, qui eas vnico & celerrimo ictu figit, oculus iudicij. Non est quod ibi pollen se vẽditet pro furfure. Quibuscunque laudibus prudẽtia, iisdẽ iudicium censetur. Vix distingui, nedum separari queunt, cùm iudiciũ nihil aliud sit nisi ipse aculeus prudẽtiæ. Certè hoc detracto, ne vlla quidem intelligi prudentia potest. Ergo agunt inseparabiles. Vt prudentia est verum specimẽ humanȩ maiestatis, ita in puritate iudicij prudentia specitur. Fax ergo iudicij omnem vbique erroris caliginem discutit. Hic est summus ille, & quidem indeclinabilis humanarum rerum distinctor. Tam magnum, quàm arduum est, fateor, res gerere, & hinc nomẽ apud posteros adipisci. Maius tamen & admirabilius est, verisimilia à veris, ac tolerabilia distinguere à laudabilibus, præsentia stabilire, futura ordinare, hoc est, quæ suscipienda, quȩ omittenda sint, constituere. Hȩc est vnius vis & excellentia iudicij. Quanti in cibis est condimentum salis, tanti est admotum rebus & actionibus iudicium. Ergo eo homine nihil est insulsius, adde & procliuius ad nequitiã qui destituitur hac tanta dote. Vt nauis nullo gubernaculo circumagitur à ventis, ita eum qui iudicio caret, infamia & interitus amplectuntur.

Cæte-

Cætetùm ſicut ingenium cenſetur acumine, memoria tenacitate, ſermo perſpicuitate, geſtus grauitate,ita iudicij potiſſima laus eſt æqualit as.Eſt enim iudicium inſtar legis, quæ nunquam in hanc, nunquam in illam partem inclinatur, ſed eſt omnium rerum æquilibrium. Iudicium cuiuſque rationes iuſtè diſtinguit; omnibus eâdem voce loquitur; omnia,qualia ſunt, futuraue ſunt, perſpicit, hanc tam admirabilem,venerabilemque facultatem monſtrante nomine, vt iudiciũ dicatur quaſi iuridicium,hoc eſt,autoramentum iuſtitiæ.Iudicij vſque eò propria eſt libertas,vt prorſus nullum ſit, ſi non per omnia ſui iuris eſt.Ergo nulla vi,ac ne vlla quidem neceſſitate compeſci poteſt. Hanc iudicij libertatem ſoli labefactant affectus;in primis nimia ſui,ſuorumve charitas,quo delinimento vel ſapientiſſimum quemque rapi conſtat. Vt iudicium eſt lumen intellectus,ita amor ſui eſt eiuſdem intellectus deflenda caligo.Nec mirum,ſi hinc potiſſimùm in tam multis rerũ ambagibus tantæ huius dotis aculeus plerunque retunditur & refringitur.Certè vix eſt, vt de ſe quiſquam ſuiſque incorruptè atq; integrè iudicare poſſit.At etiam metus,odiũ, ira,inimicitiæ mentis oculos effaſcinant,perſpicaciã ingenij,quod eſt ipſiſſimum iudicium, derepente hebetant & obſcurant.Iudicio quoque inimica eſt omnis leuitas & inconſtantia,& quilibet animi motus. Iudicium obruunt omnes impetus inconſulti,rapidi,ignei, omnes feruores, omnes furores.Nulla auida,nulla præcipitia ſtudia iudicium admittere poteſt.Iudicium circum ſe habet omnia tranquilla & quieta.Non eſt iudicij, præcipitanter loqui,incõſultè reſpondere,feruidam manum rebus admouere. Sua decreta quietè ac lentè conſiderat, quicquid editurum eſt, placidè format priuſquàm edat. Grauiter & circunſpectè verſatur in ſingulis. Magna ſolida, difficilia ſuæ ſolitæ firmitudini tractanda & retractãda ſubijcit. Res ipſas minuſcũlas,è quibus tamen magnorum motuum occaſiones oriri poſſunt,figit ſua ſolertia. Nihil non exactiſſimè inſpicit, verſat,ponderat.Amat eſſe reſecatius quàm apparere vberius & prolixius. Ita eſt acre, vt eâdem omnem aſperitatem reijciat. Ita eſt firmum,vt non ideo ſcabrum, ſed terſum,elegans,ſuſpiciendum vniuerſis.Rerum initia quãlibet honeſta & proſpera, ſine ope iudicij, ſæpiſſime

vergerent ad pessimos euentus. Hæc ergo iudicium optato fine terminat. Nubes vtique pectat literatus ostentandæ magna suppellectile doctrinæ, Volutet in cranio dolium ille & genere nobilis & re beatus, sua potentia formidatus & alijs dotibus inclytus, si non ei adest lima illa iudicij, quæ quicquid vbique nimium, luxuriam intempestiuum, ineptum & odiosum est, deterit. Omnis abundantia rerum, omnis ingenij fœcunditas, omnis prosperitas apud illum quem iudicium destituit, potiùs est maxima insolescendi, lasciuiendi, peccandi materia. Quicquid etiam quispiam laudabiliter fecerit, si non duce iudicio fecit, casu non sponte fecisse dicitur, nec ex ea re nullam laudem meretur. Nulla bona re bene quisquam vti potest, si non eius mentem natura salutari illo iudicij latice irrigauit. At hunc vbi animus semel combibit, planè diuinos ex sese fructus edit. Optima & pulcherrima eligit, sordida, fæculenta, maculosa detergit. Solum iudicium ab experimentis vera documenta elicit. Quisquis inter ancipitia diu versatus, ea iudicij ductu & auxilio fortiter & feliciter eluctatur, is tandem ad meliora defecatior emergit. Nimirum hic ille vnus est, qui & priuata & publica commoda ab se elaborata vniuersis repræsentare potest. Concludo, verum ac liberum iudicium illud demum esse quod nulla priuata vtilitate implicatur, sed de ijs est quæ ita ad iudicantem pertinent, vt super ea emineat & exstet. Semper enim verendum est, ne huius tantæ dotis corruptelæ identidem recurrant, cuiusmodi est importunus aliquis affectus rationi inimicus. Postremò, vt mirè ardua, sic admodum rara est laus iudicij, nec minùs suspicienda quàm illa omnia quæ sunt cœlestis originis. Nec ipse causam vllam video, quapropter eum, quem iudicij laus eximium reddit, non habeam loco præsentis ac salutaris cuiusdam numinis.

Cap. XXX.

Quantum prudentia possit & iudicium, bona consilia docent.

VT à prudentia iudicium, sic ab iudicio manat consilium. Hæc ita sunt vnita, vt non, magis quàm ab igne lux & calor, separati possint. Consilium est excogitata ratio, siue amica & beneuola suasio faciendi aut non faciendi id, quod qui suadet, si in eodem loco sit, facturus aut non facturus fuit. Si mauis, Consilium est ratio expediendæ prudentiæ altiùs petita, & singula quæ ad rem pertinent, æstimans, componens, eligens. Alienum consilium semper moratur conscientia propriæ imbecillitatis. Et verò nimium, ah, pernimiùm confidens is est, qui inter tot rerum fluctus solus natat. Eâdem gubernator aspernetur manus remigum aut dux militum. Ne Hercules quidem, nisi consultore & adiutore Iolao Hydram interimere potuit. Tanta ergo docilitate vel prudentissimus quisque esse debet, vt in re sua plus aliós quàm se sapere putet. Arrogantiæ proprium est, præbere se aduersus peritiores pertinacem; nihil probare nisi quod apud se nascitur, neque cuiusquam melioris consilio flecti. Huc, scilicet, demũ res redit, vt iste desertus ab omnibus sibi vni relinquatur, vt solus malè rẽ gerat. Nullum Deorum antiquitas non consilia super rebus dubijs & arduis agitasse tradit. Ipse Iupiter sua consilia nonnisi aliorum numinum consensu tuetur. Hunc Minerua aliquando sic alloquuta perhibetur, Fac, nempe de tua vnius sententia; Sed nõ omnes Dij approbabimus. Prometheus quoque Ioui in os dicit, proprium esse tyrannidis, vt se ab amicis non patiatur persuaderi. Plerique in re sua sunt, fateor, lyncæi; sed non ideo ita circumspecti, vt non monitore & suasore opus habeant, ij potissimùm quibus Reipub. clauus est creditus. Certè Nestor aiebat, imperium duabus rebus contineri, cõsilio & scientia rei militaris. Cõsilij copiã facere est quempiam sui officij admonere. Quippe differunt iubere & edicere, hortari ac dehortari. Illud est potestatis, hoc con-

vergerent ad pessimos euentus. Hæc ergo iudicium optato fine terminat. Nubes vtique pectat literatus ostentandæ magna supellectile doctrinæ, Volutet in cranio dolium ille & genere nobilis & re beatus, sua potentia formidatus & alijs dotibus inclytus, si non ei adest lima illa iudicij, quæ quicquid vbique nimium, luxuriam intempestiuum, ineptum & odiosum est, deterit. Omnis abundantia rerum, omnis ingenij fœcunditas, omnis prosperitas apud illum quem iudicium destituit, potiùs est maxima insolescendi, lasciuiendi, peccandi materia. Quicquid etiam quispiam laudabiliter fecerit, si non duce iudicio fecit, casu non sponte fecisse dicitur, nec ex ea re nullam laudem meretur. Nulla bona re bene quisquam vti potest, si non eius mentem natura salutari illo iudicij latice irrigauit. At hunc vbi animus semel combibit, planè diuinos ex sese fructus edit. Optima & pulcherrima eligit, sordida, fæculenta, maculosa detergit. Solum iudicium ab experimentis vera documenta elicit. Quisquis inter ancipitia diu versatus, ea iudicij ductu & auxilio fortiter & feliciter eluctatur, is tandem ad meliora defecatior emergit. Nimirum hic ille vnus est, qui & priuata & publica commoda ab se elaborata vniuersis repræsentare potest. Concludo, verum ac liberum iudicium illud demum esse quod nulla priuata vtilitate implicatur, sed de ijs est quæ ita ad iudicantem pertinent, vt super ea emineat & exstet. Semper enim verendum est, ne huius tantæ dotis corruptelæ identidem recurrant, cuiusmodi est importunus aliquis affectus rationi inimicus. Postremò, vt mirè ardua, sic admodum rara est laus iudicij, nec minùs suspicienda quàm illa omnia quæ sunt cœlestis originis. Nec ipse causam vllam video, quapropter eum, quem iudicij laus eximium reddit, non habeam loco præsentis ac salutaris cuiusdam numinis.

Cap. XXX.

Quantum prudentia possit & iudicium, bona consilia docent.

VT à prudentia iudicium, sic ab iudicio manat consilium. Hæc ita sunt vnita, vt non, magis quàm ab igne lux & calor, separari possint. Consilium est excogitata ratio, siue amica & beneuola suasio faciendi aut non faciendi id, quod qui suadet, si in eodem loco sit, facturus aut non facturus fuit. Si mauis, Consilium est ratio expediendæ prudentiæ altiùs petita, & singula quæ ad rem pertinent, æstimans, componens, eligens. Alienum consilium semper moratur conscientia propriæ imbecillitatis. Et verò nimium, ah, pernimiùm confidens is est, qui inter tot rerum fluctus solus natat. Eâdem gubernator aspernetur manus remigum aut dux militum. Ne Hercules quidem, nisi consultore & adiutore Iolao Hydram interimere potuit. Tanta ergo docilitate vel prudentissimus quisque esse debet, vt in re sua plus alios quàm se sapere putet. Arrogantiæ proprium est, præbere se aduersus peritiores pertinacem; nihil probare nisi quod apud se nascitur, neque cuiusquam melioris consilio flecti. Huc, scilicet, demũ res redit, vt iste desertus ab omnibus sibi vni relinquatur, vt solus malè rẽ gerat. Nullum Deorum antiquitas non consilia super rebus dubijs & arduis agitasse tradit. Ipse Iupiter sua consilia nonnisi aliorum numinum consensu tuetur. Hunc Mineruа aliquando sic alloquuta perhibetur, Fac, nempe de tua vnius sententia; Sed nõ omnes Dij approbabimus. Prometheus quoque Ioui in os dicit, proprium esse tyrannidis, vt se ab amicis non patiatur persuaderi. Plerique in re sua sunt, fateor, lyncæi; sed non ideo ita circumspecti, vt non monitore & suasore opus habeant, ij potissimùm quibus Reipub. clauus est creditus. Certè Nestor aiebat, imperium duabus rebus contineri, cõsilio & scientia rei militaris. Cõsilij copiã facere est quempiam sui officij admonere. Quippe differunt iubere & edicere, hortari ac dehortari. Illud est potestatis, hoc con-

filij. Cõsilium quod homo homini dat plerunque aliqua ex parte imperfectum est. Ergo in omni consultatione in primis aduocandus est, non Consus ille fictus, sed is qui vnus est & præstes & antistes boni consilij. Antiquitas Saturnum vocauit ἀγκυλομήτην quasi vi consilij tortuosa dirigeret. Ipse Iupiter dictus est μητίετα consiliarius, hoc est, ἄφθιτα μήδεα εἰδὼς incorrupta vel æterna consilia sciens. Apud Æschylum Apollo profitetur se nullũ edidisse oraculũ nisi iussu Iouis. Ipsa Minerua nata è cerebro Iouis nihil signat nisi consiliũ, propriã dotem summi numinis. Cum hæc Vlyssi indiuidua comes esset, is non abs re dictus est Διὶ μῆτιν ἀτάλαντος consilio Ioui par. Et verò consilium nõ est dos hominis opulentis & potentis, sed sagacis, periti, diuini. Proprij consilij excellentia super omnia animalia, superq; omnes res creatas hominem extollit. At etiã posse alijs consilium, prout opus est, impartiri, semper habitũ est opus admirabile, sacrum, diuinum. Cui rei argumento est mos vetustissimus, quo more consilia de publico negotio capiebãtur in æde sacra, quasi præsente numine. Quantum est pręceptorũ quibus vita instruitur, dici queũt vera & salutaria cõsilia, quę illos, qui inibi sunt vt cadant, quasi manu prensos à loco vbique lubrico, vndiq; præcipiti retrahunt in tutum, Hoc à consilijs pręcepta distant, quòd hæc sunt generales quædam complexiones, quæ è singularibus experimentis existunt, ideoque in commune traduntur, ac deriuari modò iudicium adsit, ad omnia negotia possũt. At consilium est singularis admonitio vni illi cui datur, vtilis, & vni illi negotio, quod præ manu est, conueniens. Generalia præcepta sola natura dictat, nullis aut paucis exquisitioris peritiæ præceptis adhibitis. Verùm hoc speciale, cui est consilio nomen, est veluti quidam surculus singularis prudentiæ, eius quæ descendit in res singulas. Hoc genus cõsilij à quocunque tandem est, siue à sene siue à iuuene, se amplexurum Agamemnon profitetur. In omni vita nihil est consilio prius, quòd omnis siue priuatæ, siue publicæ rei administratio plus consilio nititur, quàm opibus quamlibet maximis. Illa quæ dicuntur imperij fulcra, opes, potentiæ, fœdera, amicitiæ, clientelæ, sæpe deprehenduntur infirma si non nituntur firmitate consilij. Quantum est artium ac disciplinarum, si absit consiliũ, iacet euanidum.

nidum. Vnico recto consilio sępissimè cognitum est, ingentes hostium copias obteri posse. Huic vix est vt non adhæreat victoria, decus, felicitas. Quomodo & illud vim expertem consilij non esse laudabilem hominis conatum, sed potiùs inconsultum & infelicem impetum alicuius feræ. Enimvero Senatus & consiliarij principis verè dicuntur habere curam felicitatis publicæ. Siquidem ijs quibus omnia sunt in manu, quotidie non minùs opus est consilio bono quàm afflictis ope. Crœsus Æsopum diuinæ mentis hominem dicebat esse columnam regni sui. Philippi patris Alexandri extat hęc vox, Securè dormij quia Antipater vigilauit. Perinde ac si dicat, se huius vnius mente, vigilijs, consilijs niti. Et Vespasianus, Ego, inquit, impero cōsiliarijs meis, at ipsi mihi. Getæ eum qui esset regi à consilijs, ipsius extollebant appellatione Dei; Celeberrima hodieq; sunt nomina Dicenęi, & Cenei, quorum cōsilia rex Bœrebista sciscitari solitus esset. Apud Indos in maiori veneratione sunt sapientes, id est ij quorum ex præscripto reges regnant, quàm ipsi regnantes. Quotidiana experientia planum facit, ope consilij res paruas crescere, partas custodiri, impeditas expediri. In fluctuante rerum salo verum consiliū est portus tutissimus. Nec tamen humanis consilijs vsque eò fidendum dicimus, vt nō illis quadam sorte diuina opus sit, sine qua quicquid prudentes statuunt terminatur euentu improspero. Id quotiescunque accidit, fatendum est manare ab ijs causis quas nulli hominum scire fas est. Nimirum humanæ prudentiæ prima & præcipua pars est adorare diuina oracula magis quàm exquirere. Verè dictum est Hominum consilia non effugere harmoniam Iouis; id est, nequaquam esse homini concessum, vt vi ingenij consilijque sui arietet contra decreta diuinæ maiestatis, quæ rebus omnibus est rectrix. Sæpe etiam consilia humana euertuntur ab ijs, quorum in rebus agēdis desideratur fidelitas, industria, diligentia. Sæpe homines à suis bonis consultis deferuntur, quòd hæc in securitate capta, vbi adest periculū, timidè, nec eo animo quo elaborata sunt, perficiūtur. Ea re consilia ducum plerunque sunt cassa, si non his accedit robur & fortitudo. Frustra de re summa consulitur, nisi, vbi consulueris, maturam ac strenuam consilio operam addas. Consilij duę sunt partes, inuentio & iudicatio. Inuentio est

earum rerum, quarum ope rebus secundis diuturnitas, vacillantibus firmitas, infaustis faustitas accedit. Eius ergo scientia cuius consilium exquiritur, complecti debet, opes, vires, ingenia, mores illorum quorum ipse consultor est. Sine hac cognitione aut nulla est inuentio, aut fallax. Non cuilibet quamuis rerum perito prudentes principes omnia credunt, sed hoc illi, aliud alij, prout quisque huius aut illius rei callens est. Hoc exemplo Otho in consilijs militiæ Suetonij Paulini & Marij Celsi, in rebus vrbanis Galerij Tracali ingenio vti solitus fuit. Ex inuentis ea quæ & vtilissima simul & honestissima sunt, in præsentem vsum seponi debent; Inutilia nec honesta continuò reijci; intempestiua & nondum matura differri. Hæc illa est, quam iudicationem dicimus. Prima consilij laus est vt sit fidele, prorsusque dirigatur ad vtilitatem ac decus illius cui datur. Vt ope consilij res vtiles & honestæ suaderi possint, ab datore consilij exigitur, vt sit vacuus ab omni cupiditate, nulla ira, nulla vltionis cupidine stimuletur. Præcipuè metu vacet, ne, cùm tacito nihil opus est, aut perfidè taceat, & improbè rē dissimulet; aut id quod taceri debuit, enūtiet. Nulla libidine accensus ad consulendum accedat; ne sese ad id, quod illa suaserit, accommodet. Nulla assentatione cōsilij vim infringat, eiusque dignitatem deterat. Nulla vi doloris ab tramite rationis deerret. Certè quicquid cupiditatum aut miseriarum monstra suaserint, quicquid animum pepulerit, id consilij non potest esse nisi stultūm dissolutum, perditum. Hinc, scilicet pernicies eius, cui tale consilium datur. Malæ enim rei semper est mala messis. Non tamen inficior, quosdam post mala consilia expertos esse numen dextrum, ac proinde ipsis illud quod primo aspectu malum erat, cessisse in bonum. Alios consilio bono ac tamen sinistro munere rem gerere, ac vix vnquam istis vllum exitū fauere. Hęc quæ ab occultis, vt dixi, causis profluunt, neminem à veritate bonitate consilij deterrere debent. Singulare fortè sit Atheniensibus & alijs aliquibus, atque adeo mirabile, vt eis malè consulta bene cedant. Bonus & prudens vir apud animum suum semper statuet, bonis consultis Deum potiùs annuere, atq; vsurpabit illud Theognidis, Si vnquam accidet vt amico malum cōsilium dem, tum faxit Deus, vt illud quicquid est mali, reci-
dat

dat in ipſum caput meum. Si item mihi ipſe tale quidpiam ſuaſerit,tum ipſe habeat malum. Ergo prudentibus cauta potiùs conſilia cum ratione,quàm proſpera ex caſu placēt. Malis conſilijs haud dubiè annumerantur illa, quæ primo aſpectu ſpecioſa,ſi ſæpius retractentur, ſi attentiùs diſpiciantur, ſenſim cognoſcuntur eſſe periculoſa, præcipitia, pernicioſa.Conſilium ſemper comitari debet libertas, quæ vt apud bonos vbique eſt valida, ita ab ijs qui ſibi vera dici nolunt,atrociter excipitur. Narrant priſcæ fabulæ, Prometheum, dum hominum cauſam apud Iouem ageret, ei contradicere auſum. Ideoque ab Ioue peſſimè habitum.Is Prometheus eſt verus typus illorum, qui apud principem cauſam multitudinis ſuſcipere & propugnare audent,quibus pro bono cōſilio malum ſæpe datur. Hæc ipſa conſilij libertas auerſatur omnes illos,quibus cōſultis obſequi neceſſe eſt.Prudentiæ, nec vulgaris ſpecimen eſt, mediocria conſilia amplecti dummodo tuta, quàm ſublimia, illa quæ blandiendo & honeſta ſpecie maturant perniciem illius cui dantur.Non aliter probari conſilium poteſt,quàm ſi ſit tempeſtiuum, & in ipſa rerum opportunitate natum. Seri conſilij, cuiuſque tempus & occaſiones effugerunt, nullus eſt vſus. Quapropter prudentes, re præuiſa, conſilium capiunt ante periculum.Non vt mali & infelices gladiatores, expectant vulnera,quibus nō aliud ſit conſilium quàm remedium,ſed maturè ea declinant,ſcilicet,ne ſint accerſenda remedia.Multò minùs,quoad eius fieri poteſt, morātur vllam neceſſitatem rem, ſcilicet, violentam; quæ ideo à Græcis dicitur ἀνάγκη παρὰ τὸ ἀνάσσειν, à regnādo,& id quod vult cogendo.Huius enim impulſu homines in eas rerum anguſtias detruduntur, quibus in medijs nullus eſt conſilio locus.Et verò quid ſuper ea re conſulas,quæ iam confecta,aut præceps eſt acta?Minimum,in tali re ac loco cōſiliū rapi potiùs quàm capi neceſſe eſt.Huius generis cōſilia non ab ratione profecta,ſed ab inſtanti aliquo malo ingeſta conſtat.Hæc illa ſunt quæ denique ſera triſtiſque pœnitentia excipit.Eadem eſt ratio illorum omnium quæ nulla ratione in integrum reſtitui poſſunt.At conſiliā tempeſtiua & matura ſic inſtruuntur, vt,re poſcente, variari, & ad ſingula rerum momenta conuerti poſſint. In conſilio dando etſi præteritis non conſulitur, eorum tamen potiſſima ra-

tio habetur. Nam præteritis erudimur ad futura. Ea re illorum consilia quæ præsentiunt in posterum plerunque omnes intercludunt calamitatum vias, muniuntque præsidia rei tum publicæ tum priuatæ. Hæc est illa ἀγχίνοια sagacitas, quam in consiliario desideramus. Est enim acumen animi cuius vi futura coniectamus. Omnino consilium est negotium quietum & placidum. Nec aliter est salutare. Id videlicet, poëtæ signarunt cùm noctem vocarunt εὐφρόνην bene sapientem, siue prudentem, id est antelucanas cogitationes plurimo lumine circumfundi. Noctu quidem anima quodammodo recedere videtur à sensibus, ac secū nulla perturbatione interpellata conuersari. Id ergo temporis meritò censetur capiendo consilio accommodatum. Vnde illud peruulgatum, noctem esse matrem consilij. Nā quod est omni admiratione dignum, in medijs tenebris lumen sapientiæ maius exoritur, nempe è mente tranquilla & purissima cœlesti igne accensa. In consilio capiendo fugiēda est omnis properantia & præcipitatio, quæ vitia illorū propria sunt, quos antiquitas vocauit caldos. Quippe cum horum consilia rebus turbidis capiantur, ea quoque necesse est esse turbulenta, rapida, præcipitia, illa quæ monstrantur hisce hominis desperati verbis, Rebus aduersis à malis consilijs esse subsidium. In concursu ac trepidatione vix vllus est vero consilio locus. Quod modò placuerat è manibus est elapsum, quod displicuerat etiam hęret negotio. Nō eadem est Reipub. rectoris & gladiatoris ratio. Non vt ille in arena, ita hic in ipso rerum æstu proptè consiliū expedire potest. Omnis tūc cōsilij ratio iacet, nec tam est in mente prudentis, quàm in obuij cuiusq; temeritate, vi & brachijs. Et quę nullo prouisu sic aguntur, vt sunt temeraria & repētina, ita publicā sępe rem impeditissimā relinquunt. Cōtra quæ antecapiuntur, quæ identidē explorātur, quæ diutiùs & consideratiùs pensitantur, illa sunt quæ omnē rem in tuto sistunt. Persę & Cretenses percommodum capiendi consilij tempus existimarunt, postquam cœnatum est. Quippe aiebant vnà cum vino animum nonnihil incalescere, etiam erigi ac plurimum vigere; ac tunc potissimùm suā cuique alacritatem fortia consilia suggerere. Verùm, quod aduertendum, illud ipsum consilium, quod conuiuiali hilaritati placuerat postridie illorum ieiunę ac sobrię cogita-

gitationi proponebatur, quibus pridie probatum fuerat. Si sobrij perstarent in sententia, tunc veró sese ad id, quicquid esset, exequendum accingebant. Si minùs, id consilij non implebatur. Quædam negotia sunt eiusmodi, vt, non ante quàm in ipsa rerum tractatione de ijs cōsilia iniri possint. Sed hæc quoque subita consilia vi & magnitudine prudētię ita negotijs aptari possunt, vt ea non vlla vis imperasse videri possit, sed consilij dator longo prouisu præparasse. Huius tam quęsitæ, tamque expeditę prudentię vt ardua ita suspicienda ratio, & optanda felicitas est. Iam dixi, in consilij ratione id spectandum an id quod cadit in consultationem honestas ita commendet, vt vacet omni turpitudine. Si tale est, an aliquid honestius reperiri possit. Postremò an sit vtile. Vbi dispiciendum an aliquid sit vtilius. Nimirū humana infirmitas id quoque postulat, vt qui consultat vitę commoditatem ante oculos habeat, ac super ijs deliberet quæ cadunt in rationem vtilitatis. Sed prudentia id potissimùm dispicit, an hęc vtilitas pugnet cum eo quod honestū dicimus. Hic mihi seriò monendus est non solùm princeps sed & quilibet ne eius consilio vtatur, qui ipsi meritò sit suspectus. Sed id potissimùm caueat, ne quemquam falsa suspicione lędat; ne, vt suspectus prauis consilijs, sic ipse rē siue publicam siue priuatam sua suspicione profliget. Sæpe fidei spectatæ ab anxio & suspicace principe immeritò detrahitur. Hinc publicæ clades. Cassandram, quamuis castæ mentis virginem, & bonam vatem, Apollo Troianis suspectàm reddiderat, & hac suspicione eius integritatem maculauerat. Hi ergo vt puellæ bene monenti obtemperarent, animū inducere non potuerunt. Hinc euersio vrbis Troianæ. Si cui tamen meritò sua malitia suspicionem conflauit, plus angue vitanda sunt eius consilia vt infausta. Cyrsilum Athenienses suadentem vt Xerxem in vrbem reciperent, lapidibus obruerunt. Simili ferè periculo perculsus est Demosthenes. Certè malum consilium suo consultori impune esse minimè æquum est. Ergo illi qui consilio iuuandus est, primùm cōstare debet de eius, quem sibi consultorem aduocat, singulari beneuolentia erga se. Hunc eligi oportet remotū ab ijs animi perturbationibus quę menti caliginē offundūt, vnde frequēs illa cęcitas eorū, à quibus desideratur vt sint oculatissimi. Quisquis publici cōsilij autor es, ab-

iecta priuata cupiditate,publicam charitatem indue. Esto rectus & imperturbatus, vt,quid ex vsu sit, prospicere possis.O demẽtes illos principes , quorum imbecillus animus euitãdis malis consiliarijs impar est. Malos voco nõ solum perfidos,sed istos qui toti timẽt opinione sui,& ipsi Nestori consilio opitulari posse videri volũt, penes quos tamen vix vllũ est alicuius boni consilij põdus , quod princeps aut Respub.re poscẽte,excipere ac librare possit.Hi illi sũt qui solo assensu suas partes implent; vix vnquam suopte cordẽ consulẽtes,sed alieno arbitrio,leuitatis,socordiæ imprudẽtię,impudentię manifesti. Is mihi consilij dator probatur, qui cùm ex animi sui sale sua promat,nulli principis libidini abblãditur.Id solum spectat,vt publicã remvsquequaque stabiliat. Sed maiorẽ partem ita se cõponunt, vt nihil præter placẽtia loquantur,omni posita cura, & vniuersorũ amore prorsus detrito.Nec isti verentur publicas vtilitates improbè disiungere à persona principis.Istos pręcipuè Hephestiones φιλαλεξάνδρους amatores Alexandri non regis,fatui homines qui locum principatus implent, in intimam amicitiam assumptos habẽt in oculis & in delicijs, nẽpe vt ministros cupiditatũ,cùm interim Crateros φιλοβασιλέας amatores regũ,siue regiæ dignitatis propugnatores excludant, quamlibet homines ingenijs multa lima perpolitis, ac diuturno vsu bene suadendi cognitos.Scilicet solus taliũ aspectus qualemcunq; principem in suam conscientiam compellit,nec enim is potest ferre vultũ animo similẽ, hoc est, paulò rigidiorẽ , seueriorẽ,ineptiarũ impatientiorẽ,prudẽtiorem quàm placentiorem.Re tamen ob suam intemperãtiam in euidens discrimen adducta,illis luxuriæ suasoribus paulùm semotis, hi præposteri principes coguntur hos inducere homines cõsultos;qui tunc quidẽ propter opinionẽ bonitatis & prudentiæ ingratijs credendũ, & obtemperãdum est.Hæc demum est illa magnis crebrisque virtutibus amplificata autoritas,quæ quanta in senatore seu cõsiliario sit,Reipub.plurimùm interest. Porrò hęc autoritas non solùm colligitur è bonis cõsultis,verum etiam,ac potissimum ab ipsis bonis factis.Nimirũ, si is, cuius consilium admittitur,suis consilijs adiungit sua pericula ; si idem & suasor & gestor est.In autore boni consilij cum tantum sit momẽti, merito Dauid , cuius pectus diuinæ sapientiæ fluentis irrigatum

gatum erat, prudentem consiliarium ab se abalienari propemodum impatienter tulit. Postremò, cùm plura bonis consiliis quàm fortibus præliis patrari constet, hodiernis Suffenis cogitandum relinquimus, quàm sibi ipsi sint infensi, qui in copia bonorum consultorum nullius consilium adhibent nisi suum; Aut prauitate quadam naturæ impediti pendent ab ore pessimi cuiusque; Aut fortè acceptum bonum consilium ita corrumpunt, vt denique satis appareat, nec ipsos sibi prospicere, nec alteri parere posse.

CAP. XXXI.

Præcipua nota boni consilij est fides & fidelitas; cui contraria est infidelitas & perfidia.



PRIMAM consilij laudem dixi esse vt sit fidele. Fides est mentis firmitas, siue integritas, qua vna dictorum factorumque constantia & veritas continetur. Vna fide res hominum stant, sublata, corruunt. Ergo veræ & solidæ opes non tam consistunt in iis quæ vulgo optantur, quàm in hoc venerabili sanctoque bono. Imperio & obsequio summa & maxima rerum contineri constat. Nec vlla nauis, vlla vspiam domus, vlla Respublica, vllum sub sole regnum est, quod non vtraque hac columna nitatur. At vtrumque, ac præcipuè obsequium, qui est alter cardo rerum, prius fide censetur quàm vlla industria, dexteritate, peritia. Fides est summa summis rebus firmitas. Et ideo humano generi est loco salutaris numinis. Certè quàm pietati, tam fidei Deus fauet. Sapiens Numa vt paci ita fidei templum ædificauit, & solemne instituit. Eam postea Romana prudentia Ioui Capitolino proximam statuit. Omnes gentes vno consensu hanc potissimùm maximi faciunt, hanc vnicè venerantur; vsque eò vt huius laudem nemo sibi eripi velit. Ex ipsis virtutibus nulla se talem putat, nisi ipsi fides impensè faueat, quæ ideo dicta quoque est regina virtutum. Illi ipsi, quos constans fides offendit, eam tamen venerātur quam oderunt. Vbicunq. fides est, ibi omnes virtutes coli necesse

est. Cùm enim fides sit fundamentum iustitiæ, & iustitiam omnes virtutes comitentur, cuiuscunq; pectus fides insedit, hoc homine omnes virtutum numeri cōtinentur. Huius virtutis proprium est vt fiat id quod dictum, hoc est, promissum est. Indeque denominatam volunt. Quapropter cuicunque semel data fuerit, huic seruandam dicimus, etiã hosti. Quicquid secus fit, ea est aut periurio latebra, aut aperta violatio sanctissimi depositi, quæ nullis calliditatis recessibus, nullo excusationum, nullo falsarum rationum velamine occuli potest. Id, quicquid est, ipsa infidelitas est ac perpetuis perfidiæ maculis inspergit autorem suum. Denique quod vsquam bene, & ex hominis dignitate viuitur, totum est munus fidei. Si mutuis, vt fit, sese mali homines affligant, id inde est, quod inclinata & imminuta fides est. Vbicũque fides integra habitat, ibi nulli arbitro locus est, Ibidem iuramentum est res planè superuacua. De Xenocrate proditum, eius verbis tam luculẽtam fidem fuisse, vt cùm nullius iniurati testimonium admitteretur, huic tamẽ vni Athenienses iusiurandum remiserint. Ea lingua est super omnia iuramenta quam fides commendat. Et verò fidem res sequitur potiùs quàm vllam verborum formulã. Nulla res vehementiùs constringit hominum voluntates, nulla plus firmat ac stabilit amicitias, nulla vehementiùs Rempubl. continet. Sine fide nulla est hominum societas. Hinc enim solutio rerum creditarum, hinc præstatio promissarum, quæ sunt firma mortalitati præsidia. Sed quod vehementer dolendum, circa hoc cœleste bonum maxima est hominum infrequentia. Perpauci admittuntur in hoc sacrarium, perpauci hanc colunt, sanctamque habent. Id quisque in re sua priuata, id vniuersi experiuntur in publica. Vix vspiam fides est firma: parum abest quin vbique sit fluxa. Ipsi regnantes cùm vndique hominum flore circumfusi per publicum incedant, cùm tot hominum millia imperio regãt, vix vllũ reperiunt, cuius fide niti possint. Vsque eò facilis est iactura fidei, vsque eò abroganda, & vulneranda fide quotidie disrumpuntur humanæ vincula societatis. Hinc tot lites, quibus familiæ diu cōtritę euertuntur, hinc illæ iacturæ, quæ nullis opibus æstimari, aut pensari possunt, hinc illæ clades quibus humanum genus se mutuò conficit. Veræ fidei documentum est, frequentibus

contu-

contumeliis irritari, & atrocibus iniuriis vexari, nec tamẽ conuelli. Hinc illa generosorum pectorum aduersus apertum vitæ periculum contumacia. Hinc immortalia eorum exercituum præconia, qui perire preoptauerunt, antequam loco pellerentur, ne scilicet duci fidem aut Reipub. datam turpi ignauia desererent. Hinc illæ hodieque celebratissimæ vrbes quæ se fidei causa exscindi passæ sunt. Ne illa memorem animosæ virtutis plenissima pectora eorum, qui ne fidem non constantissimè tutari existimarentur, se vna cum coniugibus, charisque pignoribus in flammas coniecerunt. Et vero flammis absumi illa altissimorum animorum domicilia potuerunt. Sed fides nullo igne violabilis huc intacta rediit. Quoties ipsa seruorum hominum secta fidem præclarè contumacem, vt scutum impenetrabile tormentis quæsitissimis obiecit, potius quam aut dominus proderetur, aut officium desereretur? At quo pretio seruos tam liberis, támque generosis pectoribus prouocatos putas? Nimirum vna fidei gloria. Vsque eò huius virtutis fructus sunt suaues & expetendi, nec extra ipsam petendi. In toto censu fidei nihil est eorum quę fidei similia imperitorum oculis illudunt. Quicquid est mercenarium, quicquid pretio aut alicuius spe commodi paratur in nullam neque nominis, neque laudis communionem à fide admittitur. Illæ sunt potius sordidorum homuncionũ negotiationes. Certa fides illa est, quę præ vna se omnia quãlibet charissima, vilia habet. Clarissimi fidei cultores quemcunque in fidem semel acceperint maiori quàm ipsos propinquos charitate prosequuntur, eosque aduersus omnes iniurias tuendos constanter suscipiunt. Ipsi quandoque summi magistratus, & honestissimi homines quorum magna exstarent in Rempub. merita, seruandæ fidei gratia hostibus traditi etiam crudelissimis, & ad omnes cruciatus perferendos missi. Hinc illa cunctarum gentium pia quædam admiratio, quæ illos, in quibus tantum esset fidei, ad summũ fastigium extulit. Optimus & syncerissimus quisque, ne tenuitate quidem excepta, hoc semper curauit vnum, vt sibi esset fides. Numa ad sacrarium fidei, quod dixi, flamines bigis curru aurato vehi, eique manu ad digitos vsq. inuoluta, nempe quæ omnem mercedem repudiaret, rem diuinam facere iussit. Vnis illis fidenter & absque vlla

perfidiæ labe fides denegatur, qui se vniuersæ mortalitatis apertos hostes profitentur. Quippe nulla nec iurisiurandi, nec fidei communitas cum illis esse potest, qui omnem humani generis societatem priùs diremerunt. Falsò perfidus queritur, sibi nihil esse fidum. Domitius Corbulo, cuius est nomen inter Romana nomina magnum & honoratum, hoc vno homines contristasse dicitur, quòd fidei erga Neronem nimis tenax fuit. Hoc vnum in tanto viro Tiridates improbauit, quòd tale monstrum, vt dominum ferre potuit. Ipse Corbulo, cùm ad mortem adactus à Nerone esset, dignum se dixit qui talia pateretur. Fidei perpetua comes est niuea illa simplicitas, de qua supra dixi. Omne ingenium multiplex ac tortuosum rectissima & sanctissima fides auersatur. Fidelitatem non aliter seiungimus à fide, quàm sicuti effectum à causa. Fides nunc in secreto mentis habitat, nunc ipsis creditur pectoris vitalibus. Sed fidelitas in eo quod agitur, apparet. Fides est rectrix; huic fidelitas suum obsequium præstat. Fidei inimica est infidelitas siue perfidia, seu fraudatio, quæ est datæ ac debitæ fidei violatio, ad cuius solam mentionem omnis probitas contremiscit. Mens hac tanta diritate maculata omnis diuinæ puritatis exors est. At vbi non sola destinatione, sed in ipso rerum commercio existit hæc fœditas, tunc verò è vitio portentoso conflatur crimen omnium criminum columen. Perfidus est mortalis omnium mortalium impurissimus, vtpote diuini numinis derisor, sacramenti desertor, religionis contemptor, omnis sanctitatis euersor. Ergo prudenter poëtæ firmarunt, perfidos Titanas igne cœlesti deflagrasse. Hinc, videlicet, ostenderunt principatum nulla re magis quam perfidia lædi ab iis, quibus amicitiæ aut obsequij sacramentum delere, ludus iocusque est. Quot cœlestia decora fidem comitantur, totidem portentis Tartareis, vt immani satellitio, stipatum incedit hoc monstrum, cui nomen perfidia. In hoc cœno continenter volutantur leuitas & inconstantia, de quibus paulò post vberius dicam. Porrò quisquis semel perfidiæ dolis est inumbratus, cui, quod aiunt, neque fides, neque ara, neque iusiurandum manet, vix postea cum fide in gratiam redire potest. Quà vberior merces ostenditur, illò ad omne momentum versatilis est, huc præceps agitur. Quisquis

quis fidem exuit, hic quoque suæ famæ contemptor id vnum agit, vt porro sua infidelitate hunc aut illum pergat euertere. Huius perfidia callum obduxit. Huius tantæ fœditatis exemplum fuit Lysander ille, qui, captis ab se Thasiis, Athenienses, qui in æde Herculis occulebantur, inde promissa omnibus venia, elicuit; dein correptos contra interpositam fidem interfici iussit. Huic annumerandi sunt omnes illi qui fidem proditione lædunt, quorum vtinam nulla hodie exstarent exempla. O sæuum & pestilens monstrum! ô spurcissima labes generis humani! Vt te Deus immane portentum ereptum ex hominum cœtu retrudat in diros, vnde emersisti, extremi barathri recessus.

Cap. XXXII.

Fidei & fidelitatis præcipua argumenta sunt silentium siue taciturnitas.



QVIA taciturnitas interdum index est fidei, interdum perfidiæ, de ea si vera tradidero, rē huic instituto conuenientissimam egero. Silentium siue taciturnitas nō est simpliciter nihil loqui, sed sanè est dispensatio siue compensatio sermonis & silentij, siue scientia tacendi, vbi tacito opus est. De iis quæ nescio, ait Creon, tacere amo. Aut enim aliquid dici oportet silentio melius, aut prorsus tacendum. Neque enim loquendi id quod oportet, maior est laus, quàm tacendi id quod prudenter supprimitur. Certè tale silentium est certissimum documentum mentis sanæ ac morum temperatissimorum. Planeque mirum est, magnam hominum partem diserti laudem affectare; at vix quemquam intelligere, quanti sit hæc, de qua nunc ago, taciturnitas, quæ, sicuti statuaria, non est ars addendi, sed detrahendi. Illius quàm plurimi sunt doctores, huius nullus, nisi vnus Deus, qui hîc quoque, vt in aliis, frigidè imploratur. Ipsa sacra videre est silentij quadam religione potissimùm commendari. Non ibi opus est multiloquio, vbi diuina bonitas & non loquentes audit, & mutorum sensus vsque eò intelligit, vt apud ipsam nihil sit pio, attento, & animato silentio va-

lidius. Hæc silentij reuerentia luculenter spectata est in simulachro Angeronæ, quæ fuit ore obligato & obsignato. Priscis sæculis quoties in aliquo conuentu silentium erat, Mercurium superuenisse dicebant, nempe coram quo nulli mortali mutire fas esset. Pythagoras rudimentum sapientiæ posuit quietam illam ac tacitam quinquennij meditationem, id agens, vt homines prius loquitari dediscerent, quàm loqui discerent. Vir sapiens præclarè intellexit, eam linguam esse temerariam quam meditatio non anteit. Enimuerò prudentes, inter cætera bonæ mentis exercitia, silentio quotidie nonnullas horas impendere solent. Et illa planè regia educatio dici potest, cuius ea ratio est, vt priùs doceatur silentium quàm sermo. Apud Numam tanti fuit hæc tacendi disciplina, vt is vnam musam præcipuè sit veneratus, cui Tacitæ nomen fecerat. Ergo sapientem fatendum est, sæpissimè non minùs commendari opportuna taciturnitate, quàm docti sermonis vbertate. Qualiacunque dicantur, loquutum esse, quamuis commodè, frequenter pœnituit, tacuisse vix vnquam. Nullius seriæ rei capax censetur is, cui graue est tacere, quod omnium natura facillimum fecit. At ille vnus nouit opportunitates loquendi cui sunt nota tempora tacendi. Ac ne loqui quidem ex dignitate censetur is qui tacere nescit. Ipsi fatui & blenni, dummodo & honesto cultu, & qualicunque oris dignitate commendari possint, quoties linguæ temperant, prudentibus quodammodo fiunt similes. Illis ipsis qui abundant impudentia, hoc solùm subuenit, si abscissiùs loquantur. Saltem mediocris hominis est, continere vocem indicem stultitiæ. Quotiescunque stultus tacet, eo facto, qui est primus ad sapientiam gradus, pectore stultitiam abdere censetur. Hinc priscus ille monitus in sacrificiis vsurpari solitus, Pascito linguam, id est, & coërceto & contineto. Sic te compone, vt magis taciturias, quàm dicturias; si loquendum est, verba tua priùs sapiens cogitatio ponderet. Hæc tacendi opportunitas si quemquam, certè matronas virginésque decet, atque adeò ipsis est corona & ornamentum. Huius typus vna è cicadis Athamaniæ sumi potest, nimirum fœmina. Quippe hæ, quòd natura sunt frigidæ, & plus humoris habent quàm masculę, ibi perhibentur esse mutæ. Contra, loquaces & oblatratrices meritò dicantur

tur

tur scyllæ,cornices,hirūdines,quas Pythagoras autor fuit ne domi haberentur,promptæ,scilicet,& indomitę linguæ mulieres. Adolescentium quoque temporarium silentium spem vtique facit,fore vt aliquando cordato aliquo & vtili sermone pensetur.Omni ætati,omni sexui vetus verbum suggerendum videtur,Sermonem signa,id est,defini silentio,& silentium opportunitate. Adsunt & iudicia tacendo exercita,qualia fuerunt Areopagitarum, omnibus exemplum.Ibi scilicet,quod deerat sermoni pensabatur vero vsu iustitiæ.Nec tantum Areopagitarum,sed & cuiuslibet prudentis graui ac tacito iudicio notari est intelligenti si non pœna, at saltem acerrimus monitus. Illi quoque quorum omnis laus obsequio constat,loquentis domini nequicquā autoritatem expectant, cuius tacentis voluntatem perspiciunt. Sæpe in silentio tantum est ponderis,vt summi ducis solus aspectus,summi magistratus vnicus nutus absque vllo vocis ministerio furentes exercitus compescuerit, & seditiosos ciues priùs cōterritos in officio cōtinuerit.Prudentis aspectu,vt diuini luminis radio consopita conscientia momento exsuscitatur. Quapropter taciturnitas eius, cuius pollet autoritas, loco prompta semper efficaciter loquitur. Non attendo,inquiit quidā Rhodius ad lictorem Romani imperatoris vociferantē,ea quæ tu clamas,sed cōsidero quid sit illud quod ille silet. Quoties vir prudens aliis loquentibus tacet,non de nihilo tacet,sed tunc sapiētia sine vllo vsu vocis sese efficaciùs edit,quàm si clamaret.Iustitiæ vi coërcita lingua sæpe maiores aculeos habet quàm soluta. Quidam Catoni,ô Cato,omnes maledicunt silētio tuo. Dummodo,respondit, non etiam vitæ. Quippe tunc loqui incipiam cùm ea loquendum fuerit quæ taceri non debent.Dicitur Zeno in conuiuio legatorum regis tacitus sedisse.Percontantibus illis, De te autem quid regi nostro referemus? Esse quemdam,inquit,Athenis,qui & inter potandum tacere didicit. Tacendi peritia cuique est rectum iter ad destinata.Vestigatoribus & venatoribus diurni nocturnique labores essent irriti, si non silentio priùs quàm venabulis & impetu feras interciperent.Insidiis non abscōditis,non tacitis nullus hostis implicatur. Vir fortis,quia in pugna est quod agat, sibi silentium imperat,vt sit quod post pugnam meritò loquatur. Taciturnitas ipsi sæpe vitæ

præsidio est.Vt homines taceam, Quoties anseres alarum remigio superant montem Taurum, rostro lapidem sicuti clangori frænum,arripiunt, ne ab aquilis exaudiri possint. In patrocinio silentij securitatem inueniunt. Consilia ducum,regum,rerumpublicarum,quæ silentio non operiuntur,sæpe suis autoribus perniciem afferunt. Tunc omnino silentium rumpi debet,cùm aut princeps iubet, aut aliqua iusta causa & necessitas postulat. Nam quid socordius & flagitiosius quàm inutili taciturnitate rem priuatam deserere,aut infideli publicã prodere? Hoc perfidiæ genus antiquitas hoc prouerbio signauit, Bos in lingua. Procul à bono viro facessat omne silentium subdolum, captiosum, perfidum, cuiusmodi fuit illius, quem hæc loqui non puduit.Mirum tibi videtur,si tu loquendo talentum lucrifecisti?Ego vt tacerem,decem talenta accepi. In re priuata hæc est reticentia, quam sequitur pœna dupli; Nempe,si quod est in re vendita vitij, id ab venditore tacitum est, cùm nominatim exprimi debuerit. Cæterùm cũ nulla hominibus conciliandis sit res efficacior quàm mutuæ allocutiones, quæ sunt rationis interpretes ac ministræ, prorsus absurdè ibi silentium vsurpatur, vbicunque sermo adhiberi debet. Vt absentium amicitias frequente literarum commercio cõfœderari,diuturna taciturnitate sensim dissui constat,ita mutua præsentium beneuolentia colloquiis alitur & crescit; at obstinatiore silendi pertinacia minuitur & extinguitur. Virginis aut matronæ silentium, cuius pudicitia pollicitationibus tentatur, nihil aliud est quàm ipse assensus,ipse annutus.Nam quoties ea quæ debet esse constantia responsi improba taciturnitate eliditur, in eo verò est ipsa flagitij appetitio,confessio,professio. Silentij planè sunt diuersi in exercitu & Republica effectus.Militũ silentium plerunque est argumentum disciplinę. At vniuersorum consensus ad obstinatè tacẽdum, ea verò est seria principi monitio,se ab illis,qui tacent,metui,& illa taciturnitate abdi odia,quæ aliquando erumpent.Nec aliud expectandum habent quidam in aëre milui, & in salo delphini,qui cunctos cogunt leporis vitam agere, & suæ improbæ cupiditatis prædam esse. Illud silentium non solùm inutile, sed & deridendum est,cui non coniuncti sunt gestus & mores silẽtis.Quid hominis illũ esse dicas,qui illud

quod

quod os tacet, vultu ac gestu socorditer prodit; Cui rei linguam taciturnitate cohibeas, si vno excepto ore, vndequaque loquax es? Per canales & fistulas aqua fluit, in conceptaculo moratur. Tu, quisquis es, esto conceptaculum non fistula. Noli committere vt solùm arcana transeant per aures tuas, sed ea intra ambitum cordis veluti malleo cuneata contine. In aula Cæsarum Romanorum Silentiarius à silentio dictus est is, qui principi erat ab arcanis, quos hodie secretarios vocant. Arcana sibi credita quisquis retegit, est garrulus, est iniqu9, est suæ improbitatis proditor, si spe lucri, aut pretio adductus id scelus commisit. Si sola leuitate impulsus fecit, sanè est blatero, & homo nullius pretij. Quapropter sit lingua tua fidele penu, cuius tibi sit clauis eiusdē linguæ custos. Imitare armaria, à quibus siquid petitur, tunc tantùm loquuntur. Noli subsultare, & intimè gestire quòd tu vnus eorum conscius es, ad quæ alij non admittuntur. Homerus Vlyssem suum fingit arcani sui tā attentum custodem, vt illud vnico excepto filio, nemini, ac ne vxori quidem, crediderit. Quidam in conspectu Antipatri abscidit sibi linguā, ne patriæ arcana eloqui cogeretur. Siquis arcanum suum alij credit, is haud dubiè accusat fidē suam quasi continendæ rei imparem, & illi cymbæ similem quæ est plena rimarum. Quòd si is, cui ea res credita est, fuerit similis creditori suo, tū creditor scilicet planè periit, quia res dispalescit. Si is creditor illo taciturnior fuerit, tū ille hoc felix est, quòd hominem se fideliorē nactus est. Id vbique & in omni re cauendum, ne silendi modestia in conscientiam ducatur. Solent enim homines esse proni ad suspicionem; & id quod quispiam eloqui non audet, putant esse secretam noxam, & aliquod conscientiæ vulnus. Certè eum qui sit manifestò suspectus, silere, est argumentum reatus. Vt commemoratio præteritorum malorum sicuti aliquod eorum additamentum, solet esse acerba, ita si taceantur, id verò censetur esse nonnullum accepti detrimenti leuamen. Ad hoc tacendi decus itur per longa rerum aduersarum experimenta, quibus in mediis Orestes fatetur, se & loquendi ac tacendi loca ac tempora didicisse. Huc pertinent illi quamlibet vulgaris prudentiæ communes contritique monitus, cæterùm & veri & salutares; Quod facturus es, hoc tute tecum tacitus habeto.

Illud quod ſcis, neſcias. Quod videris ne videris. Quod tuę concreditum eſt fidei ac fiduciæ ne enuncies cuiquam. Quid de quoquo viro, & cui dicas, etiam atque etiam circumſpice. Plus quemlibet ſcire quàm loqui oportet. Si reſciuere inimici conſilium tuum, tibi tuopte conſilio occludunt linguam & conſtringunt manus. Tace, ne quid ſtultè dicas. Plebeius ille haud ſanè, inſulſus, Nemo, inquit, eſt meorum animorum hodie apud quem expromere omnia mea occulta audeam. Alium ſilere quod voles primus ſile. Ne ſit tibi graue id tacere quod eloqui turpe aut ſtultum eſt. Si, inquam, hæc eſt ruſtica ſapientia, quid ab illis exigi putas, quibus magna concreduntur? Si talia ante tẽpus eliminantur, quid differat ſenatoria dignitas à plebeia leuitate? Vt opera Dei celebrare eſt opus præclarum, ita arcanum cuiuſcunque ſit, continere, eſt locupletiſſimum fidei teſtimonium. Equidem ſic puto, tacere quod cenſueris non eſſe minus ſenatoriũ, quàm cenſere quod exequaris. Tacendi virtus nuſquam habitat niſi in pectoribus fidis & altis, iugíque reipub. cura munitis. Euripides obiicienti cuidam ipſi eſſe os fœtidũ, Scilicet, inquit, quia multa ibi computruerunt arcana. Neque tamen ſenatorem, ſiue conſiliarium formamus elinguem. Eſt enim quędam ſecta, cui multi nomen dederunt, quibus cùm nihil vnquam occurrat quod dicãt, coguntur eſſe ſtatua aut vmbra taciturniores, nec lingua ſed pedibus cenſere. Vbi ſermone, quãlibet ſalubri, nihil eſt opus, ibi verò ita comparcendus eſt, aut certè librandus, vt quiſq; quouſque ſapit, hactenus loquatur; & loquendo plus ſignet, quàm verba dictãt. Nos certè venerabile illud ſilentium vehementer commendamus, cui nullus metus, nulla ſpes, nulla incogitantia aut infidelitas elicit vocem proditricem occultorum, quo bene conſulta, vſque quò proſperè euenerint, præcipua fide celantur. Prudens quidem princeps quid fieri debeat nullo periculo cõmunicat cum multis. Sed quid facturus ſit, vix cum altero, ac ſæpius ipſe ſecum. Hoc ipſum ſignauit effigies Minotauri inter militaria ſigna nequaquam poſtremum. Nam ſicuti labyrinthus Dædali portentoſum hunc partum occuluit, eâdem ratione conſilia ducũ æquũ eſt reponi in ſeceſſu pectoris, nec inde promi, donec ea prodi tẽpus adſit. Aliter ſi fit, tunc verò benè conſulta fiunt incõſulta, & hoſti

ci conducibilia. Tunicam meam exurerem, ait Q. Cæcilius Macedonicus, si eam consilium meum scire existimarem. Illi quos hominum summi in omnia belli pacísque consilia cōsociant, nulli vitę rationi studiosius insistere debent, quàm huic, vt multorum conscij pauca loquantur, velut indicta sibi huius rei lege. Pudeat te, qui vnus es, nō censeri hac virtute, quæ aliquando eluxit in vniuersis. Si meruisti secretū principis, vel hoc formida, ne, si fortè ab alio prodatur, ea suspicio ad te quoque perueniat. Remunera eum mutua charitate, vt quandocunque is abs te depositum reposcet, tutas aures inueniat, illúdq; vbi reposuerat, indidem recipiat. Quid fœdius, quid item periculosius quàm in ipsa maximorum principum amicitia nonnunquam reperiri non quantum satis sit, & moræ tolerantes, & secretorum capaces? Illos dico vel ingentium rerum ministros, & principalis curæ socios. Atqui in M. Agrippa Augustus patientiam, in Mœcenate taciturnitatem desiderauit.

CAP. XXXIII.

Taciturnitati contraria est loquacitas, futilitas, petulantia, loquentia, verbositas.



TACITVRNITATI inimica loquacitas est loquendi nimia, intempestiua, immodica facilitas. Est ipse sermo superfluens, nec modò non necessarius, sed otiosus. Si mauis, loquacitas est intemperantia sermonis loquentium impatiens, & aliis quod loquantur, præripiens. Loquaci sunt fluenta orationis, at mentis ne vnica quidem fortasse gutta. Nam si esset, nunquam loqueretur ad tædium & lassitudinem audientium, nunquam quæ aliorum est oratio, hanc sibi, sicuti in possessionē suam venerit, vindicaret. Est n. loquacitas in priuatæ sortis homine quædam species auaritiæ, quæ alienā loquendi partem ad se trahit. In potentioribus est ipsissima tyrannis. Etsi in rege, aliisque summi loci hominibus loquendi vbertas ita excusatur, vt laudetur. Qua laude præ-

ter cæteras commendatus est Cyrus, cuius prolixiorem sermonem beneuolentiæ & humanitatis indicē omnes libenter excipiebant. Et verò quisquis & bene & amicè loquitur, quo plura dicit, hoc auidiùs auditur. Huic vitio inseparabiles comites sunt incogitantia, leuitas, importunitas, temeritas, impudentia, sui nunc ostentatio, nunc venditatio. Loquacitatis proprium est, progignere mendaces rumores, facta, non facta deblaterare, nuntios rerum nouarum subdere, veros, falsos, qualescunque sunt dispergere. Quamuis in media vanitate deprehendatur, tamen est falsæ rei audax assertrix. Vt parciloquium est verum specimen prudentiæ, sæpe & fidei, ita nullum est euidentius documentum perfidiæ stultitiæ, & capitis vacui, quàm stultiloquentia instructa multa supellectile eorum verborum quæ quidam caua & vesicæ similia, alij volantia & volatica dixerunt. Quibus verbis per quam scitè dictum est, detrahendas esse pennas, ne exeant è septo dentium. Hæc eadem illa sunt quæ priùs in labris nasci dicuntur, quàm in pectore. Blatero immodicè, imprudenter, impudenter verba fundendo illi propter quem stat, est morbo grauior & molestior, Si nauigat, est proximis nautea insuauior, si fortè id agit vt laudet, est ipso contumelioso intolerabilior. Hunc Apollo, Musæ, Gratiæ prorsus auersantur. Mirum est ipsum tam multa loqui, ac tam pauca dicere. Delphicum Apollinem vetustas vocauit λοξίαν obliquè vitantem. Quid vitantem? Nimirum insulsi alicuius futilitatem, cui vt linguā est ambulacrum, ita prælongæ & asininæ aures, & vltra modum arrectę sunt indubitabile argumentum futilitatis. Futilis est is, qui tacenda silere nescit, prorsus similis vasis futilibus à fundendo nuncupatis. Et futilitas est ea vitiositas quæ continenda retinere nequit, prorsus vt cimba malè consuta hac illac persluens. In futilem conuenit illud Diogenis, Ne mihi quicquam occulti dicas. Repagulum apud me, quominus euolet, nullum. Accensus carbo super lingua futili, inquit Socrates, faciliùs retineri potest quàm sermo arcanus. Quos leuitas & incogitantia impellit in hanc fœditatem, horum similiter audiuntur verba perpetua, infinita, obtundentia, multo tinnitu, rebus paucissimis. Frequens adolescentiæ morbus, cùm tamen hanc ætatem multo magis decet virtus prompta & manus stre-

nua quàm lingua acuminata , frequentior stultorum senum , à Sileno correptorum, frequentissimus fœminarum quarum propria est ineptissima loquitandi licentia,& perpetuus pruritus deblaterandi ea quæ sciunt, quæ nesciunt. Has siue picas siue corniculas Phidias modestiæ serio admonuit,cuius effigiata Venus testudinem pedibus calcans hoc loquebatur , domi sese mulieres contineant,silere discant,sint lanificæ,sint frugi & viro deuotæ. Quos importunitas,temeritas,impudentia,ostentatio & venditatio sui cogit esse molestos alieni sermonis interpellatores,hi nūquam fauent alienis laudibus,semper de se dicunt,sua narrant & magnificant , vix vnquam sine damno & contumelia meliorum , prorsus poëticis Corybantibus similes, dum multa dicacitate primùm sua vulnera contegunt,mox de suis peregrinationibus , periculis, rebus gestis,honoribus longos sermones texunt. Quos mirum est tam multa loqui, cùm ipsis tacere sit in promptu.Omnes loquutuleii multam sibi comparant verborum copiam vnde alienas aures delassent,potissimùm si quis balbutit,Hic enim dum affectat laudes diserti,reperitur infantissimus. Quòd si adest linguæ volubilitas , hinc verò isti promptè mutuantur quicquid confert ad hanc ipsam volaticam verbositatem, quæ aliena decora sibi, propria dedecora potióribus ascribit,alienis virtutibus obstrepit , in prædicandis mendaciis semper occupatur. Omnes blaterones improba curiositas inquietat. Semper inquirunt in aliena facta,negoria,facultates.Quicquid Iunoni Iupiter in aurem susurrauit,sciunt. Quid cuique in mentē venerit, vēturumue sit,atque adeò id quod nec est,nec futurum est,id quoque sciunt.Ab istis aliena facta lacerantur, vita describitur. Quarum artium sunt imperiti, in his se immodicè iactant.Prorsus sunt illi Megabyso similes magno alioqui viro,quem pueri Zeuxis quædam absurda de pictura loquentem meritò deriserunt. Isti plerunque, dum rebus alienis studenr, proprij negotij sunt indiligentes , suæ famæ incuriosi,alienæ vituperones & carptores audaculi. De republica,de regum & principū ingenijs & factis,de regnorum administratione nemo proptius & maiori temeritate loquitur. Vt omnia se scire ostendant,vltro quærunt apud quos omnia sua expectorēt, prorsus vt Arabij tubicines , aut noui Batti eadem idem-

tidem inculcantes. Nec desunt qui citra omnem honestatis nitorem consistere amant, qui,inquam,intemperantia dissolutæ & fœdæ orationis castas aures vulnerant, Id quod est certissimum documentum animi ignobilis, mentis inquinatæ, conscientiæ sordidatæ. Nam ea quæ ne cogitare quidem, nedum eloqui licet,illa sunt in quæ isti excurrunt. Hinc,scilicet, talium mores pellucent.siquidem oratio est vmbra vitæ & operum cuiusque,Certè frequentiùs euenit,vt is cuius sermo est grauis & probus,sit vita & moribus depravatis,quàm vt is,qui è longinquo sermones accersit, aut turpiculis vtitur, non delabatur ad aliquam turpitudinem vitæ.Quapropter homini pudenti,& prudẽti idem est loquendi catalogus qui pudoris & prudentiæ. Quod est in corpore pulchritudo,hoc est in animo sermo. Si animus est syncerus, sermo est simplex, Ingenuus ingenuè loquitur,& omnibus interpretantium ambiguitatibus promptè obuiam it. Indoctiùs loquere;ait quidam, dummodo apertiùs & simpliciùs. Si verborum anxietatem vitaueris, inquit Socrati quidam, in senecta longe sapientior euades. Sermo nimis arduus & operosus est documentum ingenij anxij,& ad fallendum exerciti. Apollonius dicebat eam orationem esse insuauem quæ ascendit supet Atticam mediocritatem. Demosthenicum sermonem antiquitas commendauit vt viuum & nitidum, certe non ita dẽsum, vt malleo videatur intrusus, aut ex aliquo vetere dumeto, priscoue monumento effossus. Hic mihi essẽnt compellandi nonnulli è literatis,quibus vt concedam bellaria mensæ esse sermonem eruditum, tamen & hoc fateantur necesse est,affectare laudem scientiùs ac vberiùs loquendi potissimum apud mensam,eas verò esse ineptissimas literas. Verior doctrinæ character est morum & sermonis temperantia quam sermonis quamlibet docti abundantia. Commordeat potius quisque sibi labra, vt ille apud Sophoclem ait, quam quicquam sancta sobrietate & simplicitate alienum eloquatur. Bonadicta,si non loco promuntur, similia sunt iis telis quæ in inane iacta ventos vulnerant. Nec loquẽtem honestant,nec audientẽ erudiunt, illũ accusant importunitatis,huic odium creant. Pręstat lapidem frustra mittere, inquit ille, quàm sermonem otiosum & superfluum. Anacharsis, sapiens ille Scytha, cùm cubaret;

ret, sinistram manum vt debiliorem parti genitali, dextram vt valentiorem ori admouebat, docens multo esse operosius linguam compescere, quàm voluptates. Cæterum cùm sermo sit admirabile opus Dei, quò otiosiùs gustatur, hoc est admirabilior. Ea re prudentes lentam orationem præferunt properæ. Lentè & leniter loqui multùm trahit è sapientia. Præcipitare verba est iniuria loquentis, eiusque quod quisque loquitur. Lentitudini proxima est lenitudo. Vt è bonis factis formatur autoritas eius cuius sunt, ita è verbis quietis proditur animi tranquillitas. Certè sermo temperatus vt sapientiæ, ita quoque est index felicitatis, & illius, quam homini natura ingenerauit, maiestatis. Vt hominum summi & potẽtissimi indutu præ cæteris vtuntur augustiore, ita ipsorũ verba par est esse lectiora, atque adeò in hoc imitari heroas & semideos, quos aiunt ὑψαγόρας ἔμμεναι, altiloquos esse, eloquio vti non quidem superbiore, sed quæsitiore, sublimiore, venerabiliore. Omnes ergo bonos, omnes item celsiori loco homines monemus vt veracem ad incudem, quomodo Pindarus ait, formet quisque linguam suam. Hinc sordes absint, hinc theatralis tumor. Vel ipsi imperiti agnoscant, quantum intersit inter parcam senatoris loquendi grauitatem, & proletariam humilitatem, inter pondus verborum lectorum & histrionicam petulantiam. Alcibiadem adnotatum est non tam fuisse λαλεῖν δυνατώτατον, ἢ λέγειν ἄριστον, loquendo, quam dicendo validissimum. Talis sermo quo sępius regustatur, hoc plus saporis habet, & condimẽti. Hũc quoque Homerus tribuit Vlyssi suo, quoties eum dicit non mittere voces ex ore largiloquo, sed è pectore sapido. Non idem fuit Diogenis de Platone iudicium, cuius loquacitati Platonici nomen indebant vbertatis. Nimirum graphicè Platonem rogauit vnus tres è suo horto nuces. Plato non ternionem nucum, sed ei plenum modium misit. Ibi Diogenes. Sic interrogatus respondes infinita. Vt compendio dicam. Hæc est sapientium existimatio, Eũ qui pauca loquitur nõ opus habere multis legibus & remediis. Nam qui loquendi modum seruat, hic sibi lex, hic sibi magistratus est. Postremò sciendum, vitium loquacitatis vix vlli impune fuisse. Tantalus Ioue prognatus communi Deorũ mensæ, & arcanis consiliis adhiberi solitus erat. Is cœlestiũ

arcanorum parum capax exercuit linguam indomitam & incontinentem. Ergo supplicium ei fuit, in aëre librari, & saxum vertici imminens miserè formidare. Etsi hanc pœnam alij aliter memorant, qui aiunt, eum apud inferos mẽto summam aquam attingere, ardentissimè tamen sitire. Similiter habitus est Phineus, qui quòd Deorum consilia proderet, ab Ioue est excæcatus. Eidem Harpyiæ, quæ sunt canes Iouis, escam ab ore præripiunt. Oceanus cùm spectaret supplicium Promethei tales ait esse exitus linguæ insolentis. Certè Hercules propria fortitudine nixus spernit procacitatem Acheloi. Dummodo, inquit, pugnando superem, tu vince loquendo. Nec fabulæ tantùm continẽt pœnas loquacium & blateronum, sed & in ipsis rerum gestarum monumentis talium exemplorum affatim est. Cum Maximus, qui Plutarcho est Fuluius, arcanum Augusti de reducendo Agrippa vxori retexisset, illa Liuiæ, introiit ad principem, dixítque; Salue Cæsar. Huic Augustus ὑγίαινε φίλβιε, Sanum tibi sinciput Deus det, homini loquaci exprobrans insaniam. Valerius Soranus, quòd alterum Romanæ vrbis nomen, quód enunciare cæremoniarum arcanis nefas habebatur, prodidit, mox luit pœnas. Qui iusto, ait poëta Ouidius, plus esse loquax, arcanáque fueuit prodere, piscosis fertur victurus in vndis, id est, moriturus. nec enim sub aquis datum est homini vt viuat, Vt nimiam pensent æterna silentia vocem.

Cap. XXXIV.

In ordine virtutum prudentiam sequitur fortitudo seu virtus.

PRVDENTIAM, easque virtutes quæ eam circumsistunt, sequitur fortitudo, cui quoque peculiare nomen virtus. Hinc & fortes & viri nũcupantur. viris enim, vt Apollonius dicebat, Respub. opus habet, non hominibus. Fortitudo est virtus intelligens laborum, periculorum, rerúmque terribilium, qualis est dolor, cruciatus, mors: sed prçstante quadam firmitate, mente, inquam, impauida, & formata ad obsequiũ Dei

Dei talia ſubiens, ac perferens, nunquam à ſtabili iudicio diſcedens, cui finis eſt publica vtilitas, & commoda vniuerſorum. Ergo hæc virtus media cōſiſtit inter metum & confidentiam. Fortis eſt is, quem nulla rerum aſperitas, nulli ſubiti caſus, nulla formidabilia perturbare, non de ſtatu naturæ deiicere, non abducere ab vſu rationis poſſunt. Hic ille eſt qui præoptat honeſtè mori, quàm turpiter viuere. In mediis turbis eſt animo ſedato & præſente, inter qualiacunque conſtitit, ſemper eſt quietus, ſemper imperturbatus. Rationem ſingulis virtutibus comitem addo, vt inſignem notam, qua ſingulæ ab iis, quæ perſonatæ ſunt diſtingui, & ab vitiis conterminis ſeparari poſſunt. At cùm ratio auerſetur feruidos, turbidos, cupidos, impotentes, vitæ venalis, ſuperbos, iniurios, furioſos, efferatos, nulla probabili cauſa periculis obuios, nullus horum vocatur fortis, ſed amēs, ferus, temerarius, deſperatus, iniuſtus. Hunc neç Minerua, nec Gratiæ, nec Muſæ reſpiciunt, Bacchæ eum & Furiæ agitant. Ergo fortitudo non eſt impetus inconſultus, non præceps audacia, non cæca temeritas, non florida ferocia, non appetitio eorum quæ omnes timent. Non item eſt malitioſa & alieni inſidiatrix cupiditas. Semper & vbique eſt rationis & iudicij retinens, cuius impulſū contemnit omnia, quæcunque in hominem cadere poſſunt, dummodo hoc propoſitum iuuet ac promoueat eam, quæ rebus omnibus anteponi debet, hominum communitatem & coniunctionem. Certè in fortitudine eſt certa homini ſalus, eſt certa Reipublicæ ſecuritas. Humanæ imbecillitati nullum hoc præſidio, prçſidium firmius, nullum præſentius. Extra ſepta fortitudinis omnia ſunt periculis obnoxia, miſera, infelicia. Solus vir fortis eſt mente ſenex ac prouidus, manu ſtrenuus ac promptus membris, ſi quid hoc ad rem pertinet, præualidus, oculo celerrimus, euentu felix. Vis & excellentia fortitudinis tribus rebus potiſſimùm continetur. Primo loco eſt ἀπάθεια ſiue τὸ δυσέκπληκτον, affectionum exortem eſſe, non facilè percelli & perturbari, non ſtatim affici, cupiditatem compeſcere, quæ multitudini ſunt magna & expetenda, ea infra ſe ducere, & ratione firma, ſtabilique contemnere. Secundo loco, ſi quid accidit acerbum & graue toleratu, ea re animum robuſtū non frangi, nunquā a ſapientis dignitate ſtatuq; diſcedere.

Hanc vocamus doloris, ærumnarum, mortiscontemptionem. Tertiò, à viro forti desideratur, vt animo nihil agitet, nihil item agendum suscipiat nisi pulchrum, quamlibet arduum, dummodo ea re vniuersorum vtilitates augeri, aut ab iis pericula depelli possint. Vtrobique adhibendi sunt illi nerui, quos nullus delicatior cibus homini subministrat, sed illæ leonum medullæ, quibus Achilles altus dicitur, hoc est educatio seuerior, & disciplina rigidior. His rebus intelligitur, nullam esse sine sapientia fortitudinem, neque viri fortis appellationem alij conuenire quàm vni illi qui degit in contubernio sapientiæ. Hic vnus quantum sibi & sufferendum & obluctandum sit, videt, eoque intellecto accingit se ad omnia subeunda, excellente quodam vigore mentis armatus. Hunc pericula allatrant, & horribilia circumstant. Sentit quidem quo loco sit, sed continuò hanc sibi virtutem aduocat. Hæc est ipsi murus aheneus, & turris adamantina, est rupes immota, quam ingruentibus opponit. In medio rerum æstu quietè ratiocinatur, ictus impudentiæ aut cautè vitat, aut virtute superat, ingruentem audaciam debilitat, insolentibus verbis fortia facta opponit, contra polypi dolos præstat se murænam. Ei subblandiuntur hinc res prosperæ, hinc voluptates. Nec prosperis decipitur, nec vllis delinimentis emollitur. Tunc potissimùm fortitudo eam rimatur animæ partem, cui nomen θυμὸς genitrix cupiditatis siue concupiscentiæ, quæ sub imo pectore nidulatur, eámque è loco tam nobili proturbat. Est enim cupiditas impetus animæ cupientis alij detrahere quod sibi tribuat, vndeque se expleat, cui adhæret impudentia, immodestia, intempestiuitas. In hoc potissimùm vir fortis se attentum præstat, vt hũc cupiditatis gurgitem euitet. Ideoque affectibus, prauis vtique suasoribus, strenuè resistit, questibus abstinet, qui sunt indices animi imbecilli & cupidi, iram domitat, quæ feras, non homines ostendit, quas, etsi ruentes in vulnera, nemo fortes vocauerit. Nec verò fortitudo eget stomacho, furore, impetu, quæ tota nititur mente sana, mansueta, iusta. Denique is, quem viri fortis appellatione condecoramus, ante oculos nihil habet nisi vnum id quod honestum, decorum, ęquum est. Qui orbem terrarum meritorum magnitudine peragrarunt, quid aliud hodieque audiunt, nisi viri fortes? vt sapien-

pientia est principium vniuersæ virtutis, ita fortitudo est eius perfectio. Illa quid facto opus sit, decernit, hæc illius decreta, quandocunque opus est, tuetur. Est ergo fortitudo animi generositas cuius regimen est penes prudentiã. Græcis est εὐτολμία, siue εὐψυχία, animus ad bene audendum paratus, qui non sua cupiditate stimulatur, sed cõmuni vtilitate impellitur, qui pericula non recusat, & quidem nõ faciendæ, sed propulsandæ iniuriæ. Priores fortitudinis partes pertinent ad curam & prouidentiã: posteriores spectant rerum gestionem, curationem, perfectionem, qui est virtutis cumulus. Socrates fortitudini non dubitauit indere nomen sciẽtiæ, & quia discitur, & quòd in se omnium rerum peritiam continet. Dixi fortitudinem non esse sine iustitia quæ est summa omnibus in rebus æquitas, cui æquabilitatem adhærere necesse est. Æquabilitas hoc præstat vt fortitudo semper sit eadem, non à sua excellẽtia, non à se ipsa degeneret. Certè præcipua fortitudinis laus hęc est, vt omni iniuria reiecta, omnique iniquitatis & inæqualitatis deformitate explosa, iustitiam animosè tueatur, & quicquid est in comitatu iustitiæ. Perit enim ciuitas illa in qua virtutes & vitia, ignaui & fortes in æquo sunt, vbi Cęsarianorum militum est illa vox, Qui rectè fecerit, multabitur, qui pessimè, regnabit. Quoties poetę sub nomine & specie Martis fortitudinem demonstrant, signãt huius virtutis excellentiam a iustitia nũquam adhiberi nisi aduersus iniustos. Quippe dicitur Ἄρης παρὰ τὸ ἀρήγειν ab iuuando, non quod ipse sit præstes hominum iniuriosorum, sed iustis auxiliator iustus, nec tam belli autor quàm depulsor, & placidæ pacis opifex. Similiter scopus viri fortis nõ is est, vt rem strenuè gerat, sed vt re strenuè ac prosperè gesta, iniuriam repellat, alienam tanquam suam, & publicam animosius quàm priuatam, hinc vniuersi in tuto collocentur, vt pro belli periculis subeant commoda & ornamenta pacis. Dici ergo potest, virũm fortem ad se tuendum esse vigilantissimum, alienæ salutis viriliter curam suscipere, publicæ maiestatis esse propugnatorem acerrimum. Hoc totum munus viri fortis est illud honestum quod tanta cura celebratur ab iis qui inter homines adepti sunt nomen ac dignitatẽ sapientis. Hęc est humanis actionib. proposita meta, in cuius summitate surgit magnæ solidęq; laudis magnũ ac perpetuum

decus. Nō ergo fortitudo aut opus habet, aut amat se venditare in foro, atque ibi plausus captare multitudinis. Vt ipsa in animis vniuersorum est augustissima, ita in ore posteritatis futura est celebratissima. Animus viri fortis vt est altissimus, ita humillima quæque despicit vt ingentia meritus. Vix vir fortis ambulat per plana, vix consectatur illa quæ vulgò iucunda sunt & suauia, certè nunquam pingui otio marcescit, nunquam ex abdito quemquam icit, nunquam est lingua Thersites, semper animo & manu Achilles, inter flammas inuiolabilis, inter voluptates siliceus, inter dolores impenetrabilis, inter mortis terrores imperterritus. Hic ille est qui tauri Marathonij cornua comprehendit, qui cum apro Erymantho, aut cum leone Nemæo confligere audet. Vbi ipse est, ibi scias esse muros & propugnacula, ibi machinas, & oppugnatores. Quem videris inter ærumnas non tantùm forticulum, sed robustum, inter angustias rerum non contritum, sortis quamlibet durissimæ tolerantē, vno defunctum periculo, paratum defungi proximo & imminente, offerentem corpus vexandum & lacerandum iustitiæ tuendæ gratia, nullo aduersorum cōcursu auocatum à tranquillitate mentis & securitate sua, hunc & fortem & Cecrope Codroque generosiorē dicito. Ad hunc spolium leonis audacter mittito; huic Herculeum stipitem in manum indito. Fortitudinem non semper singulos, sed totas aliquando gentes apertè professas, & pectorib. fuisse adamantinis, hinc liquet, quod vt robur in animis, ita ferrum in dextris gestantes se & sua vsque ad extremum vitæ spiritum tutatæ sunt. A talibus exemplis, quòd eorū plena est antiquitas, me contineo. Vexilla fortitudinis cōspicua, aduertenda, immortalia sunt. Inter hæc eminuit corona fortitudinis, qua Brutus ille tyrannidis exterminator, & mortuus insignitus fuit. Hinc quoque gentibus nomina indita, vt Neronibus. Romæ statua fortitudinis diutissimè stetit in loco celeberrimo. Sed vaticinio quodam intellectū est, statim vt illa corruisset, fore vt omnis Romana virtus pariter prolapsa marceret. Ideo Romulus iam receptus inter numina iussit nūciari Romanis suis, vt vna cum temperantia fortitudinem colant, id est, ita pergant esse fortes, & militarem disciplinam colere, vt nunquam obliuiscātur temperantiæ, quæ est index & comes iustitiæ. Hunc ipsis

ad rerum culmen ascensum fore. Cæterùm quòd est militaris fortitudo, est & domestica, nos neutri plus minúsve tribuimus aut fauemus. Quippe vtrisque vnus est fons, vna origo, idem finis, eaque re vtrámque æquamus.

CAP. XXXV.

Fortitudinis magnum specimen est constantia siue perseuerantia, quibus adiuncta est securitas. Huic virtuti contrarium vitium est inconstantia.

FORTITVDO in duos veluti ramos diducitur, constantiam siue perseuerantiam, & patientiam siue tolerantiam. Etsi enim apud scriptores probatissimos hæ voces nonnunquam ita confunduntur, vt altera ambas demonstret, eas tamen discriminari constat. Constantia est in honesto proposito perseuerantia. Nam in omni re suscipienda primò constituendum quid sequaris, deinde in eo perseuerandum. Mutare consilium, re non cogente, & nolle quod mox volueras, Epimethei est, non Promethei. Fieri Protheũ, & tot induere personas quot adsunt cupiditates, refertur ad singularem improbitatem. Manere in bono proposito non solùm virilis, magnæque alicuius facultatis, sed apertissimæ diuinitatis est. Nec enim tanta laus est laudanda cœptare, quàm bonũ honestumque propositum custodire. Honestum propositum illud est cuius honesta causa est, similisque finis Ab tam auspicato principio vsque ad exitum tam optatum omni ope id agendum vt suscepta res honestis rationibus perducatur. Eò donec peruentum sit, quicquid in eam rem insumitur operæ, studij, laboris, quantum interea exhauritur molestiæ, quantum periculorum exsuperatur, id omne est opus vnius constantiæ. Cùm ergo constantiam & patiẽtiam distinctè nominamus, neutram sua proprietate fraudamus, sed vtrique suum decus assignamus. Quæ res constantiæ causam dedit, ea inducta est, cogente nemine, sponte est suscepta, & vnius suasu impulsu q; virtutis. Quę

patientiæ, eam aliqua necessitas introduxit, quicquid eam tentat extrinsecus ingruit, nec tam vitari potest, quàm tolerari debet. Constantia omnia sua dirigit ad eum, quē sibi proposuit, scopum, nihil vltra spectat. Patientiæ finis est, vt denique victrix euadat eorum malorum, quibus iniustè premitur. In eo consentiunt, quod vtraque desiderat animum fortem, eum, qui omni imbecillitate explosa, solo nitatur robore suo. Ergo non diuersæ eunt, sed vniter contendunt. constantia, dum nulla mora fatigatur, nullis minis, nullis obuiis difficultatibus deterretur, patientia, dum nullis ærumnis contristatur, nulla, nec iniuria, nec dolore vincitur. Constantia rem promouendo enitescit, patientia resistendo roboratur. Pyrrho philosophus medicamēta vlceri admota, sectiones item & vstiones tanta firmitate tolerabat, vt ne hisceret quidem, vultumve contraheret. Hāc propriè vocamus patientiā, siue tolerantiam, non constantiam. Idem censemus de Anaxarcho, qui cùm in saxū cauatum coniectus cæderetur malleis ferreis, præclaram hāc vocem emisit. Tunde, tunde Anaxarchi vasculū. Anaxarchum enim non potes. Saguntinorum, Phocēsium, Sophonisbæ, vxoris Asdrubalis, Porciæ, taliumq; facinora veriùs constantiæ ascribimus quàm patientiæ. Nusquam intelligitur esse cōstantia, nisi vbi eam proximo interuallo sapientia & prudentia antecedunt. Quippe vtriusq; ductu negotium suscipitur, susceptum dirigitur, & quidem inuitis obstantibus, & formidabilibus ne quicquam intercedentib. Vnde datur intelligi, nullam esse rerum inanium, malarū, falsarum constantiam, quæ virtus tantùm versatur in solidis, veris, honestis, vtilibus, quamlibet arduis, iisque quæ superari nequeunt sine inuicto quodam vigore mētis intrepidæ, indefessæ, insuperabilis. Hinc denominatur constans, id est is, qui vsque eò sibi constat, vt quod sapienter sperauit, id bene incipiat, & id quod cōsiderate exorsus est perseueranter consectetur, & quidem tam sine vllo metu mali, quàm sine vlla spe melioris conditionis. Hoc tam firmo & immutabili proposito inniti, propemodum est imitari Deū, longo quamuis interuallo. Se ipsum nosse est res, fateor, tam rara quàm ardua. Sed sibi similē manere, hoc illud est quod quia in tota vita operosissimum est, consummatę virtutis opus est. At hoc est decus cōstātiæ, quæ quā-

uis persæpe à viribus, sæpe à rebus omnibus destituta, nihilominus nunquã timet ne perseuerare non possit, semper eadẽ est, flecti nedum deiici nesciã. In cuius præcordiis hęc virtus radices egit, is in omnibus occasionibus eius admirabiles effectus experitur. Certè animus tenax honesti propositi vbiq; ostẽdit quàm sit sui boni securus. Hęc securitas est vacuitas ægritudinis, est animi trãquillitas, quam nulla cuiusquã vecordia aut temeritas concitare potest. Vir constans inter sæuissima positus ea placida fronte excipit, illa integritate, quam profitetur, manente illæsa. Pyrrho mihi paulò ante memoratus, cùm aduersa nauigatione vnà cum aliis conflictaretur, porcellum conspicatus qui strenuè suas escas contruncaret, Sapientẽ, inquit, huius animi securitatem imitari oportet. Hæc ipsa securitas conspecta est in Alexandro, cùm poculum à medico apud se veneficij accusato porrectum ebibit, & quidem intrepidè. Tantũ in euidente periculo seueritatis nihil aliud fuit, quàm constanter tueri amicitiam, eamque nulla suspicione violare. Deme constantiæ securitatem, in ea nihil magnopere expetendũ inuenies. Virtutum nulla est anxia & sollicita. Apud eas omnia tuta sunt ac secura. Hanc securitatẽ nos dicimus esse proprium viri boni sapientisque bonum, omni imperio firmius, omni magnitudine maius. Hæc est illa αὐτάρκεια, illud, contentum esse suo bono sicuti perfecto, quale paucissimis cõtigit, fortè Socrati, quem traditum est, eodem vultu domo exire, eodem domum reuerti solitum. Hæc securitas est à bona conscientia, sicuti mala potest esse in loco tuto, ipsa tamen nunquam secura. Eadem ratione nos huic virtuti demimus omnem torporem, indicem animi vagi, hallucinantis & socordis, quod est frequentissimum initium calamitatis. Postremò constantia nunquam est otiosa, quin omni tempore se probandam spectandamque prębet in vultu, gestu, oratione, in quauis actione. Vt enim hæc virtus animum firmat, ita quoque corpus roborat. Hinc mos gentis illius Indicæ, quæ sibi indicebat per totum diem perseuerare in eodem gestu, vt ea assuetudine disceret nulla fatigatione languescere. Hinc illa instituta erudiendi adolescentiam diu stãdo, laboribus, venatu, cursu, esurie, siti, algu, æstu. Constantia veritatem tuetur, amicitias alit, rempublicam saluam præstat, ea omnia diri-

git,quorum susceptio,tractatio,finis est laudabilis.Non in subitis deprehenditur imparata,non in cõtinuis languida, non in arduis fessa,non in periculis pauida,nunquam mutata,mutatis rebus,facie. Nunquam discedit à latere fidei, semper est plena bonæ spei. Quid moror? Nihil vnquã magnum ac memorabile susceptum ac gestum est sine huius incomparabilis virtutis præsentissimo numine. Nequicquam spes animum excitat ad præclara, si non è vestigio sequitur constantia, cuius ope spe concepta re sanciuntur. Spes ergo non aliter est bonum quàm comite constantia. Ipsa vitia si sunt pertinacia, nescio quid autoritatis apud multitudinem consequuntur, nimirum propter eam,quæ est inter hoc vitium eique cõtrariam virtutem similitudo. Quinimo quædã inconsultè & impetu inchoantur non sine manifesta culpa,quę sola perseuerantia in autoris gloriã vertit.Ergo constantia pleraque quæ in prauum vergebãt, in melius emendat, vanos terrores,& quicquid falsa specie hominibus imponit cogit cedere veritati.Quicquid hominis dignitatem asserere potest vndique collectũ animis figit.Huic virtuti multa vitia aduersantur.In his leuitas siue inconstantia,quæ est lasciuia & imbecillitas quædam animi ad quoscunque motus vacillãtis.Leuis & inconstãs est is, qui siquid vult, leuiter vult, Qui in nulla sententia permanet,sed, arundinea quadam mobilitate modò in hanc, modò in illam partem impellitur.Homo est prorsus incogitans, imprudens & male sanus. Est ingenio illi aui quæ nulla destinatione volans nusquam sidit,aut etiam chamęleonti,aut polypo persimilis.Est homo præposterus. Cùm cœtus hominũ frequentandi,tunc iste abdit se in solitudinem.Secum discors id quod amat eâdem odit.Quod nulla causa laudauit,nulla causa vituperat. Cui assentitur, ab hoc plane dissentit.In illo ipso negotio est sordidus in quo est profusus. Solutus in risum immodicum, momento fit subtristis,&,vultu contracto,extimè simius Catonis,interius ingenio mobilissimo.Vbiquè est nutans;ineptus & infidus, vbique iudicij,synceritatis, simplicitatis perfuga infamis.Est minister vecordiæ,fraudis & nequitiæ, plane indignus cui vllum serium negotium committatur. Quòd si ab ineũte ætate hoc vitium vsque ad occiduam adolescit, quæ in iuuentute fuit leuitas,ea demum in senectute facta
est

est dementia. Hac inæqualitatis, siue inconstantiæ fœditate Romana historia notabilem exhibet Syllam. Adimebat multa, gratificabatur plura, præposterè amicos colebat, iniurijs non abstinebat, supplices habebat ludificatui. Hęc ipsa morū inæqualitas aduertitur in Alcibiade, qui, re poscente, aspiciebatur patiens laboris, liberalis, vita pariter & victu splendidus, comitate insigni, tempori multa calliditate seruiens. Ille ipse statim vt se remiserat, nec causa magnopere suberat quapropter animi vires intenderet, deprehendebatur luxuriæ, libidinibus, intemperantiæ deditus.

Cap. XXXVI.

Constantiæ patientia similis virtus est, sed non eadem. Patientiæ aduersaria impatientia est.

PATIENTIA est robur, firmitas, tranquillitas animi contemptoris eorum omnium quæ malorum & aduersorum nomine censentur. Iidē vt constantia est fortitudine prognata, iisdemq; quibus illa radicibus nititur. Vtrique sunt similes spiritus, vtrinque capiuntur vberrimi fructus. Vtraque effæminari quemquam vetat, rebus extremis hominem subleuat, viros præstat, vtraque est & indomita & indefessa, & effectrix libertatis. Hactenus non duæ videntur, sed vna tantùm. At patiētię peculiaris dos est, sustentatio sui, nulli nec iniurię nec indignitati succumbere, non cōfici ærumnis, nulla terreri rerum facie, nulla terribilium atrocitate quati, ingruētibus malis resistere, hæc probare non solùm esse patibilia, sed & vincibilia, dummodo adsit animus qui cum talibus depugnare audeat. Patientiam ergo dicimus esse æquanimitatem in perferendis iis, quæ vulgo sunt mala. Atque adeò verum est sine aduersis nullam esse patientiam. Ergo obfirmatum contra calamitatum vires animum veriùs sibi patientia quàm constantia vindicat. Patientiam siue tolerantiam malorum antiquitas dixit esse inuentum Deorum. Planè enim diuinum opus est, ex iis quæ vulgo sunt mala, sibi quemque facere exercitia, è ponderibus leuationes, ex acerbitatibus iucunditates. Nimirum hîc quoqu

Deus hominibus præit, cuius immensa patientia superat omnem magnitudinem, omnemque atrocitatem peccatorum. Ergo à diuina maiestate impensis precibus impetrandum, vt perpessu grauia pari vultu ac prospera excipi possint, ad eamque rē omnes fortitudinis & patientię rationes vbicunq; opus est, exsuscitet. Quippe patientia format hominem non querulum, sentum & incultum, sed alacri potiùs vultu, & læto cultu, cùm sibi imperat iis omnibus libenter obsequi quæcunque Deus immiserit. Patiēs, fateor, sæpe lachrymatur, suspirat, gemit, sed nec turpiter eiulat, nec intoleranter dolet. Haud magis quàm Hercules, amittit sensum ægritudinis, ærumnæ, doloris. Verùm Herculis imitatione istis nō opprimitur. Nulla re vehementiùs afficitur, non debilitatur, non frangitur. Quicquid mutari nequit, firmè & submissè tolerat. Non Deum culpat, sed Deum sibi propitium inuocat, Deo gratias agit, Dei iugū non superbè excutit, sed modestè acceptū modestè perfert. Semper est mansuetus & placabilis. Robusta quædam animi inductione dolorem cogit languescere ac remitti, mox infringi. Priùs homo prauus lædendo fatigatur, quàm patiens sufferendo. Hac ratione iniurię patientia eripit speratum fructum, qui est in solo dolore læsi. Hęc est illa palma ad quam patientissimus quisque cōtendit. In priscis & fabulis & rerum gestarum monumentis nihil magis obuiū, quàm mentio illorum heroum, qui tota vita fuerunt circa duritiem & ærumnas occupati, in primis Herculis semper laboriosi. Certè huius fortibus obsequiis palam factum est, quanto plus sit in virtute patientis, iussaque tacitè ęxequētis, quam in libidine eius qui iniqua iubet & cogit. Iobum quoque Deus in arce patientiæ collocauit, vt sit omnibus piis memorabile exemplar, vt quæ cuique deinceps accident, huius tanti herois imitatione ipse sibi leuiora faciat. A quocunque tantæ fortitudinis exempla sumantur, hæc verò est cuique seria monitio, vt, dies atque noctes exerceat se in hoc patientiæ stadio, vt placidè ac sedatè quicquid contra votum acciderit, ferre discat. Pauper suo pondere non prematur. Intelligat, diuinis in diurnis primā esse rationem stipendiorum & erogationum pauperis. Is quē morbus & dolores afficiunt eò magis intendat patientiæ neruos, quo magis intelligit ei qui fortiter malum tolerat,

in

in cœlo repoſitam eſſe meſſem felicitatis. Vos hominum & rerum columina, ecquid aduertitis à grauiſſimis ærumnis ſatellitia veſtra perrumpi poſſe? ad vos, quamlibet hominum flore circumfuſos peruenire eos, qui nullam maieſtatem verentur, inexpectatos dolores, & calamitates improuiſas? contra quas vna patientiæ lorica eſt omni chalybe durior, omni ſatellitio munitior, omnibus copiis inſtructior. Patientia ſæpe eſt regni præſidium, ſæpe principalis culminis firmamentũ. Quem patientia roborat, is ſuæ, ſuorumque felicitatis opifex eſt. In patientia vt nihil præceps, ita nihil præpoſterum, nihil toleratu indignũ cogitamus. Faceſſat Æthiopica illa gens vbi contumelioſiſſimè habiti repugnare nolebant. Patientia etſi tam auerſatur iactantiam, quàm adhæret conſcientiæ, nihil tamen habet obeſi, nihil craſſi. Eſt erecta, eſt ſolers & circumſpecta. Vt neſcit eſſe ſocors, ita multò minùs improba. Auerſatur eos qui propter magnitudinẽ dotis propriarũ vxorũ dedecori & cõtumeliis inſeruire ſuſtinẽt. Iſtis quoque minimè eſt autor, vt apiſcendæ potentiæ gratia domi ſuę lenociniũ facere poſſint. Neminem impellit ſimulatis, ſordidis, & infimis obſequiis orborum hæreditates aucupari. Si ſceleratis artibus vir patiens tentatur, inde ſe nihilo nequiorem, nihilo contemptiorem factum probat, nihilo magis virtus eius inclinatur. Atque adeò quo magis verſatur circa depreſſiora, hoc minùs in conſortium admittit vllam ſocordiam, fœditatem, improbitatem. Sibi hoc ipſo potiſſimum placet, quod intelligit, plerunque eos, quos Deus reſpicit, aduerſis probari. Miſerias & calamitates intelligit eo lebete demonſtratas fuiſſe, in quem Thetis dicta eſt coniicere filios ſuos, cupiens ſcire quinam eſſent, mortales an immortales. Intelligit ea vita, cuius nullum eſt acre examen, nihil eſſe magis abiectum, inglorium, intutum, nec dici vitam, ſed ſortem & condicionem hominis inexplorati, cuius dubia eſt probitas, ſanitas, firmitas, eâdem prope ratione, qua eius, qui nunquam deſcendit in certamen, nulla eſt victoria. Paleam & fimum ſi igni admoueris, ſtatim te teterrimus odor confecerit. Verùm quod aurum, vt puriſſimum quiſpiam ſibi ſeponit quod recondat, ignibus perpurgat acerrimis. Sic improbos Deus ſuis impuritatibus relinquit. At ſuos identidem aduerſis explorat. Nullum itẽ

luctamen, qualecumque sit, nisi huius virtutis viribus sustineri potest. Ergo nulla quoque est corona expetenda, cui texendæ hæc virtus non adhibeatur. Hinc palam est patientia non solùm externa mala repelli, sed illa potissimùm obliterari, quæ singulos intimè vexant, hanc eius victoriam ante omnes celebrari. Quicquid vitij latet in intimis præcordiis patientia perpurgat. Patiētia est ille salutaris ignis, cuius vi humanum pectus despumat. Nihil ibi relinquit impetus inconsulti, nihil prauæ cupiditatis, nihil destinationis improbæ. In thyrsis Bacchi erat enorme telum, cuius mucronem lambens hedera prætexebat. Ambiri & obligari ferrum, signabat, quoscunque impetus, ne bellicis quidem exceptis, forti patientiæ vinculo obligandos. Certè patientia affectus domitat, mentē roborat, quietissimo silentio linguam commendat, libidinem consopit, tumorem comprimit, vt simultates nescit, sic amicitias copulat, virginalis integritatis est custos acerrima, viduæ laboriosam castitatem incomparabili decore remunerat, coniugum charitatem alit, perpetuat, auget; in prosperis modestiam, in aduersis fortitudinem suadet, iniuriis & contumeliis tolerantiam opponit, aliorum peccatis facilē ignoscentiam offert, in propriis promptam & ingenuam resipiscentiam ostendit, in omni re æquanimitatem profitetur. Huc accedit, quod in iudiciis patientia est pars iustitiæ. Atque illum verisimile est bene iudicare, qui vtramq; partem patienter audit. Hæc est nobilis illa patientiæ disciplina. Hæc est illa eius vel in media imperitiæ caligine scintilla reuiuiscens, & inter improbitatis sordes nitor conspicuus Hæc est eius inter indoctos, agrestes, improbos mores sanctissima conuersatio, hæc erga infensissimos hostes placabilitas, cuius Lycurgus edidit specimen luculentissimum, cùm illum à quo sibi oculus effossus fuerat, sanitati redditum populo commendauit. Ne illius quidem patientia sua laude defraudari debet, qui suæ supplicium prauitatis dum fortiter sufferre potest, quodammodo leuiori pœna defungitur. Et si in patientia nihil nos indecorum probamus, sed eius causas, progressus, effectus, omnia pariter honesta desideramus. Ad hanc virtutem vix iri potest nisi per meditationis & studiorum exercitamenta, per multa fortia animi & corporis experimenta, per cætera bonæ mentis

mentis adiumenta. Nihil aliud loquuntur exploratę veritatis exempla, quæ sunt huius fortissimæ virtutis documenta euidentissima. Hinc corpora, nullo necessitatis coactu ad rigorem sæuientis hyemis durata, hinc digiti ardēti lucernæ propere admoti, dextræ igni inditæ, membra absque vllo gemitu flammis admota, intolerabiles cruciatus tolerati, animi acerrimi in mediis vexationum æstibus diu & frequentér exerciti, & vsque in extrema obstinati, qui multis argumentis ostenderunt, eum qui stabilitate huius virtutis nititur, nec obrui nec contundi posse, sed manere, vt ita dicam, ferreum, inflexibilem, infractum. Prorsus ita est, nullam ex vniuerso virtutis choro esse humanæ naturę adiutricem fideliorem, nullius cicatrices honestiores, nullius memoriam suauiorem. Nullus item altior est illo gradus, in quo positus est is, qui dum sustinet aduersa fortia facere discit, ac per hunc tam salutarem profectum sensim diuinis inseritur. Nulla quoque vox verior, nulla magnificentior hac, Romanum, hoc est, eximiæ fortitudinis opus esse, in aduersis vultum secundæ fortunæ gerere, hoc est, patientiam præstare, in secundis moderari animum, quæ est laus temperantiæ. Cùm multis mortalibus hęc virtus planè sit inaccessa, sui cultoribus est tutissima statio, quam quisquis sortitus est, is nullo vitiorum clandestino aduentu subrui, nullo furentium ventorum concursu expugnari potest. Denique patientiam esse summum humanitati præsidium, summum vtrique sexui, omnique ætati ornamentum, docet habitus eius, quem ipsissimis Tertulliani verbis describimus, Vultus illi tranquillus & placidus, frons pura, nulla mœroris aut iræ rugositate contracta, remissa æquè in lætum modum supercilia, oculis humilitate, non infelicitate deiectis, os taciturnitatis honore signatum, color qualis securis & innoxiis, amictus circùm pectora candidus, & corpori impressus, qui nec inflatur, nec inquietatur. Cæterùm quanti in hominis pectore patientia est, tam multa detrimēta in res humanas inducit impatientia, vitium huic virtuti aduersarium. Impatientia est leuitas & imbecillitas animi secum diffidentis, leuis & improuidi, qui eius moræ, quam spes desiderat, prorsus intolerans est. Impatiens est homo leuis, mutabilis, desperato proximus, stolidus, eneruis, sibimet, suisque destinatis

inimicus. Vt patientia hominis probi & constantis singulare specimen est, vt homo probus & constans patientissimæ lenitatis documentum est, ita impatientia est ipsius gestus furoris, qui præfractè diuinis decretis, trepidè ac turpiter suis obluctatur. Ac proinde hoc vitium sæpe est origo earum cladium, quæ, si firmitas adfuisset, egregiè vitari poterant. Tunc potissimùm impatiētiæ vulnera geminātur, cùm improbitas sibi comparem animum nacta est, atque hinc hæc, hinc illa pariter furunt, vtrinque magnæ tempestates excitantur. Impatientia est facie lurida, oculis turbidis, lingua effreni, gestu inconcinno, manibus incontinentibus, toto corpore inquieto. Est probrum diuitis, est perpetua vexatio pauperis, sæpe est muliebris causa dedecoris; est viro perpetuus cruciatus. Aduersus impatientiam nonnullum remedium est sic animum inducere, Non esse datum miseriis & calamitatibus, nec vlli quamuis molestę expectationi vt sint perpetuæ, ac ne diuturnæ quidem. Nam & illa ipsa, quorum pondere sæuissimè homines premuntur, tandem lassari constat.

CAP. XXXVII.

Superioribus virtutibus Spes adhæret: connumeratúrque inter potissimas virtutes.

FORTITVDINI, constantiæ, patientiæ, sese comitem spes addit, quam nonnulli non modò negant esse virtutem, sed eam ne bonis quidem annumerant. Qui error confutabitur, vbi dixero, Spem esse motum animi fidentis, & è dubia tendentis ad certiora & potiora. Hanc virtutē menti humanæ Deus indidit, vt donec homo viuit, nunquam se desertum queratur, vt quò pluribus ærumnis vita excipitur, hoc blandiùs ac beneuolentiùs eam spes foueat. Et verò res cuique prosperæ momento vertuntur. Si quid diuturnum est, ea plerunque sunt aduersa quibus quisque colliditur. In hoc tam frequente illisu, scilicet, vnicum homini solatium spes adest,

adest; quæ si, re deficiente, est impigra & laboriosa, tandem id quod vestigat sæpissimè reperit. Quemcunque hæc boni expectatio non deserit, is non vsquequaque miser, non vsquequaque ærumnosus est. Ei nequaquam omnia sunt adempta, cui relinquitur vt speret. Hoc est labanti in lubrico fulcrum, periclitanti præsidium, calamitoso solamen. Veruntamen, aiunt, spes altrinsecus comitem habet metum. Certè vulgo credunt, hæc duo esse in ipsa rerum humanarum arce collocata. Nec quicquam verius est, quàm de qua re plurimùm sperant homines, de eadem plurimùm metuere. Id quod quisquis affirmat, negare non potest, ita comparatum esse, vt quantum metus deprimit, tantundem spes erigat; quantum ille debilitat, tantundem spes roboret. Statim vt metus apparet, derepente spes accurrit. Qua homo oppugnatur, pari velocitate defenditur. Metus multa reddit suspecta, terribilia, formidabilia, quæ spes ostendit blanda, propitia, fausta. Ergo quæ explodatur digna est illorum sententia qui aiunt, vocabulo spei non aliud vtique demonstrari, quàm animum futuri expectatione sollicitum, totúmque ab incerto bono suspensum. At nos dicimus, eam spem, quæ trepidat, falsò spem dici. Spes, cùm sit virtus, non potest esse anxia. Non modò metus inserit se spei, sed metum spes expellit. Hæc vbi adest, inde metus abest. Ergo etsi spes caret euentu, tamen per se est bonum. Siquid dubij restat, id non est in spe, sed in re. Res sperata donec adsit aut confecta sit, annumeratur incertis ac dubiis. De ea spe loquor quæ nascitur ex merito. Huic enim cum æquitas sit autor, industria & aliqua facultas comes & adiutrix, vix eius augurium potest esse fallax. Hanc certè nemo sanus inficiari audeat, non solùm esse aditum ad aliquod bonum, verùm etiam ipsius principium boni. Quid, quod nullum vnquam præclarum facinus extitit, cui spes non ductrix, rectríxque fuerit? At, inquiunt, illud bonum, quod spe concipitur, nondum apparet, sed sola cogitatione præsumitur. Quis negat? Attamen fateare necesse est, hac præsumptione perfrui, non esse exiguum speranti delinimentum, nec planè inualidum incitamentum, ad elaborandum illud, quicquid est, quod speratur. Annõ illud meritò cẽseatur bonũ quod

quamlibet inuocatum & inexpectatum continuò tamen præsto est? quo prostratus, languidus, afflictus erigitur? Nam quid aliud dicas esse spem, nisi amicam suasionem, & fiduciam melioris conditionis; Si in solo metu dicis esse aliquid mali, cogeris agnoscere in sola spe esse aliquid boni. Quid, quod spes, vt cœpi dicere, metum demit & obliterat, dum formidabilium impedimenta amouet, eâdem in proximo rem speratam exhibet? hinc animum excitat, hinc erigit, & acuit? Quisquis ergo spem prorsus nescio quid inane, aut dubij boni nomen esse putat, is omne humanum genus damnat eius infelicitatis, cui nullus terminus. Agedum obsecro, cuicunque violentior casus omnia quæcunque habuit, abstulit, quo loco sit, si ei ne vlla quidem spes reliqua est? Qui quà tendebat omnes aditus diu obstructos inuenit, annon sæpe spe præuia eosdem pronos, peruios, patefactos habuit? Cùm Deus ei spem reliquit, cui cætera eripuit, censésne illum rem friuolam reliquisse, non illam quam posuit non minimum, non dubiū, non postremum mortalitati perfugium? Ergo regiè prorsus Alexander, qui percontanti Perdiccæ, Tibi verò omnibus per summam benignitatem distributis, quid relinquis; Spem, respondit. Perinde ac si dixerit, regem tunc optimè dispensare cùm sibi nihil seponit. Tum illud, animo excelso non tam in re, quæ fluxa est, quàm in spe, cui præit aliquod lumen veritatis, omnia esse reposita. Et verò quis fortitudinis, constantiæ, patientiæ, spe dempta, sit locus? Quis vllum sine suasu spei laborem capiat? Quis aruum diu & laboriosè colat, quis culto credat vllum semen? Quis nauiget? Quis mercaturam faciat? Quis ad sirenum saxa discendi cupiditate adhærescat? Quis militiæ det nomen? Quis ille est qui non se deploratissimis annumeret, si non ipsi in media desperatione sancta spes subueniat? Ergo vel hoc ipso spes est alicuius boni effectrix, quòd homini præit ad ea consequenda quæ quælibet virtus suo sibi iure vindicat. Vbicunque spes affulget, quicquid titubabat solidatur, quicquid anceps ac tortuosum in rectum dirigi incipit. Iis malorum cateruis disiiciendis, in quæ desperatio vt plurimùm trudit homines spes princeps manū admouet. Nullum spe homini promptius ad omnia præclara incentiuum. Nullus per pericula animosiùs euadit ad præmia, quàm

quàm is qui intrepidus ſpem ſequitur. Sed ne quis erret, ſperandi eſt aliqua diſciplina ſiue regula,& quidē ſępe verior quàm vllum vaticinium,vllaue diuinatio. Sperādi cognitionem illa ſecta olim profeſſa eſt quibus nomen fuit ἐλπιστικοὶ quaſi dicas ſpei addictis,aut ſpe nitentibus. Horū præcepta hoc vno continentur,vt quiſque intelligat ſpem nequaquam eſſe vocabulum alicuius inertiæ aut inanitatis,ſed demōſtrare occultam quādam animi vim,& quoddam erectum in præcordijs vexillum,inſigne efficaciſſimū ad diſſipatas animi vires recolligendas,atque impellendos homines ad ea pericula, ſine quibus intricatus nunquam ſe extricet,nec quiſquam faciat facinora magna & memorabilia. Ergo ſummo opere cauendum,ne ſe hic vllus vulgaris error interponat.Sunt enim quos nulla bona ſpes lactat,ſed illa ductat quæ ideo falſa eſt, quod magis cū vitio ſtat quàm cum virtute.Præclarè Charidemus dicebat, eſſe quaſdam compedes viritim hominibus circumdatas, his maiores, his minores. Eas vocari ſpes,quæ quomodo cōpedes infimam humani corporis partem amplectūtur,hoc eſt extrema mēbra, ita ſpes eſſe in infimo,verſari circa extrema,in ſuam ditionem redigere homines, eoſque cogere extrema pati, nempe ſtultos, qui has compedes accipiunt, & quidem craſſas & ponderóſas. Eas in induſtrijs laxari,atque adeò vſque eò tenuari,vt ipſæ denique ad nihilum redigantur,modò ijs adhibeatur illa lima, qua vna deteri poſſunt.Hāc dicebat eſſe rationem.Scilicet hoc ſibi voluit Charidemus,quoſdam in eo peccare, quod vbi ſperandum eſt,nihil ſperare audent. Vbi nulla ſpei ne leuis quidem apparet aura,tunc auidè ad id, quod nuſquam eſt, ferri,in re frigida cor habere feruidū, quę ſtultè cupiunt, ea ab ipſis improbè ſeparari, Poſtremò ab aurea ſpe peruenire ad ampullas bracteatas & inanes.Qui eſt exitus illorū qui eà,ad quæ nullo humano conatu iri poteſt,inani voto complectuntur, qui tandem pro theſauro carbones inueniunt,Vt vela des, tibi priùs debet oſtendi aliquis flatus, ſtulta ſpes ſæpiùs eſt irrita. Stultam ſpem voco eam quæ porrigitur ad illud, quod ſi adeptus fueris, tu ipſe tanquam re incredibili percellaris. Nec enim eſt quod tali ſucceſſu quiſquā magnopere gaudeat.Nam quicquid nulla ratione aduenit,nulla ratione abit.Spes inſana parit gaudia volu-

cria, at rei veriſimilis ac ſolitæ pleroſque ſubleuauit. Spei, vt aliarum rerum, debet eſſe proximum aliquod adminiculum. Malè eum res agitat, qui audet ea ſperare quæ ſunt longiſſimè diſſita, aut ſupra vires ſortemque ſuam. Quid mirum ſtultos conatus infelici euentu excipi? Frequenter videre eſt eos, qui ſperant ingentia, & attentant altiſſima, eò deijci vbi reperiuntur inter infeliciſſimos. Illa quoque ſpes inter inania cenſetur & mendacia, quæ diuinationis & oraculorum vanitate ſubnixa non ſpectanda ſpectat. Vnde ſæpe exitium ſperantis. Haſce ſpes & Plato & Ariſtoteles vocarunt ſomnia hominum vigilantium, qui vacui mentis bonæ, at ſpe tumidi futura proſpiciunt præſentium neſcij. Huius generis ſpes ſunt velamenta oculis obiecta. Nã mẽtem impediunt quominus videat id quod in quaque re iuſtum ac decorum eſt. Omnibus imperitis falſa ſpes oſtendit ſe ceruſſata facie, & cultu meretricio; cuius in comitatu ſunt aliæ mulierculę, quibus nomen eſt moleſtijs, ærumnis, calamitatibus. His ductricibus ab inani ſpe rectà itur ad deſperationem, qua reperta, ſpes illa deprehenditur euanida & ſperantem deſtituens. Quidam, dum ſuam ſpem ſecãt, ab alijs ea omnia expectant, quorum ſibi ipſi nihil præſtare audent. Quæ eſt abſurda & importuna audacia, veriùs quàm vlla ab ratione profecta fiducia. Sibi quiſque prima & potiſſima ſpes eſſe debet. Quid quemquam morare, quod tute per te facere potes? Spes iuuatur & promouetur induſtria, labore, perſeuerantia. Agricola meritò ſperat is, qui ſæpe ſolum vertit. Nam quicquid ſumitur laboris in ſemine, id gaudijs commutatur in meſſe. Sperat ſe dux fore victorem is, qui eſt à prouidentia, à copijs militaribus, à virtute & animo paratus. Vt mulier ſine congreſſu viri, ita ſpes ſine perpetua animi attentione quamuis bona, ſterileſcit. Quapropter videtur eſſe in manu cuiuſque. vt ſpe vtatur fauſta, propitia, fœcunda, pręſertim cùm Deus etiam ijs, qui nihil habent quod ſperent, nequaquam concedat vt omnino deſperent, atque id non de nihilo. Nam nihil deſperare, eſt verſari in ipſo limine ſpei. Spem arripere eſt obluctari miſerijs, & ſternere ſibi iter ad proſpera. Id ſpei ſcilicet qualecunque rudimentum ex ſeſe progignit deſiderium, qui ſunt natales induſtriæ. Hinc agreſſio & conatus qui ratione duce, ſemper ſunt laudabiles, ſæpe pro-

ſperi,

speri. Apud quosdam tanti spes est, vt, cum ea quæ concupiuerant, adipisci possent, quædam tamen ex ijs tantum præoptarint, non omnia. Prçclarum, maximeque commendandum hominũ genus, qui ne non adhuc aliquid esset quod sperarent, ne eos, inquam, spes planè desereret, sibi quædã demere, quàm suas spes cumulare, rebus suis conducibilius & honestius existimarunt. Hi plerunque sunt generosæ iuuentutis spiritus, quibus optatior est diuturnior in stadio cursus, quam subita post metam palma. Summa hæc est, vnumquemque quicquid sperat, id ad normam rationis dirigere oportere. Ita inquam, sperandum, vt semper intelligas, euentum spei fore illum, quem ratio, constansque labor tibi confecerit, cassa esse illa omnia, quæ sua cuiq; leuitas, aut insana cupiditas suaserit. Certè cùm spẽ magnificamus, constantem & peruicacem dicimus; scilicet similem tribus ijs virtutibus, quibus eam comitem damus.

CAP. XXXVIII.

Credulitas non est partus Spei, est enim vitium, cui opposita diffidentia est.



ALSA spes, qua pleraque mortalitas inflatã incedit, originem trahit aut à nimia securitate, quæ quòd cæca est, nec mala prospicit, nec pericula cauet: aut certè à credulitate, quæ, vt quandoque possit esse virtus, sæpius tamen vergit in vitium. Credulitas est imbecillitas animi fidẽ adhibens ijs quæ vt temerè aut artificiosè nuntiantur, ita periculosè nũc vera nũc falsa existimãtur. Hoc damnosissimũ vitium est affine superstitioni. Nec aliter quàm superstitio obuiæ se cuicunq; vanitati addicit. Qualicunque rumori primùm aures auidas, mox pandit sinũ, & aperit prçcordia. Hìc plerunque duo peccant, is, qui cupiã mendacium dicit, ita cõcinnatũ, vt, cui dicitur, is nimia facilitate in fraudem inducatur. Et hęc quidem secta si non tam diffusa esset, multò meliùs ac feliciùs hominum incolumitati & commodis prospectũ foret. Synceri mores obuiam irent multis malis quibus vita lãcinatur. Quamuis præter mendacium, multa

git, quorum susceptio, tractatio, finis est laudabilis. Non in subitis deprehenditur imparata, non in cōtinuis languida, non in arduis fessa, non in periculis pauida, nunquam mutata, mutatis rebus, facie. Nunquam discedit à latere fidei, semper est plena bonæ spei. Quid moror? Nihil vnquã magnum ac memorabile susceptum ac gestum est sine huius incomparabilis virtutis præsentissimo numine. Nequicquam spes animum excitat ad præclara, si non è vestigio sequitur constantia, cuius ope spe concepta re sanciuntur. Spes ergo non aliter est bonum quàm comite constantia. Ipsa vitia si sunt pertinacia, nescio quid autoritatis apud multitudinem consequuntur, nimirum propter eam, quæ est inter hoc vitium eique cōtrariam virtutem similitudo. Quinimo quædã inconsultè & impetu inchoantur non sinè manifesta culpa, quę sola perseuerantia in autoris gloriã vertit. Ergo constantia pleraque quæ in prauum vergebãt, in melius emendat, vanos terrores, & quicquid falsa specie hominibus imponit cogit cedere veritati. Quicquid hominis dignitatem asserere potest vndique collectũ animis figit. Huic virtuti multa vitia aduersantur. In his leuitas siue inconstantia, quæ est lasciuia & imbecillitas quædam animi ad quoscunque motus vacillãntis. Leuis & incōstãs est is, qui siquid vult, leuiter vult, Qui in nulla sententia permanet, sed, arundinea quadam mobilitate modò in hanc, modò in illam partem impellitur. Homo est prorsus incogitans, imprudens & male sanus. Est ingenio illi aui quæ nulla destinatione volans nusquam sidit, aut etiam chamęleonti, aut polypo persimilis. Est homo præposterus. Cùm cœtus hominũ frequentandi, tunc iste abdit se in solitudinem. Secum discors id quod amat eâdem odit. Quod nulla causa laudauit, nulla causa vituperat. Cui assentitur, ab hoc plane dissentit. In illo ipso negotio est sordidus in quo est profusus. Solutus in risum immodicum, momento fit subtristis, &, vultu contracto, extimè simius Catonis, interius ingenio mobilissimo. Vbique est nutans, ineptus & infidus, vbique iudicij, synceritatis, simplicitatis perfuga infamis. Est minister vecordiæ, fraudis & nequitiæ, plane indignus cui vllum serium negotium committatur. Quòd si ab ineũte ætate hoc vitium vsque ad occiduam adolescit, quæ in iuuentute fuit leuitas, ea demum in senectute facta est

est dementia. Hac inæqualitatis, siue inconstantiæ fœditate Romana historia notabilem exhibet Syllam. Adimebat multa, gratificabatur plura, præposterè amicos colebat, iniurijs non abstinebat, supplices habebat ludificatui. Hęc ipsa morū inæqualitas aduertitur in Alcibiade, qui, re poscente, aspiciebatur patiens laboris, liberalis, vita pariter & victu splendidus, comitate insigni, tempori multa calliditate seruiens. Ille ipse statim vt se remiserat, nec causa magnopere suberat quapropter animi vires intenderet, deprehendebatur luxuriæ, libidinibus, intemperantiæ deditus.

Cap. XXXVI.

Constantiæ patientia similis virtus est, sed non eadem. Patientiæ aduersaria impatientia est.

Patientia est robur, firmitas, tranquillitas animi contemptoris eorum omnium quæ malorum & aduersorum nomine censentur. Itidē vt constantia est fortitudine prognata, iisdemq; quibus illa radicibus nititur. Vtrique sunt similes spiritus, vtrinque capiuntur vberrimi fructus. Vtraque effæminari quemquam vetat, rebus extremis hominem subleuat, viros præstat, vtraque est & indomita & indefessa, & effectrix libertatis. Hactenus non duæ videntur, sed vna tantùm. At patiētię peculiaris dos est, sustentatio sui, nulli nec iniurię nec indignitati succumbere, non cōfici ærumnis, nulla terreri rerum facie, nulla terribilium atrocitate quati, ingruētibus malis resistere, hæc probare non solùm esse patibilia, sed & vincibilia, dummodo adsit animus qui cum talibus depugnare audeat. Patientiam ergo dicimus esse æquanimitatem in perferendis iis, quæ vulgo sunt mala. Atque adeò verum est sine aduersis nullam esse patientiam. Ergo obfirmatum contra calamitatum vires animum veriùs sibi patientia quàm constantia vindicat. Patientiam siue tolerantiam malorum antiquitas dixit esse inuentum Deorum. Planè enim diuinum opus est, ex iis quæ vulgo sunt mala, sibi quemque facere exercitia, è ponderibus leuatio-nes, ex acerbitatibus iucunditates. Nimirum hîc quoqu

Deus hominibus præit, cuius immensa patientia superat omnem magnitudinem, omnemque atrocitatem peccatorum. Ergo à diuina maiestate impensis precibus impetrandum, vt perpessu grauia pari vultu ac prospera excipi possint, ad eamque rē omnes fortitudinis & patientię rationes vbicunq; opus est, exsuscitet. Quippe patientia format hominem non querulum, sentum & incultum, sed alacri potiùs vultu, & læto cultu, cùm sibi imperat iis omnibus libenter obsequi quæcunque Deus immiserit. Patiēs, fateor, sæpe lachrymatur, suspirat, gemit, sed nec turpiter eiulat, nec intoleranter dolet. Haud magis quàm Hercules, amittit sensum ægritudinis, ærumnæ, doloris. Verùm Herculis imitatione istis nō opprimitur. Nulla re vehementiùs afficitur, non debilitatur, non frangitur. Quicquid mutari nequit, firmè & submissè tolerat. Non Deum culpat, sed Deum sibi propitium inuocat, Deo gratias agit, Dei iugū non superbè excutit, sed modestè acceptū modestè perfert. Semper est mansuetus & placabilis. Robusta quædam animi inductione dolorem cogit languescere ac remitti, mox infringi. Priùs homo prauus lædendo fatigatur, quàm patiens sufferendo. Hac ratione iniurię patientia eripit speratum fructum, qui est in solo dolore læsi. Hęc est illa palma ad quam patientissimus quisque cōtendit. In priscis & fabulis & rerum gestarum monumentis nihil magis obuiū, quàm mentio illorum heroum, qui tota vita fuerunt circa duritiem & ærumnas occupati, in primis Herculis semper laboriosi. Certè huius fortibus obsequiis palam factum est, quanto plus sit in virtute patientis, iussaque tacitè ęxequētis, quam in libidine eius qui iniqua iubet & cogit. Iobum quoque Deus in arce patientiæ collocauit, vt sit omnibus piis memorabile exemplar, vt quæ cuique deinceps accident, huius tanti herois imitatione ipse sibi leuiora faciat. A quocunque tantæ fortitudinis exempla sumantur, hæc verò est cuique seria monitio, vt, dies atque noctes exerceat se in hoc patientiæ stadio, vt placidè ac sedatè quicquid contra votum acciderit, ferre discat. Pauper suo pondere non prematur. Intelligat, diuinis in diurnis primā esse rationem stipendiorum & erogationum pauperis. Is quē morbus & dolores afficiunt eò magis intendat patientiæ neruos, quo magis intelligit ei qui fortiter malum tolerat,

in cœlo repositam esse messem felicitatis. Vos hominum & rerum columina, ecquid aduertitis à grauissimis ærumnis satellitia vestra perrumpi posse? ad vos, quamlibet hominum flore circumfusos peruenire eos, qui nullam maiestatem verentur, inexpectatos dolores, & calamitates improuisas? contra quas vna patientiæ lorica est omni chalybe durior, omni satellitio munitior, omnibus copiis instructior. Patientia sæpe est regni præsidium, sæpe principalis culminis firmamentũ. Quem patientia roborat, is suæ, suorumque felicitatis opifex est. In patientia vt nihil præceps, ita nihil præposterum, nihil toleratu indignũ cogitamus. Facessat Æthiopica illa gens vbi contumeliosissimè habiti repugnare nolebant. Patientia etsi tam auersatur iactantiam, quàm adhæret conscientiæ, nihil tamen habet obesi, nihil crassi. Est erecta, est solers & circumspecta. Vt nescit esse socors, ita multò minùs improba. Auersatur eos qui propter magnitudinẽ dotis propriarũ vxorũ dedecori & cõtumeliis inseruire sustinẽt. Istis quoque minimè est autor, vt apiscendæ potentiæ gratia domi suę lenociniũ facere possint. Neminem impellit simulatis, sordidis, & infimis obsequiis orborum hæreditates aucupari. Si sceleratis artibus vir patiens tentatur, inde se nihilo nequiorem, nihilo contemptiorem factum probat, nihilo magis virtus eius inclinatur. Atque adeò quo magis versatur circa depressiora, hoc minùs in consortium admittit vllam socordiam, fœditatem, improbitatem. Sibi hoc ipso potissimum placet, quod intelligit, plerunque eos, quos Deus respicit, aduersis probari. Miserias & calamitates intelligit eo lebete demonstratas fuisse, in quem Thetis dicta est coniicere filios suos, cupiens scire quinam essent, mortales an immortales. Intelligit ea vita, cuius nullum est acre examen, nihil esse magis abiectum, inglorium, intutum, nec dici vitam, sed sortem & condicionem hominis inexplorati, cuius dubia est probitas, sanitas, firmitas, eâdem prope ratione, qua eius, qui nunquam descendit in certamen, nulla est victoria. Paleam & fimum si igni admoueris, statim te teterrimus odor confecerit. Verùm quod aurum, vt purissimum quispiam sibi seponit quod recondat, ignibus perpurgat acerrimis. Sic improbos Deus suis impuritatibus relinquit. At suos identidem aduersis explorat. Nullum itẽ

luctamen, qualecumque sit, nisi huius virtutis viribus sustineri potest. Ergo nulla quoque est corona expetenda, cui texendæ hæc virtus non adhibeatur. Hinc palam est patientia non solùm externa mala repelli, sed illa potissimùm obliterari, quæ singulos intimè vexant, hanc eius victoriam ante omnes celebrari. Quicquid vitij latet in intimis præcordiis patientia perpurgat. Patiētia est ille salutaris ignis, cuius vi humanum pectus despumat. Nihil ibi relinquit impetus inconsulti, nihil prauæ cupiditatis, nihil destinationis improbæ. In thyrsis Bacchi erat enorme telum, cuius mucronem lambens hedera prætexebat. Ambiri & obligari ferrum, signabat, quoscunque impetus, ne bellicis quidem exceptis, forti patientiæ vinculo obligandos. Certè patientia affectus domitat, mentē roborat, quietissimo silentio linguam commendat, libidinem consopit, tumorem comprimit, vt simultates nescit, sic amicitias copulat, virginalis integritatis est custos acerrima, viduæ laboriosam castitatem incomparabili decore remunerat, coniugum charitatem alit, perpetuat, auget; in prosperis modestiam, in aduersis fortitudinem suadet, iniuriis & contumeliis tolerantiam opponit, aliorum peccatis facilē ignoscentiam offert, in propriis promptam & ingenuam resipiscentiam ostendit, in omni re æquanimitatem profitetur. Huc accedit, quod in iudiciis patientia est pars iustitiæ. Atque illum verisimile est bene iudicare, qui vtramq; partem patienter audit. Hæc est nobilis illa patientiæ disciplina. Hæc est illa eius vel in media imperitiæ caligine scintilla reuiuiscens, & inter improbitatis sordes nitor conspicuus Hæc est eius inter indoctos, agrestes, improbos mores sanctissima conuersatio, hæc erga infensissimos hostes placabilitas, cuius Lycurgus edidit specimen luculentissimum, cùm illum à quo sibi oculus effossus fuerat, sanitati redditum populo commendauit. Ne illius quidem patientia sua laude defraudari debet, qui suæ supplicium prauitatis dum fortiter sufferre potest, quodammodo leuiori pœna defungitur. Et si in patientia nihil nos indecorum probamus, sed eius causas, progressus, effectus, omnia pariter honesta desideramus. Ad hanc virtutem vix iri potest nisi per meditationis & studiorum exercitamenta, per multa fortia animi & corporis experimenta, per cætera bonæ mentis

mentis adiumenta. Nihil aliud loquuntur exploratę veritatis exempla, quæ sunt huius fortissimæ virtutis documenta euidentissima. Hinc corpora, nullo necessitatis coactu ad rigorem sæuientis hyemis durata, hinc digiti ardēti lucernæ propere admoti, dextræ igni inditæ, membra absque vllo gemitu flammis admota, intolerabiles cruciatus tolerati, animi acertimi in mediis vexationum æstibus diu & frequenter exerciti, & vsque in extrema obstinati, qui multis argumentis ostenderunt, cum qui stabilitate huius virtutis nititur, nec obrui nec contundi posse, sed manere, vt ita dicam, ferreum, inflexibilem, infractum. Prorsus ita est, nullam ex vniuerso virtutis choro esse humanæ naturę adiutricem fideliorem, nullius cicatrices honestiores, nullius memoriam suauiorem. Nullus item altior est illo gradus, in quo positus est is, qui dum sustinet aduersa fortia facere discit, ac per hunc tam salutarem profectum sensim diuinis inferitur. Nulla quoque vox verior, nulla magnificentior hac, Romanum, hoc est, eximiæ fortitudinis opus esse, in aduersis vultum secundæ fortunæ gerere, hoc est, patientiam præstare, in secundis moderati animum, quæ est laus temperantiæ. Cùm multis mortalibus hęc virtus planè sit inaccessa, sui cultoribus est tutissima statio, quam quisquis fortitus est, is nullo vitiorum clandestino aduentu subrui, nullo furentium ventorum concursu expugnari potest. Denique patientiam esse summum humanitati præsidium, summum vtrique sexui, omnique ætati ornamentum, docet habitus eius, quem ipsissimis Tertulliani verbis describimus, Vultus illi tranquillus & placidus, frons pura, nulla mœroris aut iræ rugositate contracta, remissa æquè in lætum modum supercilia, oculis humilitate, non infelicitate deiectis, os taciturnitatis honore signatum, color qualis securis & innoxiis, amictus circùm pectora candidus, & corpori impressus, qui nec inflatur, nec inquietatur. Cæterùm quanti in hominis pectore patientia est, tam multa detrimēnta in res humanas inducit impatientia, vitium huic virtuti aduersarium. Impatientia est leuitas & imbecillitas animi secum diffidentis, leuis & improuidi, qui eius moræ, quam spes desiderat, prorsus intolerans est. Impatiens est homo leuis, mutabilis, desperato proximus, stolidus, eneruis, sibimet, suisque destinatis

inimicus. Vt patientia hominis probi & constantis singulare specimen est, vt homo probus & constans patientissimæ lenitatis documentum est, ita impatientia est ipsius gestus furoris, qui præfractè diuinis decretis, trepidè ac turpiter suis obluctatur. Ac proinde hoc vitium sæpe est origo earum cladium, quæ, si firmitas adfuisset, egregiè vitari poterant. Tunc potissimùm impatiẽtiæ vulnera geminãtur, cùm improbitas sibi comparem animum nacta est, atque hinc hæc, hinc illa pariter furunt, vtrinque magnæ tempestates excitantur. Impatientia est facie lurida, oculis turbidis, lingua effreni, gestu inconcinno, manibus incontinentibus, toto corpore inquieto. Est probrum diuitis, est perpetua vexatio pauperis, sæpe est muliebris causa dedecoris; est viro perpetuus cruciatus. Aduersus impatientiam nonnullum remedium est sic animum inducere, Non esse datum miseriis & calamitatibus, nec vlli quamuis molestę expectationi vt sint perpetuæ, ac ne diuturnæ quidem. Nam & illa ipsa, quorum pondere sæuissimè homines premuntur, tandem lassari constat.

CAP. XXXVII.

Superioribus virtutibus Spes adhæret: connumeratúrque inter potissimas virtutes.

FORTITVDINI, constantiæ, patientiæ, sese comitem spes addit, quam nonnulli non modò negant esse virtutem, sed eam ne bonis quidem annumerant. Qui error confutabitur, vbi dixero, Spem esse motum animi fidentis, & è dubia rendentis ad certiora & potiora. Hanc virtutẽ menti humanæ Deus indidit, vt donec homo viuit, nunquam se desertum queratur, vt quò pluribus ærumnis vita excipitur, hoc blandiùs ac beneuolentiùs eam spes foueat. Et verò res cuique prosperæ momento vertuntur. Si quid diuturnum est, ea plerunque sunt aduersa quibus quisque colliditur. In hoc tam frequente illisu, scilicet, vnicum homini solatium spes adest,

adeſt; quæ ſi, re deficiente, eſt impigra & laborioſa, tandem id quod veſtigat ſæpiſſimè reperit. Quemcunque hæc boni expectatio non deſerit, is non vſquequaque miſer, non vſquequaque ærumnoſus eſt. Ei nequaquam omnia ſunt adempta, cui relinquitur vt ſperet. Hoc eſt labanti in lubrico fulcrum, periclitanti præſidium, calamitoſo ſolamen. Veruntamen, aiunt, ſpes altrinſecus comitem habet metum. Certè vulgo credunt, hæc duo eſſe in ipſa rerum humanarum arce collocata. Nec quicquam verius eſt, quàm de qua re plurimùm ſperant homines, de eadem plurimùm metuere. Id quod quiſquis affirmat, negare non poteſt, ita comparatum eſſe, vt quantum metus deprimit, tantundem ſpes erigat; quantum ille debilitat, tantundem ſpes roboret. Statim vt metus apparet, derepente ſpes accurrit. Qua homo oppugnatur, pari velocitate defenditur. Metus multa reddit ſuſpecta, terribilia, formidabilia, quæ ſpes oſtendit blanda, propitia, fauſta. Ergo quæ explodatur digna eſt illorum ſententia qui aiunt, vocabulo ſpei non aliud vtique demonſtrari, quàm animum futuri expectatione ſollicitum, totúmque ab incerto bono ſuſpenſum. At nos dicimus, eam ſpem, quæ trepidat, falsò ſpem dici. Spes, cùm ſit virtus, non poteſt eſſe anxia. Non modò metus inſerit ſe ſpei, ſed metum ſpes expellit. Hæc vbi adeſt, inde metus abeſt. Ergo etſi ſpes caret euentu, tamen per ſe eſt bonum. Siquid dubij reſtat, id non eſt in ſpe, ſed in re. Res ſperata donec adſit aut confecta ſit, annumeratur incertis ac dubiis. De ea ſpe loquor quæ naſcitur ex merito. Huic enim cum æquitas ſit autor, induſtria & aliqua facultas comes & adiutrix, vix eius augurium poteſt eſſe fallax. Hanc certè nemo ſanus inficiari audeat, non ſolùm eſſe aditum ad aliquod bonum, verùm etiam ipſius principium boni. Quid, quod nullum vnquam præclarum facinus extitit, cui ſpes non ductrix, rectríxque fuerit? At, inquiunt, illud bonum, quod ſpe concipitur, nondum apparet, ſed ſola cogitatione præſumitur. Quis negat? Attamen fateare neceſſe eſt, hac præſumptione perfrui, non eſſe exiguum ſperanti delinimentum, nec planè inualidum incitamentum, ad elaborandum illud, quicquid eſt, quod ſperatur. Annõ illud meritò cẽſeatur bonũ quod

quàmlibet inuocatum & inexpectatum continuò tamen præsto est? quo prostratus, languidus, afflictus erigitur? Nam quid aliud dicas esse spem, nisi amicam suasionem, & fiduciam melioris conditionis; Si in solo metu dicis esse aliquid mali, cogeris agnoscere in sola spe esse aliquid boni. Quid, quod spes, vt cœpi dicere, metum demit & obliterat, dum formidabilium impedimenta amouet, eâdem in proximo rem speratam exhibet? hinc animum excitat, hinc erigit, & acuit? Quisquis ergo spem prorsus nescio quid inane, aut dubij boni nomen esse putat, is omne humanum genus damnat eius infelicitatis, cui nullus terminus. Agedum obsecro, cuicunque violentior casus omnia quæcunque habuit, abstulit, quo loco sit, si ei ne vlla quidem spes reliqua est? Qui quà tendebat omnes aditus diu obstructos inuenit, annon sæpe spe præuia eosdem pronos, peruios, patefactos habuit? Cùm Deus ei spem reliquit, cui cætera eripuit, censésne illum rem friuolam reliquisse, non illam quam posuit non minimum, non dubiū, non postremum mortalitati perfugium? Ergo regiè prorsus Alexander, qui percontanti Perdiccæ, Tibi verò omnibus per summam benignitatem distributis, quid relinquis; Spem, respondit. Perinde ac si dixerit, regem tunc optimè dispensare cùm sibi nihil seponit. Tum illud, animo excelso non tam in re, quæ fluxa est, quàm in spe, cui præit aliquod lumen veritatis, omnia esse reposita. Et verò quis fortitudinis, constantiæ, patientiæ, spe dempta, sit locus? Quis vllum sine suasu spei laborem capiat? Quis aruum diu & laboriosè colat, quis culto credat vllum semen? Quis nauiget? Quis mercaturam faciat? Quis ad sirenum saxa discendi cupiditate adhæreseat? Quis militiæ det nomen? Quis ille est qui non se deploratissimis annumeret, si non ipsi in media desperatione sancta spes subueniat? Ergo vel hoc ipso spes est alicuius boni effectrix, quòd homini præit ad ea consequenda quæ quælibet virtus suo sibi iure vindicat. Vbicunque spes affulget, quicquid titubabat solidatur, quicquid anceps ac tortuosum in rectum dirigi incipit. Iis malorum cateruis disiiciendis, in quæ desperatio vt plurimùm trudit homines spes princeps manū admouet. Nullum spe homini promptius ad omnia præclara incentiuum. Nullus per pericula animosiùs euadit ad præmia, quàm

quàm is qui intrepidus ſpem ſequitur. Sed ne quis erret, ſperandi eſt aliqua diſciplina ſiue regula,& quidē ſæpe verior quàm vllum vaticinium,vllaue diuinatio. Sperādi cognitionem illa ſecta olim profeſſa eſt quibus nomen fuit ἐλπιστικοῖς quaſi dicas ſpei addictis,aut ſpe nitentibus. Horū præcepta hoc vno continentur,vt quiſque intelligat ſpem nequaquam eſſe vocabulum alicuius inertiæ aut inanitatis,ſed demōſtrare occultam quādam animi vim,& quoddam erectum in præcordijs vexillum,inſigne efficaciſſimū ad diſſipatas animi vires recolligendas,atque impellendos homines ad ea pericula, ſine quibus intricatus nunquam ſe extricet,nec quiſquam faciat facinora magna & memorabilia. Ergo ſummo opere cauendum,ne ſe hic vllus vulgaris error interponat.Sunt enim quos nulla bona ſpes lactat,ſed illa ductat quæ ideo falſa eſt, quod magis cū vitio ſtat quàm cum virtute.Præclarè Charidemus dicebat, eſſe quaſdam compedes viritim hominibus circumdatas, his maiores , his minores. Eas vocari ſpes,quæ quomodo cōpedes infimam humani corporis partem amplectūtur,hoc eſt extrema mēbra, ita ſpes eſſe in infimo,verſari circa extrema,in ſuam ditionem redigere homines, eoſque cogere extrema pati, nempe ſtultos , qui has compedes accipiunt, & quidem craſſas & ponderoſas. Eas in induſtrijs laxari,atque adeò vſque eò tenuari,vt ipſæ denique ad nihilum redigantur,modò ijs adhibeatur illa lima, qua vna deteri poſſunt.Hāc dicebat eſſe rationem.Scilicet hoc ſibi voluit Charidemus,quoſdam in eo peccare, quod vbi ſperandum eſt,nihil ſperare audent. Vbi nulla ſpei ne leuis quidem apparet aura,tunc auidè ad id, quod nuſquam eſt, ferri,in re frigida cor habere feruidū , quę ſtultè cupiunt, ea ab ipſis improbè ſeparari, Poſtremò ab aurea ſpe peruenire ad ampullas bracteatas & inanes.Qui eſt exitus illorū qui eà,ad quæ nullo humano conatu iri poteſt,inani voto complectuntur, qui tandem pro theſauro carbones inueniunt,Vt vela des , tibi priùs debet oſtendi aliquis flatus, ſtulta ſpes ſæpiùs eſt irrita. Stultam ſpem voco eam quæ porrigitur ad illud, quod ſi adeptus fueris, tu ipſe tanquam re incredibili percellaris. Nec enim eſt quod tali ſucceſſu quiſquā magnopere gaudeat.Nam quicquid nulla ratione aduenit,nulla ratione abit.Spes inſana parit gaudia volu-

cria, at rei veriſimilis ac ſolitæ pleroſque ſubleuauit. Spei, vt aliarum rerum, debet eſſe proximum aliquod adminiculum. Malè eum res agitat, qui audet ea ſperare quæ ſunt longiſſimè diſſita, aut ſupra vires ſortemque ſuam. Quid mirum ſtultos conatus infelici euentu excipi? Frequenter videre eſt eos, qui ſperant ingentia, & attentant altiſſima, eò deijci vbi reperiuntur inter infeliciſſimos. Illa quoque ſpes inter inania cenſetur & mendacia, quæ diuinationis & oraculorum vanitate ſubnixa non ſpectanda ſpectat. Vnde ſæpe exitium ſperantis. Haſce ſpes & Plato & Ariſtoteles vocarunt ſomnia hominum vigilantium, qui vacui mentis bonæ, at ſpe tumidi futura proſpiciunt præſentium neſcij. Huius generis ſpes ſunt velamenta oculis obiecta. Nā mētem impediunt quominus videat id quod in quaque re iuſtum ac decorum eſt. Omnibus imperitis falſa ſpes oſtendit ſe ceruſſata facie, & cultu meretricio; cuius in comitatu ſunt aliæ mulierculę, quibus nomen eſt moleſtijs, ærumnis, calamitatibus. His ductricibus ab inani ſpe rectà itur ad deſperationem, qua reperta, ſpes illa deprehenditur euanida & ſperantem deſtituens. Quidam, dum ſuam ſpem ſecāt, ab alijs ea omnia expectant, quorum ſibi ipſi nihil præſtare audent. Quæ eſt abſurda & importuna audacia, veriùs quàm vlla ab ratione profecta fiducia. Sibi quiſque prima & potiſſima ſpes eſſe debet. Quid quemquam morare, quod tute per te facere potes? Spes iuuatur & promouetur induſtria, labore, perſeuerantia. Agricola meritò ſperat is, qui ſæpe ſolum vertit. Nam quicquid ſumitur laboris in ſemine, id gaudijs commutatur in meſſe. Sperat ſe dux fore victorem is, qui eſt à prouidentia, à copijs militaribus, à virtute & animo paratus. Vt mulier ſine congreſſu viri, ita ſpes ſine perpetua animi attentione quamuis bona, ſterileſcit. Quapropter videtur eſſe in manu cuiuſque. vt ſpe vtatur fauſta, propitia, fœcunda, prę́ſertim cùm Deus etiam ijs, qui nihil habent quod ſperent, nequaquam concedat vt omnino deſperent, atque id non de nihilo. Nam nihil deſperare, eſt verſari in ipſo limine ſpei. Spem arripere eſt obluctari miſerijs, & ſternere ſibi iter ad proſpera. Id ſpei ſcilicet qualecunque rudimentum ex ſeſe progignit deſiderium, qui ſunt natales induſtriæ. Hinc agreſſio & conatus qui ratione duce, ſemper ſunt laudabiles, ſæpe proſperi,

ſperi. Apud quoſdam tanti ſpes eſt, vt, cum ea quæ concupiuerant, adipiſci poſſent, quædam tamen ex ijs tantum præoptarint, non omnia. Pręclarum, maximeque commendandum hominũ genus, qui ne non adhuc aliquid eſſet quod ſperarent, ne eos, inquam, ſpes planè deſereret, ſibi quædã demere, quàm ſuas ſpes cumulare, rebus ſuis conducibilius & honeſtius exiſtimarunt. Hi plerunque ſunt generoſæ iuuentutis ſpiritus, quibus optatior eſt diuturnior in ſtadio curſus, quam ſubita poſt metam palma. Summa hæc eſt, vnumquemque quicquid ſperat, id ad normam rationis dirigere oportere. Ita inquam, ſperandum, vt ſemper intelligas, euentum ſpei fore illum, quem ratio, conſtanſque labor tibi confecerit, caſſa eſſe illa omnia, quæ ſua cuiq; leuitas, aut inſana cupiditas ſuaſerit. Certè cùm ſpẽ magnificamus, conſtantem & peruicacem dicimus; ſcilicet ſimilem tribus ijs virtutibus, quibus eam comitem damus.

CAP. XXXVIII.

Credulitas non eſt partus ſpei, eſt enim vitium, cui oppoſita diffidentia eſt.



ALSA ſpes, qua pleraque mortalitas inflatã incedit, originem trahit aut à nimia ſecuritate, quæ quòd cæca eſt, nec mala proſpicit, nec pericula cauet: aut certè à credulitate, quæ, vt quandoque poſſit eſſe virtus, ſæpius tamen vergit in vitium. Credulitas eſt imbecillitas animi fidẽ adhibens ijs quæ vt temerè aut artificiosè nuntiantur, ita periculosè nũc vera nũc falſa exiſtimãtur. Hoc damnoſiſſimũ vitium eſt affine ſuperſtitioni. Nec aliter quàm ſuperſtitio obuiæ ſe cuicunq; vanitati addicit. Qualicunque rumori primùm aures auidas, mox pandit ſinũ, & aperit pręcordia. Hic plerunque duo peccant, is, qui cuipiã mendacium dicit, ita cõcinnatũ, vt, cui dicitur is nimia facilitate in fraudem inducatur. Et hęc quidem ſecta ſi non tam diffuſa eſſet, multò meliùs ac feliciùs hominum incolumitati & commodis proſpectũ foret. Synceri mores obuiam irent multis malis quibus vita lãcinatur. Quamuis præter mendacium, multa

git,quorum susceptio,tractatio,finis est laudabilis. Non in subitis deprehenditur imparata,non in cõtinuis languida, non in arduis fessa,non in periculis pauida,nunquam mutata,mutatis rebus,facie. Nunquam discedit à latere fidei, semper est plena bonæ spei. Quid moror? Nihil vnquã magnum ac memorabile susceptum ac gestum est sine huius incomparabilis virtutis præsentissimo numine. Nequicquam spes animum excitat ad præclara, si non è vestigio sequitur constantia, cuius ope spe concepta re sanciuntur. Spes ergo non aliter est bonum quàm comite constantia. Ipsa vitia si sunt pertinacia, nescio quid autoritatis apud multitudinem consequuntur, nimirum propter eam,quæ est inter hoc vitium eique cõtrariam virtutem similitudo. Quinimo quædã inconsultè & impetu inchoantur non sine manifesta culpa,quę sola perseuerantia in autoris gloriã vertit. Ergo constantia pleraque quæ in prauum vergebãt, in melius emendat, vanos terrores,& quicquid falsa specie hominibus imponit cogit cedere veritati. Quicquid hominis dignitatem asserere potest vndique collectũ animis figit. Huic virtuti multa vitia aduersantur. In his leuitas siue inconstantia,quæ est lasciuia & imbecillitas quædam animi ad quoscunque motus vacillãntis. Leuis & inconstãs est is, qui siquid vult, leuiter vult, Qui in nulla sententia permanet,sed, arundinea quadam mobilitate modò in hanc, modò in illam partem impellitur. Homo est prorsus incogitans, imprudens & male sanus. Est ingenio illi aui quæ nulla destinatione volans nusquam sidit,aut etiam chamęleonti,aut polypo persimilis. Est homo præposterus. Cùm cœtus hominũ frequentandi,tunc iste abdit se in solitudinem. Secum discors id quod amat eâdem odit. Quod nulla causa laudauit,nulla causa vituperat. Cui assentitur, ab hoc plane dissentit. In illo ipso negotio est sordidus in quo est profusus. Solutus in risum immodicum, momento fit subtristis,&,vultu contracto,extimè simius Catonis,interius ingenio mobilissimo. Vbique est nutans,ineptus & infidus, vbique iudicij,synceritatis, simplicitatis perfuga infamis. Est minister vecordiæ,fraudis & nequitiæ, plane indignus cui vllum serium negotium committatur. Quòd si ab ineũte ætate hoc vitium vsque ad occiduam adolescit, quæ in iuuentute fuit leuitas,ea demum in senectute facta

est

est dementia. Hac inæqualitatis, siue inconstantiæ fœditate Romana historia notabilem exhibet Syllam. Adimebat multa, gratificabatur plura, præposterè amicos colebat, iniurijs non abstinebat, supplices habebat ludificatui. Hęc ipsa morũ inæqualitas aduertitur in Alcibiade, qui, re poscente, aspiciebatur patiens laboris, liberalis, vita pariter & victu splendidus, comitate insigni, tempori multa calliditate seruiens. Ille ipse statim vt se remiserat, nec causa magnopere suberat quapropter animi vires intenderet, deprehendebatur luxuriæ, libidinibus, intemperantiæ deditus.

Cap. XXXVI.

Constantia patientia similis virtus est, sed non eadem. Patientia aduersaria impatientia est.

PATIENTIA est robur, firmitas, tranquillitas animi contemptoris eorum omnium quæ malorum & aduersorum nomine censentur. Itidẽ vt constantia est fortitudine prognata, iisdemq; quibus illa radicibus nititur. Vtrique sunt similes spiritus, vtrinque capiuntur vberrimi fructus. Vtraque effœminari quemquam vetat, rebus extremis hominem subleuat, viros præstat, vtraque est & indomita & indefessa, & effectrix libertatis. Hactenus non duæ videntur, sed vna tantùm. At patiẽtię peculiaris dos est, sustentatio sui, nulli nec iniurię nec indignitati succumbere, non cõfici ærumnis, nulla terreri rerum facie, nulla terribilium atrocitate quati, ingruẽtibus malis resistere, hæc probare non solùm esse patibilia, sed & vincibilia, dummodo adsit animus qui cum talibus depugnare audeat. Patientiam ergo dicimus esse æquanimitatem in perferendis iis, quæ vulgo sunt mala. Atque adeò verum est sine aduersis nullam esse patientiam. Ergo obfirmatum contra calamitatum vires animum veriùs sibi patientia quàm constantia vindicat. Patientiam siue tolerantiam malorum antiquitas dixit esse inuentum Deorum. Planè enim diuinum opus est, ex iis quæ vulgo sunt mala, sibi quemque facere exercitia, è ponderibus leuationes, ex acerbitatibus iucunditates. Nimirum hîc quoqu

Deus hominibus præit, cuius immensa patientia superat omnem magnitudinem, omnemque atrocitatem peccatorum. Ergo à diuina maiestate impensis precibus impetrandum, vt perpessu grauia pari vultu ac prospera excipi possint, ad eamque rẽ omnes fortitudinis & patientię rationes vbicunq; opus est, exsuscitet. Quippe patientia format hominem non querulum, tetrum & incultum, sed alacri potiùs vultu, & læto cultu, cùm sibi imperat iis omnibus libenter obsequi quæcunque Deus immiserit. Patiẽs, fateor, sæpe lachrymatur, suspirat, gemit, sed nec turpiter eiulat, nec intoleranter dolet. Haud magis quàm Hercules, amittit sensum ægritudinis, ærumnæ, doloris. Verùm Herculis imitatione istis nõ opprimitur. Nulla re vehementiùs afficitur, non debilitatur, non frangitur. Quicquid mutari nequit, firmè & submissè tolerat. Non Deum culpat, sed Deum sibi propitium inuocat, Deo gratias agit, Dei iugũ non superbè excutit, sed modestè acceptũ modestè perfert. Semper est mansuetus & placabilis. Robusta quædam animi inductione dolorem cogit languescere ac remitti, mox infringi. Priùs homo prauus lædendo fatigatur, quàm patiens sufferendo. Hac ratione iniurię patientia eripit speratum fructum, qui est in solo dolore læsi. Hęc est illa palma ad quam patientissimus quisque cõtendit. In priscis & fabulis & rerum gestarum monumentis nihil magis obuiũ, quàm mentio illorum heroum, qui tota vita fuerunt circa duritiem & ærumnas occupati, in primis Herculis semper laboriosi. Certè huius fortibus obsequiis palam factum est, quanto plus sit in virtute patientis, iussaque tacitè ęxequẽtis, quam in libidine eius qui iniqua iubet & cogit. Iobum quoque Deus in arce patientiæ collocauit, vt sit omnibus piis memorabile exemplar, vt quæ cuique deinceps accident, huius tanti herois imitatione ipse sibi leuiora faciat. A quocunque tantæ fortitudinis exempla sumantur, hæc verò est cuique seria monitio, vt, dies atque noctes exerceat se in hoc patientiæ stadio, vt placidè ac sedatè quicquid contra votum acciderit, ferre discat. Pauper suo pondere non prematur. Intelligat, diuinis in diurnis primã esse rationem stipendiorum & erogationum pauperis. Is quẽ morbus & dolores afficiunt eò magis intendat patientiæ neruos, quo magis intelligit ei qui fortiter malum tolerat, in

in cœlo repositam esse messem felicitatis. Vos hominum & rerum columina, ecquid aduertitis à grauissimis ærumnis satellitia vestra perrumpi posse? ad vos, quamlibet hominum flore circumfusos peruenire eos, qui nullam maiestatem verentur, inexpectatos dolores, & calamitates improuisas? contra quas vna patientiæ lorica est omni chalybe durior, omni satellitio munitior, omnibus copiis instructior. Patientia sæpe est regni præsidium, sæpe principalis culminis firmamentũ. Quem patientia roborat, is suæ, suorumque felicitatis opifex est. In patientia vt nihil præceps, ita nihil præposterum, nihil toleratu indignũ cogitamus. Facessat Æthiopica illa gens vbi contumeliosissimè habiti repugnare nolebant. Patientia etsi tam auersatur iactantiam, quàm adhæret conscientiæ, nihil tamen habet obesi, nihil crassi. Est erecta, est solers & circumspecta. Vt nescit esse socors, ita multò minùs improba. Auersatur eos qui propter magnitudinẽ dotis propriarũ vxorũ dedecori & cõtumeliis inseruire sustinẽt. Istis quoque minimè est autor, vt apiscendæ potentiæ gratia domi suę lenociniũ facere possint. Neminem impellit simulatis, sordidis, & infimis obsequiis orborum hæreditates aucupari. Si sceleratis artibus vir patiens tentatur, inde se nihilo nequiorem, nihilo contemptiorem factum probat, nihilo magis virtus eius inclinatur. Atque adeò quo magis versatur circa depressiora, hoc minùs in consortium admittit vllam socordiam, fœditatem, improbitatem. Sibi hoc ipso potissimum placet, quod intelligit, plerunque eos, quos Deus respicit, aduersis probari. Miserias & calamitates intelligit eo lebete demonstratas fuisse, in quem Thetis dicta est coniicere filios suos, cupiens scire quinam essent, mortales an immortales. Intelligit ea vita, cuius nullum est acre examen, nihil esse magis abiectum, inglorium, intutum, nec dici vitam, sed sortem & condicionem hominis inexplorati, cuius dubia est probitas, sanitas, firmitas, eâdem prope ratione, qua eius, qui nunquam descendit in certamen, nulla est victoria. Paleam & fimum si igni admoueris, statim te teterrimus odor confecerit. Verùm quod aurum, vt purissimum quispiam sibi seponit quod recondat, ignibus perpurgat acerrimis. Sic improbos Deus suis impuritatibus relinquit. At suos identidem aduersis explorat. Nullum itẽ

luctamen, qualecumque sit, nisi huius virtutis viribus sustineri potest. Ergo nulla quoque est corona expetenda, cui texendæ hæc virtus non adhibeatur. Hinc palam est patientia non solùm externa mala repelli, sed illa potissimùm obliterari, quæ singulos intimè vexant, hanc eius victoriam ante omnes celebrari. Quicquid vitij latet in intimis præcordiis patientia perpurgat. Patiētia est ille salutaris ignis, cuius vi humanum pectus despumat. Nihil ibi relinquit impetus inconsulti, nihil prauæ cupiditatis, nihil destinationis improbæ. In thyrsis Bacchi erat enorme telum, cuius mucronem lambens hedera prætexebat. Ambiri & obligari ferrum, signabat, quoscunque impetus, ne bellicis quidem exceptis, forti patientiæ vinculo obligandos. Certè patientia affectus domitat, mentē roborat, quietissimo silentio linguam commendat, libidinem consopit, tumorem comprimit, vt simultates nescit, sic amicitias copulat, virginalis integritatis est custos acerrima, viduæ laboriosam castitatem incomparabili decore remunerat, coniugum charitatem alit, perpetuat, auget; in prosperis modestiam, in aduersis fortitudinem suadet, iniuriis & contumeliis tolerantiam opponit, aliorum peccatis facilē ignoscentiam offert, in propriis promptam & ingenuam resipiscentiam ostendit, in omni re æquanimitatem profitetur. Huc accedit, quod in iudiciis patientia est pars iustitiæ. Atque illum verisimile est bene iudicare, qui vtramq; partem patienter audit. Hæc est nobilis illa patientiæ disciplina. Hæc est illa eius vel in media imperitiæ caligine scintilla reuiuiscens, & inter improbitatis sordes nitor conspicuus. Hæc est eius inter indoctos, agrestes, improbos mores sanctissima conuersatio, hæc erga infensissimos hostes placabilitas, cuius Lycurgus edidit specimen luculentissimum, cùm illum à quo sibi oculus effossus fuerat, sanitati redditum populo commendauit. Ne illius quidem patientia sua laude defraudari debet, qui suæ supplicium prauitatis dum fortiter sufferre potest, quodammodo leuiori pœna defungitur. Et si in patientia nihil nos indecorum probamus, sed eius causas, progressus, effectus, omnia pariter honesta desideramus. Ad hanc virtutem vix iri potest nisi per meditationis & studiorum exercitamenta, per multa fortia animi & corporis experimenta, per cætera bonæ mentis

mentis adiumenta. Nihil aliud loquuntur exploratę veritatis exempla, quæ sunt huius fortissimæ virtutis documenta euidentissima. Hinc corpora, nullo necessitatis coactu ad rigorem sæuientis hyemis durata, hinc digiti ardẽti lucernæ propere admoti, dextræ igni inditæ, membra absque vllo gemitu flammis admota, intolerabiles cruciatus tolerati, animi acerrimi in mediis vexationum æstibus diu & frequentér exerciti, & vsque in extrema obstinati, qui multis argumentis ostenderunt, eum qui stabilitate huius virtutis nititur, nec obrui nec contundi posse, sed manere, vt ita dicam, ferreum, inflexibilem, infractum. Prorsus ita est, nullam ex vniuerso virtutis choro esse humanæ naturę adiutricem fideliorem, nullius cicatrices honestiores, nullius memoriam suauiorem. Nullus item altior est illo gradus, in quo positus est is, qui dum sustinet aduersa fortia facere discit, ac per hunc tam salutarem profectum sensim diuinis inseritur. Nulla quoque vox verior, nulla magnificentior hac, Romanum, hoc est, eximiæ fortitudinis opus esse, in aduersis vultum secundæ fortunæ gerere, hoc est, patientiam præstare, in secundis moderari animum, quæ est laus temperantiæ. Cùm multis mortalibus hęc virtus planè sit inaccessa, sui cultoribus est tutissima statio, quam quisquis fortitus est, is nullo vitiorum clandestino aduentu subrui, nullo furentium ventorum concursu expugnari potest. Denique patientiam esse summum humanitati præsidium, summum vtrique sexui, omnique ætati ornamentum, docet habitus eius, quem ipsissimis Tertulliani verbis describimus, Vultus illi tranquillus & placidus, frons pura, nulla mœroris aut iræ rugositate contracta, remissa æquè in lætum modum supercilia, oculis humilitate, non infelicitate deiectis, os taciturnitatis honore signatum, color qualis securis & innoxiis, amictus circùm pectora candidus, & corpori impressus, qui nec inflatur, nec inquietatur. Cæterùm quanti in hominis pectore patientia est, tam multa detrimenta in res humanas inducit impatientia, vitium huic virtuti aduersatium. Impatientia est leuitas & imbecillitas animi secum diffidentis, leuis & improuidi, qui eius moræ, quam spes desiderat, prorsus intolerans est. Impatiens est homo leuis, mutabilis, desperato proximus, stolidus, eneruis, sibimet, suisque destinatis

inimicus. Vt patientia hominis probi & constantis singulare specimen est, vt homo probus & constans patientissimæ lenitatis documentum est, ita impatientia est ipsius gestus furoris, qui præfractè diuinis decretis, trepidè ac turpiter suis obluctatur. Ac proinde hoc vitium sæpe est origo earum cladium, quæ, si firmitas adfuisset, egregiè vitari poterant. Tunc potissimùm impatiētiæ vulnera geminātur, cùm improbitas sibi comparem animum nacta est, atque hinc hæc, hinc illa pariter furunt, vtrinque magnæ tempestates excitantur. Impatientia est facie lurida, oculis turbidis, lingua effreni, gestu inconcinno, manibus incontinentibus, toto corpore inquieto. Est probrum diuitis, est perpetua vexatio pauperis, sæpe est muliebris causa dedecoris; est viro perpetuus cruciatus. Aduersus impatientiam nonnullum remedium est sic animum inducere, Non esse datum miseriis & calamitatibus, nec vlli quamuis molestę expectationi vt sint perpetuæ, ac ne diuturnæ quidem. Nam & illa ipsa, quorum pondere sæuissimè homines premuntur, tandem lassari constat.

CAP. XXXVII.

Superioribus virtutibus Spes adhæret: connumeratúrque inter potissimas virtutes.

FORTITVDINI, constantiæ, patientiæ, sese comitem spes addit, quam nonnulli non modò negant esse virtutem, sed eam ne bonis quidem annumerant. Qui error confutabitur, vbi dixero, Spem esse motum animi fidentis, & è dubia tendentis ad certiora & potiora. Hanc virtutē menti humanæ Deus indidit, vt donec homo viuit, nunquam se desertum queratur, vt quò pluribus ærumnis vita excipitur, hoc blandiùs ac beneuolentiùs eam spes foueat. Et verò res cuique prosperæ momento vertuntur. Si quid diuturnum est, ea plerunque sunt aduersa quibus quisque colliditur. In hoc tam frequente illisu, scilicet, vnicum homini solatium spes adest,

adeſt; quæ ſi, re deficiente, eſt impigra & laborioſa, tandem id quod veſtigat ſæpiſſimè reperit. Quemcunque hæc boni expectatio non deſerit, is non vſquequaque miſer, non vſquequaque ærumnoſus eſt. Ei nequaquam omnia ſunt adempta, cui relinquitur vt ſperet. Hoc eſt labanti in lubrico fulcrum, periclitanti præſidium, calamitoſo ſolamen. Veruntamen, aiunt, ſpes altrinſecus comitem habet metum. Certè vulgo credunt, hæc duo eſſe in ipſa rerum humanarum arce collocata. Nec quicquam verius eſt, quàm de qua re plurimùm ſperaut homines, de eadem plurimùm metuere. Id quod quiſquis affirmat, negare non poteſt, ita comparatum eſſe, vt quantum metus deprimit, tantundem ſpes erigat: quantum ille debilitat, tantundem ſpes roboret. Statim vt metus apparet, derepente ſpes accurrit. Qua homo oppugnatur, pari velocitate defenditur. Metus multa reddit ſuſpecta, terribilia, formidabilia, quæ ſpes oſtendit blanda, propitia, fauſta. Ergo quæ explodatur digna eſt illorum ſententia qui aiunt, vocabulo ſpei non aliud vtique demonſtrari, quàm animum futuri expectatione ſollicitum, totúmque ab incerto bono ſuſpenſum. At nos dicimus, eam ſpem, quæ trepidat, falsò ſpem dici. Spes, cùm ſit virtus, non poteſt eſſe anxia. Non modò metus inſerit ſe ſpei, ſed metum ſpes expellit. Hæc vbi adeſt, inde metus abeſt. Ergo etſi ſpes caret euentu, tamen per ſe eſt bonum. Siquid dubij reſtat, id non eſt in ſpe, ſed in re. Res ſperata donec adſit aut confecta ſit, annumeratur incertis ac dubiis. De ea ſpe loquor quæ naſcitur ex merito. Huic enim cum æquitas ſit autor, induſtria & aliqua facultas comes & adiutrix, vix eius augurium poteſt eſſe fallax. Hanc certè nemo ſanus inficiari audeat, non ſolùm eſſe aditum ad aliquod bonum, verùm etiam ipſius principium boni. Quid, quod nullum vnquam præclarum facinus extitit, cui ſpes non ductrix, rectrixque fuerit? At, inquiunt, illud bonum, quod ſpe concipitur, nondum apparet, ſed ſola cogitatione pręſumitur. Quis negat? Attamen fateare neceſſe eſt, hac præſumptione perfrui, non eſſe exiguum ſperanti delinimentum, nec planè inualidum incitamentum, ad elaborandum illud, quicquid eſt, quod ſperatur. Annō illud meritò cēſeatur bonū quod

quàmlibet inuocatum & inexpectatum continuò tamen præsto est? quo prostratus, languidus, afflictus erigitur? Nam quid aliud dicas esse spem, nisi amicam suasionem, & fiduciam melioris conditionis; Si in solo metu dicis esse aliquid mali, cogeris agnoscere in sola spe esse aliquid boni. Quid, quod spes, vt cœpi dicere, metum demit & obliterat, dum formidabilium impedimenta amouet, eâdem in proximo rem speratam exhibet? hinc animum excitat, hinc erigit, & acuit? Quisquis ergo spem prorsus nescio quid inane, aut dubij boni nomen esse putat, is omne humanum genus damnat eius infelicitatis, cui nullus terminus. Agedum obsecro, cuicunque violentior casus omnia quæcunque habuit, abstulit, quo loco sit, si ei ne vlla quidem spes reliqua est? Qui quà tendebat omnes aditus diu obstructos inuenit, annon sæpe spe præuia eosdem pronos, peruios, patefactos habuit? Cùm Deus ei spem reliquit, cui cætera eripuit, censésne illum rem friuolam reliquisse, non illam quam posuit non minimum, non dubiũ, nõ postremum mortalitati perfugium? Ergo regiè prorsus Alexander, qui percontanti Perdiccæ, Tibi verò omnibus per summam benignitatem distributis, quid relinquis; Spem, respondit. Perinde ac si dixerit, regem tunc optimè dispensare cùm sibi nihil seponit. Tum illud, animo excelso non tam in re, quæ fluxa est, quàm in spe, cui præit aliquod lumen veritatis, omnia esse reposita. Et verò quis fortitudinis, constantiæ, patientiæ, spe dempta, sit locus? Quis vllum sine suasu spei laborem capiat? Quis aruum diu & laboriosè colat, quis culto credat vllum semen? Quis nauiget? Quis mercaturam faciat? Quis ad sirenum saxa discendi cupiditate adhærescat? Quis militiæ det nomen? Quis ille est qui non se deploratissimis annumeret, si non ipsi in media desperatione sancta spes subueniat? Ergo vel hoc ipso spes est alicuius boni effectrix, quòd homini præit ad ea consequenda quæ quælibet virtus suo sibi iure vindicat. Vbicunque spes affulget, quicquid titubabat solidatur, quicquid anceps ac tortuosum in rectum dirigi incipit. Iis malorum cateruis disiiciendis, in quæ desperatio vt plurimùm trudit homines spes princeps manũ admouet. Nullum spe homini promptius ad omnia præclara incentiuum. Nullus per pericula animosiùs euadit ad præmia, quàm

quàm is qui intrepidus ſpem ſequitur. Sed ne quis erret, ſperandi eſt aliqua diſciplina ſiue regula,& quidẽ ſępe verior quàm vllum vaticinium,vllaue diuinatio. Sperādi cognitionem illa ſecta olim profeſſa eſt quibus nomen fuit ἐλπιστικοὶ quaſi dicas ſpei addictis,aut ſpe nitentibus. Horū præcepta hoc vno continentur,vt quiſque intelligat ſpem nequaquam eſſe vocabulum alicuius inertiæ aut inanitatis,ſed demōſtrare occultam quādam animi vim,& quoddam erectum in præcordijs vexillum,inſigne efficaciſſimū ad diſſipatas animi vires recolligendas,atque impellendos homines ad ea pericula, ſine quibus intricatus nunquam ſe extricet,nec quiſquam faciat facinora magna & memorabilia. Ergo ſummo opere cauendum,ne ſe hic vllus vulgaris error interponat.Sunt enim quos nulla bona ſpes lactat,ſed illa ductat quæ ideo falſa eſt, quod magis cū vitio ſtat quàm cum virtute.Præclarè Charidemus dicebat, eſſe quaſdam compedes viritim hominibus circumdatas, his maiores, his minores. Eas vocari ſpes,quæ quomodo cōpedes infimam humani corporis partem amplectūtur,hoc eſt extrema mēbra, ita ſpes eſſe in infimo,verſari circa extrema,in ſuam ditionem redigere homines, eoſque cogere extrema pati, nempe ſtultos, qui has compedes accipiunt, & quidem craſſas & ponderoſas. Eas in induſtrijs laxari,atque adeò vſque eò tenuari,vt ipſæ denique ad nihilum redigantur,modò ijs adhibeatur illa lima, qua vna deteri poſſunt.Hāc dicebat eſſe rationem.Scilicet hoc ſibi voluit Charidemus,quoſdam in eo peccare, quod vbi ſperandum eſt,nihil ſperare audent. Vbi nulla ſpei ne leuis quidem apparet aura,tunc auidè ad id, quod nuſquam eſt, ferri,in re frigida cor habere feruidū, quę ſtultè cupiunt, ea ab ipſis improbè ſeparari, Poſtremò ab aurea ſpe peruenire ad ampullas bracteatas & inanes.Qui eſt exitus illorū qui eà,ad quæ nullo humano conatu iri poteſt,inani voto complectuntur, qui tandem pro theſauro carbones inueniunt,Vt vela des, tibi priùs debet oſtendi aliquis flatus, ſtulta ſpes ſæpiùs eſt irrita. Stultam ſpem voco eam quæ porrigitur ad illud, quod ſi adeptus fueris, tu ipſe tanquam re incredibili percellaris. Nec enim eſt quod tali ſucceſſu quiſquā magnopere gaudeat.Nam quicquid nulla ratione aduenit,nulla ratione abit.Spes inſana parit gaudia volu-

L

ſperi. Apud quoſdam tanti ſpes eſt, vt, cum ea quæ concupiuerant, adipiſci poſſent, quædam tamen ex ijs tantum præoptarint, non omnia. Pręclarum, maximeque commendandum hominũ genus, qui ne non adhuc aliquid eſſet quod ſperarent, ne eos, inquam, ſpes planè deſereret, ſibi quædã demere, quàm ſuas ſpes cumulare, rebus ſuis conducibilius & honeſtius exiſtimarunt. Hi plerunque ſunt generoſæ iuuentutis ſpiritus, quibus optatior eſt diuturnior in ſtadio curſus, quam ſubita poſt metam palma. Summa hæc eſt, vnumquemque quicquid ſperat, id ad normam rationis dirigere oportere. Ita inquam, ſperandum, vt ſemper intelligas, euentum ſpei fore illum, quem ratio, conſtanſque lãbor tibi confecerit, caſſa eſſe illa omnia, quæ ſua cuiq; leuitas, aut inſana cupiditas ſuaſerit. Certè cùm ſpẽ magnificamus, conſtantem & peruicacem dicimus; ſcilicet ſimilem tribus ijs virtutibus, quibus eam comitem damus.

CAP. XXXVIII.

Credulitas non eſt partus ſpei, eſt enim vitium, cui oppoſita diffidentia eſt.



ALSA ſpes, qua pleraque mortalitas inflatã incedit, originem trahit aut à nimia ſecuritate, quæ quòd cæca eſt, nec mala proſpicit, nec pericula cauet: aut certè à credulitate, quæ, vt quandoque poſſit eſſe virtus, ſæpius tamen vergit in vitium. Credulitas eſt imbecillitas animi fidẽ adhibens ijs quæ vt temerè aut artificiosè nuntiantur, ita periculosè nũc vera nũc falſa exiſtimãtur. Hoc damnoſiſſimũ vitium eſt affine ſuperſtitioni. Nec aliter quàm ſuperſtitio obuiæ ſe cuicunq; vanitati addicit. Qualicunque rumori primùm aures auidas, mox pandit ſinũ, & aperit pręcordia. Hic plerunque duo peccant, is, qui cuipiã mendacium dicit, ita cõcinnatũ, vt, cui dicitur is nimia facilitate in fraudem inducatur. Et hęc quidem ſecta ſi non tam diffuſa eſſet, multò meliùs ac feliciùs hominum incolumitati & commodis proſpectũ foret. Synceri mores obuiam irent multis malis quibus vita lãcinatur. Quamuis præter mendacium, multa

alia homini credulo multimodis illudant. Credulus est is, qui inanibus & falsis, nulla rei præuia cognitione, faciles aures cùm accōmodet, omnibus omnia, qualiacunque sūt, citò credit nullo delectu. Vsque eò leuissimum quemque ductari iuuat, & sibimet accersere perniciē, quæ vitari posset, si non in plerisque tanta esset ad credendum procliuitas. Hinc manant iniusta vota, illa quæ vnicuique sua cupiditas suadet. Nam qualis cupiditas, talis est aut credendi facilitas, aut non credendi pertinacia. Credulus id quod optat verum putat, quod auersatur ac timet, id propterè vt falsum reijcit. Quidam prorsus peccant in aliam partem. Contra sua commoda proteruè sunt increduli. Iidem quicquid inuiti audiunt auidè credunt, sua mala è longinquo accersunt, ante miseriæ tempus se & omnia sua miseriæ mancipant. Hoc genus hominum præposterè vtitur ingenio suo, cùm potiùs libenter alij lenocinentur cupiditati quisque suæ, nec quisquam facilè reperiatur qui id libenter credat, quo credito ei dolendum sit. Amantium, eorumque omnium, qui sunt deceptu faciles, ingenium est, vt se libenter amari credant. Cupiditas eos facit versatiles, & cereos. Isti vt vera videant nec circumstantia amouent, nec obstantia deijciunt, perpetuo sunt cæci. Miserorum quoq; est, vt sint faciles ad accipienda & credenda omnia tristia, atque adeò ex illis ipsis quæ optare fas est, nunc prorsus plura quàm oportet, nunc omnino nihil credant. Titubans animus ad leuissimam quamque auram percellitur, mala qualibet suspitione perstringitur, ac, dū veritatis negligens est, toto pectore mendacium haurit. Aliorum tam anxia mens, tamque corruptum iudicium est, vt liquida non perspiciant, obscura credant; ijdem cui fidē in deterioribus habent, in potioribus adhibere vereantur, sibimet turpiter dissimiles, ac prorsus digni quibus nemo credat. Vt enim cuipiam ha. ita fides loquentis fidem obligat, ita non habita loquentem aut spondentem absoluit. Quidam fatui & luscìosi citiùs ac libentiùs obscura & sibi incognita nec verisimilia credunt, quàm liquida & aperta. Istis nunquam sol illuxit, ac tamen se supra cæteros multū sapere putant, planè digni qui suæ sapientiæ relinquātur. Malorum quoque iudicum præpropera crudelitas nihil aliud est quàm detestabilis quædam propensio ad aperiendas aures cri-

criminibus dolisque vltro compositis aduersus inauditos & indefensos. Quippe isti, dum id agunt vt assequantur laudē citò intelligendi, frequenter sese iniquæ iudicationis crimine conscelerant. Hinc euersio eorum quæ iustitia & iure stabiliri oporteret. Hæc est improbissima ratio illorum, qui damnant, absoluunt, statim credito non quid melior & innocentior, sed quicquid gratiosior aut potentior attulerit. Nec mirum si is qui malè credit malè iudicat. At Areopagitarum augustus ille consessus noctu, & in tenebris ius dicebat, vt non oculis in eos qui quidpiam dicunt, sed mente in ea quæ quis allegasset, inspicerent. Si iudicis credulitas est tam fœda, quid de principe dicas? Atqui vix est, vt non horum maxima pars suam credulitatem alicui addicat frequenter amicorum pessimo, ac totius aulæ deterrimo. Id quod vt est mobilis ingenij documentum, ita sæpe est magnarum cladium origo. Cuidam regi percontanti Apollonium Thyanæum, qua ratione securè ac tuto regnaret, Si multos, inquit, honestaueris, ac paucis pauca credideris. In duce exercitus propera & præcipiti credulitate nihil periculosius. Adsunt & fœminæ, quarum plurimæ vt perperam vident, ita peruersè iudicant, atque vbi ad gaudia veniunt, tam nihil cauent, quàm omnia credere festinant. Ipsis quoque vetus prouerbium ait, non plus quàm gremio credi oportere. Mente credula vt nihil est inconsultius, ita res docet nihil esse infelicius. Priscum est verbum, Nunquam rectè faciet quisquis citò crediderit. Id quod nō solùm in rerum monumentis, sed & in ipsis priscarum fabularum inuolucris explicitum est. Cùm Cephalus vir Procridis venatione syluas pererrans, præ nimio æstu auram vocaret, cuius flabellis refrigerari posset, Procris ad hanc vocem perculsa, nec re explorata, virum suspicata est alicuius nymphæ amore implicitum, cui nomen esset Aura. Hac existimatione decepta sese virgultis abdidit, & illud obseruare cœpit quod omnium minimè cuperet. Cephalus tremula virgulta conspicatus, feramque ibi latere ratus, iaculo coniugem interemit. Quod nouercæ creditum est, Hippolytus vitæ eripitur, Cassandræ quia non creditum, Ilium euertitur. Ergo credere vbi opus est, nec item statim ac temerè credere, sed quicquid affertur prius ab radicibus subtiliter rimare; denique nec omnibus omnia, nec nulli

nihil credere, hi, videlicet, dicuntur esse sapientiæ nerui. Nec enim sapiens primis & leuissimis auditionibus mouetur, sed assumpta prudente diffidentia, id est cautione, lentè, & consideratè id quod narratur, spectat. Hinc vetustissimus ille monitus, μέμνησο ἀπιστεῖν memento diffidere. Id quod identidem subijciendum est mortalium summis. Est enim diffidentia proprium summi loci aut vitium, aut virtus. Vitium tunc est, cùm ijs quæ verè nuntiantur, quòd nō sunt placentia, aut etiam veris consilijs demit fidem. Quippe diffidentia peccat in contrariam credulitati partem. Omnes homines habet suspectos fraudis, ac doli mali. Neminem putat esse probum. Quo vitio plerunque inquinantur Euchiones, & mali principes; Estque verum sordidi ac tyrānici ingenij specimen. Vt omnibus credere, est socordiam suam profiteri, ita nulli amicorum, est eos imprudentiæ & infidelitatis, se ipsum infelicitatis damnare. Princeps ergo dupliciter peccat, credulitate ac diffidentia. Credulitas principis sæpe stringit ferrum nunc in proximos, nunc in longè dissitos. Diffidentia bonorum animos abalienat. Ei ergo restat, vt comitem assumat prudentem illam diffidentiam, quæ omnia habet in circumspectu, nunquam præceps agitur, sed suspensa manu rem tractat, omnia ad vnguem explorat, ideoque connumeratur inter aureos prudentiæ ramos. Hæc ipsa indignos ab rerum administratione submouet, magnas vtilitates Reipub. præbet, est munitissimum regno & regnanti propugnaculum. Illa quoque diffidentia prorsus est explodenda, quæ inter eos surrepit quos beneuolentiæ vinculum & morum similitudo coniunxerat, dicique potest amicitiæ interitus. Hæc de credulitate, eique contraria diffidentia dici possunt. Cui haud absimile vitiū adhęret cui nomen Suspicio rerum fidei inimicum, de quo alibi ago. Quibus addo, tunc laudari credulitatem, quoties est euidens argumentum eius fidei, quam omnes boni & principi & Reipub. præstare debent, veluti, si quid nuntiatur quod ad vtriusque salutem maximè pertineat. Tunc enim quisque, qui modò sit vir probus, mauult esse credulus, quàm priuata & maligna incredulitate salutem regis prodere, & publicam rem lædere, fortè & perdere.

Cap. XXXIX.

Fortitudinem imitatur vitium cui nomen audacia, siue temeritas, quibus aduersatur desperatio.

FOrtitudo solida &animosa virtus circumsisti-tur personatis virtutibus, imo vitijs periculosissimis, hinc audacia,quæ est eadem cum temeritate, inde metu, siue timiditate, quæ est eadem cum ignauia. Audaciæ vocabulum nō nunquam vsurpatur pro abundantia fiduciæ, fidentiæ, confidentiç, quibus dictionibus demōstratur illa vis animi, quç nullis periculis exterretur, nullisq; laboribus cōteritur, dū res conficit magnas, ac prope incredibiles. Hoc sensu audacia nō adumbratur vt vitium, sed planè effigiatur vt virtus. Frequentiùs tamen apud eos qui purè & propriè, simulque cogitate loquuntur, ea virtus quæ excellit inter terribilia,& confidendo exsuperant formidabilia, vocatur audentia, ipsissima fortitudo. Audacia dicitur ab auidè, id est, cupidè agendo, notatione nominis rei conuenientissima. Est ergo audacia incōsiderata periculorum susceptio,& gladiatoria quædā laborum perpessio; cuius tamen origo, quod mirere, plerunq; est μικροθυμία animus angustus & pusillus. Vocatur quoque temeritas eodem significatu. Est enim temeritas prauitas animi inconsulti, sibiq; præfidentis & hinc non pessima, non periculosissima suscipientis. Vtro nomine demonstretur, est confidentiæ & fortitudini vsque eò persimile vitium,& apud imperitos & caligantem multitudinem sit ipsa fortitudo. Plures enim ijsdem oculis metiuntur animum perditum & magnum nullo discrimine. Vt fortitudini nihil est inuiū, ita audacia nihil est expeditius, atque ad omne impedimentum transcendendum paratius. Vt si sit virtus, nihil ei videtur arduum aut insuperabile, omnia peruia potiùs ac prona. Audax, siue temerarius est is, qui nimius animi nimiū confidit; & vbi minimè opus est nimiū tētat. Hic ipse vt ante periculū est prçceps,

ita in periculo sæpe tergiuersatur. Cōtra, confidens & fortis est ante periculum quietus, & metuenti similis, in periculo intrepidus, in omni opere actuosus, acer, alacer. Vetus est verbum, Animus vereri qui scit, scit tutò aggredi. Nec idcirco audax siue temerarius est fortis, quòd audaciùs, id est, inconsultiùs pugnat. Nec enim minùs quàm meticulosus iudicij aculeos amisit. Vterque versatur circa defectum, cùm sola fortitudo sit aurea illa mediocritas quæ est inter audaciam & ignauiam. Omnibus bonis, re trepida, perfugium est in fortitudine, malis in audacia, in cuius confinio est metus & ignauia. Nimirum, eâdem prope ratione homo temerarius & audax simul est timidus, qua prodigus deprehenditur esse auarus. Quæ in viris bonis Reique publicæ amantibus sunt recta studia, hęc est in perniciosis ciuibus audacia. Ingenia culta, & ad humanitatem informata nituntur confidentia, pro qua homines agrestes & indolatiles expediunt audaciam ac temeritatem, quæ sępiùs in periculis formidine deteguntur. Confidentia siue audentia est aliarum virtutum propugnatrix. Vitijs, criminibus, flagitijs subsidium ab audacia petitur. Audacia furore cæca, vecors, prodiga sui nihil in hostem meditatur, sed præceps, vt fera ruit in ferrum ac vulnera, rerum momenta solo impetu metitur. At confidentia semper est cauta & circumspecta, nec ideo minùs pugnax ac strenua. Ita victoriam spectat, vt potior & prior sit ei cura salutis eorū, quos protegendos suscipit. Ea re dicta est ἀπεριστάτως κακῶν, si quidem omnem procul ab se amouet expectationem mali. Audacia, siue temeritas sæpe duces vnà cum totis exercitibus perdidit, cùm fortitudini propositū sit, vt & Reipub. copias, & ipsam Rempub. saluam præstet. Ergo duce audace ac temerario nihil est vniuersis infestius, nihil profligatius. Quoties iste audaciam promit, toties cunctos in discrimen dat. Huic vitio & superbiæ multæ deformitates sunt communes, quæ sese produnt spectando, ambulando, loquēdo. In oculis hominis audacis ac temerarij habitat furor. in superciliis superbia, in gestu demētia. Quod Catonis παῤῥησία bene sentiendi, & bona consulta enunciandi libertas magnis laudibus celebratur, Fauonius eam se æmulari putat, si pro libero & verace præbet se audacem, temerarium & contumeliosum, Si fortè aliqui exiguæ staturæ homines commen-

commendantur propter dotes aliquas lepôris & ingenioli, ibi cætera pusionum manus exsurgunt in plantas, contra proceros audent attollere oculos, putant sibi licere, caput, quod aiunt habere super ceruice, atque adeò μνᾶσθαι ἱππεχίων ἀθλών procari proceram Mineruam. Quilibet temerarius grandia incedendo sese Attis annumerat. Tunc Sybaritæ per plateas. Cornelius Lentulus homo temerarius vt nefanda cogitat, sic despuenda loquitur. Se post Cinnam & Syllam tertium fore ait, qui Romę regnum possideat. Audaciam ac temeritatem omnia vitia acuunt, in his hæc potissimùm, dolor in rabiem efferatus, cui desperatio nomen, opinio sui, despectus aliorum. Mœchos & adulteros libido, fures, raptores, sacrilegos feruēs auaritia, sicarios & latrones insignis improbitas, ac sitis humani cruoris in audaciā accingit. Omnia cōsilia inconsulta, turbida, sæua quæ homines propellunt in vada mortis, audacia inuenit, promouet, exequitur. Phocica & Phocicæ similis desperatio est ab audacia. Audax ac temerarius, in quem feratur, iusta nunquam æstimatione prosequitur. Quantum est hominū flagitiosorum hoc se protegit audacię muro. Quisquis est melioribus discors sese audacia ac temeritate loricat; prorsusque est imitator dyadis, cui Pthagorei, quod se audet disiungere, ab vnitate, nomen indiderunt audaciæ. Cùm huic vitio soli sint spiritus incōsulti, ignei, intolerabiles, quorum mentes hinc sunt concussæ, hos necesse est esse rapidos ac feruidos. Nullum genus promptius, nullum districtius, contra hos nulla vigilātia est satis exporrecta. Hoc monstrū quacunq; potest suos ausus extēdit, Ipsa bonorum studia feruido & effuso impetu vincit; Sæpe non suis viribus, sed alieno metu crescit. Ex nec opinato ingruit in illa quæ nullius cura protegūtur. Quocunque manus inijcit, id mirum est nî facit prędam suam. Audacia & temeritas est negotium inquies, curiosum, anxium & sollicitum, bonæ mentis expers, sibi priùs aculeus, mox eculeus. Non hoc vitium honestas progignit, quæ semper est circumspecta, non opes quæ cautæ, nō potētia sua vi nixa, quę vndiq; est oculata, sed turpis egestas & importuna mēdicitas, quæ huc illuc improuida truditur arbitratu obuij cuiusque; obscuritas, quæ, nulla subducta ratione honesti ac decori, quacunque emergere datur,

hoc optimum ducit, tum perpetuus quidam & insanabilis furor. Ipsam quoque ignauiam, & inertem quandam trepidationem vltima necessitas quandoque transformat in præcipitem audaciam. Denique nimia libertas, cui nomē licentia, hoc quoque monstrum configurat. Nam licentia nihil est aliud quam amentia, quæ primo suas opes pessumdat, mox furens fertur in alienas. Hinc omnes pestes. Siquidem licentia & calamitas se mutuo complexu tenent. Vt prudentia est senectutis, ita temeritas est proprium vitium adolescentis ætatis. Hæc enim, quod est incautior; sæpe ea quæ casus iuuit, ducit loco prudentiæ, & prosperum euentum magnificat vt sapiens consilium. Quapropter μέμνησο εἴκειν memento cedere, nimirum meliori, hoc est, modestè age, noli efferri supra modum tuum. Si necessitate pugnandum, si periculum periculo superandum, sic esto fidens animi, ita audens ito in omnes casus, vt tibi ratio præeat, in hanc cynosuram oculos intende. Rationem assume in deliberando autorem, in exequendo comitem. Hac dempta, nihil quisquam nisi pessimè audet, nihil quicquā nisi præcipitanter & infeliciter exequitur. Inter causas huius teterrimi vitij iam nominaui desperationem spei aduersariam, omnium malorum vltimum, omnisque remedij impatiens. Promptè assumit speciem fortitudinis, sed speciem tantùm. Est enim desperatio succisi & subruti animi motus, ac repentinus transitus ad improbum aliquem & improuisum conatum. Est ad quodcunque facinus audendum & patrandum concitatissima rabies. Desperatio est inter anteambulones mortis. Mors hanc præmittit, ac talia sentire cogit & loqui, Ergo me terra non potuit haurire? non iratum ipsi probitati mare? Cur viuo, cui vita tam amara, tamque infesta est? Cuiuscunque res extremo loco sunt, quisquis comploratus est ita statuit, sibi præcipiti via eundum esse, vt cui, quàm esse eo loco quo est, accidere deterius nihil possit. Hinc intelligitur, desperationem esse habitum illius qui omni omnis bonæ rei spe perdita, & omni respectu ac probitate calcata, sese effundit in omne genus nequitiæ. Iste quid se futurum sit, nihil laborat. Bona & mala existimatio ipsi in æquo sunt, quamuis in malam propendeat. Est omnis pudoris ac modestiæ desertor, omnis periurij, spurcitiæ, impudentiæ emissarius.

Hunc

Hunc omnibus probis æquum eſt eſſe ignorabilem. Huius animus fractus ac debilitatus ſemper neceſſe habet confugere ad nouam ſpem, id eſt ab vna ſpe perdita tranſire ad aliam nihilo certiorem, certè fallacem ac præcipitem. Ne quicquam hunc præhendas ac retineas, quem furor intimè diuexat qui ſuæ ſaluti infenſus, ſuæ perſonæ iniquus quærit quomodo malè pereat, cui ſuum exitium nunc eſt perfugium, nunc incitamentum quò perditiùs feratur in aliena. Deſperati enim hoc eſt ingenium, vt omnia ſecum trahere in barathrum cupiat. In hoc omne ſuæ conditionis momentum ponit, vt ſibi ipſe ſit ſummum malum. Ergo odio vitæ, & luci, qua fruitur, infenſus in certiſſimam perniciem ſeſe conijcit. Fatendum tamen eſt, inter tot rerum humanarum ludibria, ea ſæpe deſperationem confeciſſe, quæ nemo fieri poſſe crediderat, dum occluſiſſima reſerat, & munitiſſima perrumpit, & editiſſima contingit. Sed quæ ratione repugnante fiunt nequaquam exemplo aſſumi à viro prudente poſſunt. Omnia infirma, caduca, perdita habeto quæ ſumunt à deſperatione principium. O profligata humani ingenij labes, vtinam iſtam tuam tam formidabilem diritatem homines aſpiciendo perhorreſcant, Certè nullus, ne in medijs quidem deſperandi occaſionibus, ſibi deſperandum putabit. Tam odioſa prudentibus deſperatio eſt, vt quandoque poſt accepta ingentia damna pro victoribus habiti ſint, non qui reuera vicerant, ſed qui non deſperauerant. Scilicet hoc eſt in ſpe victoriam geſtare, atque id quod infracta virtus cuique ſpondet, vt ſi adeſſet, præ ſe ferre. Poſt cladem Cannenſem, vltimum ferè Romani imperij diſcrimen, Varroni conſuli gratiæ actæ, quòd de Repub. non ſeparaſſet. Certè vbi hinc virtus, hinc deſperatio hominem circunſiſtunt, quoties in præcordijs certant, planè mirum eſt, non ab virtute proſterni deſperationem. Nullum enim tantum eſt malum quod virtus loco prompta non diſcutiat.

Cap. XL.

Fortitudinem quoque falsò imitatur vltio, siue vltionis libido.

DEsperationi proxima est vltio, siue vltionis cupiditas, quæ quoque vult videri fortitudo. De qua etsi multa exposui cùm egi de iniuria, hìc tamen distributiùs quid hoc sit vitij explanabo. Vltio, siue vltionis libido est affectus, motus, æstus & feruor animi turbidi, & mentis efferatę quam configurat acrior acceptæ iniuriæ sensus ad eam reponendam concitatus. Quippe eã verè vltionem dici aiunt quæ non differtur, sed statim post iniuriam acceptã existit. Iustus, vt pluribus videtur, & naturæ consentaneus, amicusque motus. Certè vel ipsis quietissimis animalibus à natura sic inditus, vt, si lædantur, illico repugnent. Quin hominis dignitati nihil aiunt esse cõuenĩetius, quam statim malum malo dispungere, contra hostire, par pari referre. Nam si lacessaris, tolerare, ac tacitum contumeliam pati, seruilis, inquiunt, ingenij facinus est. Ergo vt quisque est acrior & generosior, eò magis eum hoc stimulo fodicari. Eius qui vir sit; proprium esse vt sit iniurię persequens. Qui hinc nõ acuitur & excitatur, hunc planè esse inertem, eneruem, inultum. Commendant item vltionem vt terminum iræ, lenimen rabiei, principium solatij, & perceptionem interioris cuiusdam voluptatis, quę mirificè abblanditur ei, qui iniuriam accepit. Quippe vltio illa est quæ animo exulcerato securitatem promittit, eumque inducit in cupit[illegible]. Vt nulla res magis cupiditatem incendit, ita nulla magis restinguit, nulla plus satiat. Ea re nulla quoque humano ingenio plus adlubescit, nulla est homini in tota vita iucun[illegible]ior. Dij, inquit ille, me etsi perdunt, tamen esse ad vitam expetunt, cùm, priusquam intereo, spatium vlciscendi dabunt. Statim emoriar, inquit Achilles, si amicum interrẽptum vlcisci nequeo. Accedunt alia atrocioris impietatis præcepta, Iniuriam non vlcisceris, si non eam grauitate vincis. Si primus

facias

facias scelus, modum serua, si reponas, nullum. Alij sic putant, Vix vnquam Deum nocentibus admouere manum, sed homini satis esse, si læsum iuducit in occasionem referiendi, eumque armat facultate vlciscendi. Attilæ vox fuit vltionem esse magnum naturæ munus. Quorumdam tanta est vlciscendi auiditas, & in eo tanta mentis cæcitas, vt, nec quid possint, nec quid non possint præ impotentia videāt, sed & iniurij simul & stulti deprehendebantur, cuiusmodi is, qui mare flagellis cædebat. Sed vt hæc omnia, quæ commemoraui, sint effectus naturæ ab inmani hoc vltionis affectu expugnatæ, adsunt & ipsi boni, qui, quod pertinet ad vltionem, sæpissimè stant in loco hinc lubrico, hinc præcipiti. Quoties noxio sanguine Reipub. parentatur, sed ea vltione gaudere, & quodammodo pasci aiunt. Id quod ferri potest, si nihil hic priuati affectus inseritur, si non suæ quisque veriùs quàm vniuersorum saluti hinc prospectum gaudet, si non eam lætitiæ occasionem nimis auidè arripit. Nihil sanè iustiùs quàm Bessum proditorem Darij tradi Oxatri fratri eius, & captiuos Carthaginenses Reguli liberis in vltionem condonari, & Locrēses vlcisci Dionysium Dionysij filium Siculæ tyrannum, à quo ipsorum virgines cūtumeliosissimè fuerant contrectatę. Talia vltionis genera magis accedunt pœnæ sceleratis hominibus debitæ, quā libidini reponendi iniuriam, quæ solam explet iram vltoris. Ergo diligenter circumspiciendum vt huius vltionis iustæ sint causæ. Has consequatur non referiendi cupiditas, sed puniendi æquitas. Quę ratio vix est apud alium incorrupta quàm apud vnum Deum. Nimirum, in diuina mente omnia iustissimè librantur, in humána vix est vt nō deprauentur. Pœna Neoptolemęa nihil iustius, si Deum respicis, si Orestem Neoptolemi interfectorem, culpā inuenies. Inter clara magis, quàm inter bona exēpla Tamyris est, quàmuis mater filij mortem quodammodo vlciscens, cùm Cyri cadauer intueus dixit, Tu me viua & victrice filium meum dolo captum interemisti. At ego te, vt sum interminata, sanguine satiabo. Omnino sciendum, eam vltionis cupiditatē, qua priuatus quisq; præceps fertur (& quis non est in re sua priuatus?) omni abiecto reip. intuitu, & iustitię respectu, esse cæcam, iniustam, crúdelem. Nempe huic libidini illa omnia conueniunt, quæ iniuriam & contumeliam

meritò iaciuntur, à quibus vltio nulla re differt, nisi ordinẽ ac tempore. Vltio est humana quædam, vt sic loquar, feritas, siue planè in humanus inhumano corpore animus, multum discrepans ab animo sapientis, cuius proprium est, nõ modò non vlcisci iniuriam, sed aut obliuisci, aut ne sentire quidẽ. Valde enim dissentimus ab illis, qui non pauci sũt, quorum hæc est sententia, cuius ad res præclaras viget alacritas, huic ad vlciscendum acritatem non deesse. Cõtra nos dicimus, ad vlciscendum accingi, nihil aliud esse quàm palam facere, penitis sensibus vindictæ dolorem hærere, multum irarum in animo præstrui, altè vulnus adactũ esse, læsum ex opinione iniuriæ acres dolores, & incredibiles cruciatus perferre. Cùm tamen verum sit, virum bonum ab improbo non magis lædi posse, quàm noctilucam latratu canum commoueri, At etiam sapientem tam altè stare, vt sit positus extra omnes ictus lacessentis. Difficile negotiũ. Sed diuinitati, si fas est dicere, nihil similius quàm moderari sibi vbi proprius dolor vltionem suadet. Probi & integri ingenij certissimum documentum est, omnes vltionis occasiones proterere, primas illas punctiunculas, quæ idemtidem recurrunt, retundere; in huius prauissimi affectus locum substituere officia & beneficia, quorũ frequentia qui priùs fuerant immanitate insignes ad humanitatẽ reuocentur. Dic, age, quisquis es, quoties quempiam vlcisceris, quid te facere putas? Scilicet illud ipsum imitaris quod ille in se improbus admisit. Tute scelesto comitẽ addis, & scelus alienum tuo cumulas? Tibi tu licere putas canino modo lacessitũ remordere? nec tantùm lætari alieno malo, sed & illi, quisquis est, malum reddere? Nec enim vltio aliud est quàm mali retributio, index animi exigui, qualis plerunque est fœminarum, & pueritiæ. quandoque & affectę ætatis certè omnium illorum, quos aliena improbitas à recto statu deducere potuit. Perbene est, quod exstant perillustria exempla eorum, qui quamuis in summa facultate vlciscendi, tamen vltionem sua bonitate inferiorem duxerunt. In primis illud putandum, nõ meliùs in quemquam vindicari, quàm si tu sis optimus. Optimi cuiusque indubitabilis nota est, si animi subli mitate iniuriã ita contemnit, vt ne nouerit quidẽ. Hęc animi altitudo vt in paucissimis aduertatur, tunc in Cæsare conspicua fuit, cum

is, ca-

is, captis apud Pharsaliam Pompeij scrinijs epistolarum, itemque apud Taxum Scipionis, illa omnia optima fide côcremauit, nec legere sustinuit. Viri magni & excelsi id quoque potissimùm verentur, ne, etsi iustè facere videri possunt, acerbiores tamen & crudeliores appareant. Hinc imperant sibi & conscientiam & laudem humanitatis vltionis voluptati constanter anteponere. Quid, quod is, qui vltionis cupiditate flagrat, plerunque est insanus? Certè dum illum nescio quem vltum it, sibi ipse sæpe plagas infligit, nec tamen illi quem petit, quicquam nocet. Sæpe quoque eius manus imbecilla leui aliquo ictu inanem iram prodit, vt se spectatoribus deridendam præbet. Nec enim omnibus eadem vis quæ Herculi, qui ictu digiti Architelis filium interemit. Potiùs plures aduerto esse vespas quæ strepunt contra cicadas. Qui est manifestus iudicij defectus eorum, qui serò intelligunt, quàm stultum sit in alium ferri eum, qui sibi priùs non prospexit. Attendi ergo illud debet, An sit is, in quem vltio fertur, vltione dignus. Quippe indecorũ est ab eo pœnas expetere, quem ne respicere quidem nisi in occasione benefaciendi honestũ est. Nobiles ferę ad nullum latratum commouentur. Vt neminem leo limis intuetur, ita excelsus animus nullius conuicia sentit. Nec enim alius conuicium aut contumeliã facit quàm ignobilis, qui sit omni conuicio, omnique contumelia dignus. Turpe generoso est, paribus & animis & armis concurrere cum ignauo. Egregium verò facinus vltio capitis vilis. Talem superare quid habet in se memoratu dignum? Certè hæc victoria tantum abest à laude quãtum laus distat à vituperio. Vt viri generosi quamuis paruæ manus & longè & magna feriunt, ita multorum exiguitas nè leuem quidem validæ manus plagam ferre potest. Quapropter vlciscendi honestissimum genus est, improbum & contumeliosum haud videri dignum ex quo vltio petatur. Atque adeò is acerrimè iniurias vltus est, qui eas aut prudenter dissimulauit, aut opportunè tacuit, aut animosè cõtempsit. Hæc est laus mansuetudinis, cuius nomen & hic & in cœlo venerabile est. Non quòd hic aut ille prouocauit, ideo ipse quoque accingar ad pugnam. Nam hoc quidem planè sit ad alienum arbitrium circumagi. Illa vltio prorsus demens est, quæ pauculos vlciscendo omnium odia pro-

uocat. Vt enim vni alicui contumeliæ factæ voluptatem dempserit, certè non alijs eius imitandę facultatem eripuerit. Apud solertes rerum humanarum prorsus ridicula & irrita est omnis vltio quæ vtrumque non prçstat. Ne multa, Quoties vltionis libido quempiam stimulat, is ante oculos habeat bonitatem Dei, quę quò sæpiùs & grauiùs peccatur, hoc est beneficentior. Non vt vlli, sceleri impunitate aut etiam prçmio fautum velimus, sed vt hoc inuitamēto ex improbis illi qui sanari possunt ad meliora vertantur. Publicam vltionem semper excipio, tum priuatam legibus concessam. Et illam quidem in principe summoue magistratu non solùm summopere commendamus, sed sine eius effectibus Rempub. nullā esse dicimus. Cùm enim iustitia vniuersorum salus contineatur, vt beneficijs & largitate bona facta rependuntur, ita calamitates & supplicia sunt illa prçmia quę iniuriæ debentur & improbitati. Cæterùm quisquis pœnas dat, is futura, id est, meliora discit. Nec vllum, quàm talis vltio maius est Reipub. prçsidiū. Huic ergo perfidi, sacrilegi, perduelles, ruptores pacis, omnes quorū nequitia est insanabilis, vtiliter mactātur. Hinc tot domi pœnæ legibus indictæ, sæpe foris legitima bella suscepta. Quò talis vltioni aculei sunt acriores, hoc Reipub. moderator est vegetior. Hæc est illa cælo ad principes demissa ac tantopere celebrata Nemesis, siue Adrastia bonorum benigna præmiatrix, & impiorum factorum acerrima vltrix. Hanc fecerunt iustitiæ filiam, quæ ex abdita quadam, & mortalibus oculis inaccessa statione, tanquam ex editissima arce, omnia humana despectat. Inde ex hominibus alios in suspenso tenet an puniri debeant, donec resipiscant, alios continuò punit; ac dum puniēdo paucolos emendat, ac tardè puniēdo multos iuuat, & ad sanam mentem reuocat, rempub. in tuto sistit, alios nocti mandat insuperabili, id est, morti æternæ. Huius oculus est vbicunque est aliqua res creata. Certè Oedipus, cùm ei Iocasta incestum suaderet, dixit, sepulchrū patris esse magnū oculum. Habet quoque hæc Dea suos delatores, si non alios, at certè ipsas vmbras quæ quemque suorum scelerum reum faciant. Habet suos tortores & carnifices, hoc est furias quę perpetuò versātur circa pedes impiorū. Huius numinis est quoddam perenne lumen homini inditum, cuius

vi Rei-

vi Reipubl. moderator puniendo & vlciſcendo præuidet quid ſequi,quid vitare debeat. Eos qui caſtigatiùs viuunt, fouet,diuinis monitis reluctantes periculi admonet: comploratos agit præcipites.Iuſtitia ita excludit omnem affectum, vt dum publicas iniurias vltum it,neutiquā eas priuatorum vltioni prætendat. Cauſæ vniuerſorum omnia, priuatis affectionibus nihil condonat; Affectui rationem, vtili honeſtum præfert,omnibus rebus fas commune præponit,præ publica ſecuritate omnia poſtponit. Hinc ſigna & ſtatuæ vltioni ſtatuuntur.Hinc vectigalia,tributa,aliáque onera gentibus indicuntur, nō magis ipſo fructu grata,quàm vltionis dignitate conſpicua.Illa quoque eſt vnicuique priuato haudquaquam impœnitenda vltio,quę legibus eſt permiſſa.Hac enim dempta, hominibus plerunque delicta impune ſint. Hoc nihil aliud eſt quàm legitimum certamen,& præclarus è certamine triumphus, qui agitur autòre iudice.

CAP. XLI.

Fortitudini,iiſque virtutibus quæ ei adhærent,contrarium eſt id vitij cui nomen timor,metus,pauor,formido.



VT audacia ſiue temeritas eſt ſimia fortitudinis, ita timor, metus, pauor, formido huic tantæ virtuti ſunt auerſa. Nos quicquid his vocibus ſignatur metum vocabimus.Metus eſt tabificæ mentis perturbatio, & rationi contraria cautio, quà nihil incautius.Si mauis, Metus eſt opinio impendentis mali quod metuēti videtur intolerabile.Eſt affectus inter ſpem & deſperationem poſitus. Eſt futuræ & fortè imminentis ægritudinis ſollicita expectatio,quam ideo præmoleſtiam vocant,quòd eſt dux conſequentis moleſtiæ. Metus ibi oritur vbi temeritas deficit.Et quoties temeritas ſpe & viribus deſtituitur,commutatur metu.Sic ſolent vitia: ſemper conſiſtunt extremo loco. Metuere dicitur is,cui quòd falſæ rerum ſpecies illudunt,ad quoſlibet inanes ſonos expaueſcit.Metus eſt ipſa imperitia,ſiniſteritas,imbecillitas,

Meticulosus enim est securus earum rerum quas amplecti deberet: & eas fugitat à quibus nihil est periculi. Tam preposterus homo est, vt plerunque incidat in illa ipsa quæ timet. Proprium est vitium τοῦ θυμοειδοῦς eius animæ partis quæ ex iis ęgritudinem concipit quæ mortem præcedunt, cum tamen inter sapientes constet, in ipsa morte nihil esse mali præter huncipsum metum, sicuti præsagitionem vltimorum dolorum. Hunc affectum tam stultum tamque præposterum omnibus imperitis aio esse illud quod Tantalo saxum, Prometheo vultur, & Phineo harpyæ. Nam perpetuò exest eos animos qui stultè nituntur contra decretum ineuitabile, cuius vi omnes abeunt vltimam viam, pede, vt Sophocles ait, immoto. Vt libido est effrænatus impetus qui se extendit in illicita, sic metus est veluti quidam virilitatis recessus, seu fuga, in cuius locum subit ignauia, vitiorum contemptissimum, prauus & inutilis pudor, exanimatio, & functionum mentis quædam perturbatio dementiæ persimilis. Hunc affectum vt pudendum viri fortes detestantur. Potiùs emoriar, inquit Neoptolemus, quàm dicar meticulosus. Non absurdè inuentum est, metum dici quasi motum, ac metuendi vocabulum inde deriuari, quòd mens quodammodo moueatur, scilicet ob aliquod imminens opinabile malum, Quę sanè est quædam carnificina tetra & luctuosa. Semel enim lymphatum cęco pauore animum curæ perpetuò lacerant. Hic vna sibi fingit illa quæ abominatur. Etsi non reuera æger est, tamen rerum malarum perpetua expectatione ægrescit. Meticulosus odit sublimia, vtpote qui inter ima trepidationū versatur, nisi quatenus est intra nubila suarum suspitionum. Nihil clementer, omnia formidabiliter accipit, omnia trahit periculi via Ad vmbram arundinis, quod aiunt, aut vtre conspecto contremit. Quæ vera sunt habet pro falsis. Tuta & potiora deserit, vt inclinet ad incerta, & reuoluatur ad inuta & insomnia. Ipse sibi durus est augurioium interpres. Vbi cunctandum, ibi rapidus fertur, vbi maturandum ardescit. Lætitiæ tam est osor quàm amator mœroris. Vera consilia dum aspernatur, pessimis abstrahitur, & perpetuæ confusioni relinquitur. Dum vana pauet, vera fatetur. Quòd alij est tempus quietis, huic est campus formidinis. Ergo noctu excutitur somno, die latitat. Vix incœpit

cœpit sperare cùm incipit desperare. Si loquitur, titubat, si incedit, vacillat. Vbi nihil opus est, ibi cautus & accuratus catis & cautis deridiculo est. Ab eo qui fit meticulosus, nihil planè est quod quisquam sibi metuat, etsi is strenuè clamat, tinnit, intonat. Tremor animi membra debilitat. Vt canis timidus vehementius latrat quàm mordet. Quam audax ac temerarius est sui prodigus, tam meticulosum habet ἀνανδρία, fœda mollities, quæ illum reddit parcum sui. Vno momento agit ferocem, & se ostendit lepore timidiorem. Pro pectore tranquillo gestat æstuans, pro vultu hilari contractum, & perturbatum. Semper ei cor adsudescit. Immeritis culpas concinnat, eas quarum ipse est autor. Prorsus est exors, immemor, & similis feræ. Et verò formidinem ab agendis in insidias feris nuncupatam volunt. Sic iste à trepidatione in doloris plagas compellitur, propemodùm vt nauis clauda, nullo gubernaculo, nullo remige, nullis armamentis procellarum ludibriis exponitur, & fluctibus hauritur, aut scopulis illiditur. Vt libertas est propria virtutis, ita metus est index seruilis conditionis, nullusque adeò metus non est ipsissima seruitus, cuius catena meticulosus circumdatus incedit. Vt liberum hominem sibi honos & gloria semper asserunt, ita seruus est natus ad perpetuum timorem. Sępe metus est à mala conscientia, quæ mentem labefacit. Is metus improbis Deum ostendit vltorem, ac denique in homine flebiles sui notas imprimit. Nam in vicem veri coloris succedit pallidus, luteus, cadauerosus, qualis est eorum quos conscius animus & Adrastia iam lancinare incipit. Certè isti cùm erubescere non possint, mœsto pallore dehonestantur, cui adest gelidus sudor, qui per membra iam quassata permanat. Is qui metuit totus torpet ac stupet attonito similis, & illi cui omnis constantia excidit. Nec vllus cuiquam paulò grauior metus est sine euidente detrimento valetudinis. Vt ei qui morbo languet, ita vox est metuenti tenuis, tremula, acuta. Meticuloso, vt cui spes omnis est elisa, nulla est proposita laus, nullum decus. Ea re olim vniuerso exercitui, quē nulla probabili causa metus corripuisset, ea supplicij cōditio proposita fuit, quæ militum sortitione peragi solita. In singulis quoq; militibus hic virtuti tam inimicus affectus aliqua singulari pœna semper fuit expiatus, quo-

ties hosti terga data, aut scutum amissum. Protritum prouerbium est, matrem timidi plerunque non flere. Quemdã locum in India captu difficilem, quòd à meticulosis teneretur, Alexander captu facilem pronunciauit. Meticulosis, ait Antiphon, morbus est dies festus. Qui enim in nulla actione versantur, meritò nullum neque malum neque periculum pertimescunt. Ex his liquidò constat, quàm longè hic tam inhonestus animi affectus distet ab illa firmitate, quę fortitudinis propria est. Apud has virtutes omnia sunt certa, solida, ordinata. Apud metum nutantia, trepida, turbida. Hæc ęgritudo tanta est, vt prudentes ita censeant, satius esse carere fruendis, quàm perfundi metu, atque adeò illi satis bene esse aiunt, cuius cor nullo metu inquietatur. Quapropter præpotentes rem se dignam fecerint, si nulli ægritudinis tam funestæ causam præbuerint. Hoc saltem sibi dent, ne illæ pestes, quas metus progignit, in autorem metus recidant. Nam vbi metu coercentur ij quos beneficiis prouocati æquius fuerat, tunc metum audacia pellit, & qui metu continebantur, erumpunt ad manifestum furorem, nec timere desinunt, quin metum odisse incipiant, ex obsequentibus facti inimici. Vnde perspici potest, quàm sit inimicum veritati hoc dictum, metum eum esse qui regna custodit. Nam perdit potiùs & exterminat. Habeat sibi Tullus Hostilius suos Deos Pauorem & Pallorem, his egregiè litet, vel hoc ipso dignus, qui tam sæua numina sibi semper habeat præsentia. Boni principis peculiaris character est, vniuersis omnes metuendi occasiones demere. Sceptrum, vt ait Æschylus, magis sit persuadens quàm cogens. Si rex securè agere cupit, id det operam vt agat inter securos. Sapiēter enim dictum est, metum esse malum custodem diuturnitatis. Certè cùm, vt iam dixi, sit seruitus, homini generoso intolerabile onus est. Cæterùm ipsos prudentes fatemur quãdoque aliquo metu corripi. Sed is metus est earum virtutum effectus, quæ impendentia aduertunt. Tali re homo prudens hactenus timet, vt cauēdo periculum declinet. Is ergo metus nequaquam est perturbatio, sed cautela, quæ si est necessaria, eadem est salutaris, si superflua, quid iacturæ fit cauendo? Sapienter ille Comicus ait, malle se prospicere, quàm, accepta iniuria, alium vlcisci. Quisquis tanta sagacitate & prudentia inquirit in fidē

rerum,

rerum nunquam nesciens proximo periculo circumuenietur. Hic timor vnicuique est suæ infirmitatis quædã veluti conscientia, quę homini perpetuò aurem vellit in hoc, vt rei timendæ appropinquationem vitet. Certè eum ad consilium capessendum vehementer impellit. Nam sub omnem, vt aiunt, lapidem subrepit scorpius. Meritò ergo Aristophanæus ille Chremilus queritur suam prouidentiã vocari formidinem, quæ est rationi contraria cautio. Porrò cùm metus versetur circa ea mala, quæ quoties in aliis aspiciuntur, ea dicitur miseratio, quisquis hoc modo nihil metuit, is est prorsus siue insaniæ, siue stupori, siue improbitati mancipatus, saltem is, quem paulò ante descripsi, audax & temerarius. Vt cautus metus est præclarus prudentiæ fœtus, ita huic alius adest, & quidem pudori & reuerẽtiæ affinis, custos imo autor pietatis, probi & ingenui cuiusque proprius. Hoc est quoddam veluti vehiculum diuini cultus, est initium, est cumulus & perfectio sapiẽtiæ. De hoc dictum est, Timorem hominis esse honorem Dei, & Timorem Dei esse initium sapientiæ. Hunc timorem siue metum alius è vestigio sequitur, nimirum is respectus quo par est, patriam ac parentes esse apud ciues & liberos. Denique fidem facit, quàm sint accensa populi studia erga illum qui est caput rerum. Vbicũque est hic metus, ibi quoque est pudor humanæ honestatis opifex. Quisquis præditus est hoc pudore, huic omnia reipub. munia tutò cõmittas, huic meritò fortitudinem assignes. Nec enim fortitudo est carentia timoris, quæ semper comitem habet ingenuũ quemdam conuicij & infamiæ metum. Nam sæpe conuicio petitur vir fortis, sicuti corpus à cimice, aut sicuti honestas è plaustri effrænata licentia. Hinc quoque tam vtilis támque honestus metus est vinculum linguæ, ne sit vbi minimé opus est, solutior. Hic metus nihil aliud est, quàm veneratio sui ipsius, ac proinde illis cupiditatibus quędam veluti securis, quæ in animo portentosa desideria progenerant, qualia demonstrantur per fabulam miluij. Hæc.n. auis cùm vocem cæteris auibus similẽ haberet, cupiit hinnire. In hoc stulto conatu cùm prorsus vocem amisisset, nedum vt hinnitum edere posset, vtroque excidit, & omnium auium in canendo nouissima fuit. Hunc metum siue timorem seu potiùs pudorem, sicuti ducem ad virtutem,

cùm Cleanthes apertè profiteretur, cuidam à quo carpebatur sicuti meticulosus, respondit, Et ideò parcius pecco. Certè hic metus sicuti homini à natura vtiliter datus, si impensiùs elaboratur, est cos virtutis. Præter illa quæ proximè commemoraui genera metus, cætera omnia improbantur. Quapropter in vitæ consuetudine id seriò agendū vt hic affectus expungatur, nec sit paruus, sed nullus. Nam & paruus metus post se trahit magnum, & in illo primario vitio ponitur, quod sæpe audaciæ, temeritati, desperationi causam dat, etsi temeritas & metus exeunt ad diuersissimos effectus.

Cap. XLII.

Constantiæ similis videri vult obstinatio, quæ tamen est duorum generum. Nam si est peruicacia, virtus est, si pertinacia, vitium.

NOn sola audacia siue temeritas fortitudinem, constantiam, patientiam, magni ac generosi pectoris virtutes imitatur, sed qualiscumq; obfirmatus animus, cui nomen nunc peruicacia nūc pertinacia. Vocabulo peruicaciç signatur perseuerantia rerum bonarum, pertinaciç malarū. Peruicacem, ait quidam, dicis me esse, & vincere, perfacilè patior. Peruicacem nihil moror Hoc fortis sequitur, illam indocti possidēt. Tu addis quod vitio est, demis quod laudatur. Ergo peruicacia est quidā veluti ramus fortitudinis, At pertinacia est motus ignobilis cuiuslibet feræ proprius, eius, quç potest prostratū præmordere, vrgere, conficere. Peruicacia est in bono proposito constantia. Et pertinacia vt plurimū priorem culpā se, id est, altera culpa tuetur. Peruicaciæ honestus est propositus finis. Et peruicax est is, qui susceptç rei præclarç procurationē non deserit, sed cōstanter premit id quod semel instituit, aut in placito cōsilio permanet. Peruicaciam præmia sequūtur. Pertinaciam plerunq; infelicitas excipit. Quāuis pertinacia velit videri ipsissima cōstantia, tamē in ea multa perlucent argumenta quandoq; leuitatis, semper praui-

prauitatis. Sępenumero pertinax id cupidè petit quod paulò ante superbè contempserat, & in ea animi intentione planè iniquus est. Id quod ex eo potissimũ apparet, quod ita est obstinatus, vt nihilominus semper sit dubius & anxius. Atque adeò, quod pessimum est, vix vnquam non aliquod fœdum ferumque facinus in se suósque conciscit. Est enim pertinacia rabida quædã ac vecors audaciæ series, & prorsus obstinatio incõsulta, cuius vt principia sunt praua, ita impetus sunt inefficaces, conatus temetarij, exitus infausti. Pertinacẽ videre est quamlibet ingenio nullo aut agresti & inerudito, tamen inserere se sermonibus, de iis quę nescit, audacter loqui, iurgandi occasionẽ quærere, fieri alicuius autorẽ altercationis, è mensa & conuiuio facere causidicinam, aut arenam. Ibi sua decreta, qualiacumque sunt, tueri, ab ea sentẽtia cui semel adhæsit, quamuis absurda & praua, nulla neque ratione, neque autoritate deduci posse. Quin si conuincitur, validior insurgit rixator, perpugnax, iurgiosus, iniuriosus & contumeliosus. Contra quemcumque manibus, pedibus, clamore enixè perstat, dummodo aduersarium vincere ac deiicere possit. Nec tã è certamine laudem captat quàm alterius contumeliam spectat. Non considerat, tunc tantùm commendari contentionem, cùm veritati eruendæ, innocentiæ propugnandæ, saluti tuendæ, Reipublicę conseruandæ causa suscipitur. Quicquid pręter ista in certamen adducitur, eas esse rixas quæ fœmineam, puerilem, cuiuslibet proletarij ineptiam & prauitatem demonstrant, potissimum si contenditur cum potiori. Tunc enim cantu picæ certant cum lusciniis, & vpupæ cum cycnis. Quid tibi vis, quisquis es, qui cum pare rixaris? Certè non minus ab illo vinci potes, quàm ipse vincere. Iam sciẽs & volens coniicis ipse te in cæca vada & scopulos quos enauigare vix poteris. Si cum inferiori, quid te abiectius? Si cum deteriori, quid dementius? Tu ergo sustines cum eo verbis velitari, quem factis conuincere in tua manu est? Certè quisquis contendit, fit aduersarius, & cum illo à quo prouocatus est, ex æquo constitit, illi vt par componitur, certaminis dignitate illi æquatur. Si accingeris aduersus amicum, quid te immanius? Si litigas cum viro probo, quid te inquinatius? Si cum inquinatissimo, quantum maculæ contrahis, quantum dedecoris hinc concipis? Quid verò

tantum tibi fingis? Quid ita ad singulos motus excādescit? Quid te tandem tam pertinace contentione assequi posse putas? Nimirum vt appareas nequior illo, quem prosternēdum suscepisti. Perrarò enim fit, vt is qui è rixa superior discedit, non sit illo, qui victus est, improbior. Porrò omnis contentio absque ratione suscepta est manus discordię, ministra superbiæ, dissolutio pacis, quietis, & concordiæ tabes. Quod sanè monstrum hinc nititur audacia, hinc impudentia, quibus vitijs vt nihil est nec detestabilius, nec sceleratius, ita quoque nihil est nec diuinitati, nec vniuersæ mortalitati magis execrabile. Figmenta poëtarum vbique docent, propter contentiosam hanc audaciam homines alioqui præclaros à Diis neci datos, vt Eurytum, Tamyrim, Tyresiam, Marsiam, Linum, Argum, filias Eteoclis. Intolerandum hoc genus temeritatis Homerus aspiciendum proposuit sub nomine Athes, quam dixit habere caput in cœlo fixum, cùm tamen pedibus terram contingat. Hæc Ate noctis est filia, id est, tenebrarum, ac proinde lucifuga, & inimica veritati, ipsa disputādi & cōtendendi pertinacia, quæ nequaquā id agit vt erudiatur, sed tantùm eos, quos mutua beneuolentia complecti posset sui persuasione inflatos componat in mutuam perniciem. Hi potissimùm hoc vitio non implicantur, qui priùs cohibent mentem intra septum rationis, & orationem intra gyrum modestiæ, quæ omnia contentionis acumina explodit, vt homini ingenuo parum conuenientia. Viris probis & quietis nunquam mens est in querelis, horum nulla est feruida volūtas, nullum turbulentum propositum, non est hoc genus controuersum, omnibus abstinent linguæ prælijs, Iurgare eos pudet, nedum litigare aut contendere solent. De ea re quæ est ad iudicem, solam legitimam, solam licitam disceptationem putant. Miti ipsorum ingenio nihil volunt esse commune cum istis nescio, quibus perplexis, morosis, molestis litigatoribus & reposconibus, quibus nulla modestia, nulla æquitas, nulla ratio satisfacere potest. Verè strenuus aliquem se potiorem inueniri putat, eruditus eruditiorem veneratur, probus sui similem veretur, minor maiori assurgit. Inter honestioris notæ homines abest omnis velitatio probrorum, omnis contumeliarū obiectio. Sic animum inducunt, omni rixa abstinere, esse quietem suam

suam tueri, eum qui socio concesserit, semper esse & haberi sapientiorem. Hic verò compellandi essent isti, quorum vbique plus est quam; vt ait ille, muscarum, cùm caletur, opiniosissimi homines, qui iamdiu gloria nominis Christiani per nimium abutuntur. Apud hos enim omnia institutis omnia opinionibus ita tenentur, vt, vix quicquam veritati relictum sit, quam nullus horum quærit. Omnes isti religionis cauillatores id agunt vt de aduersario triumphent. Et adhuc miramur, ob rabidas & impias istorum ob religionem altercationes, iam propemodum veritatem prophanari, omnem pietatem abire è conspectu, eoque se cedere vbi homines quietiores reperiat & mansuetiores. Ex hoc vitio quantum prodeat atrocissimorum exemplorum, vtinam prisca tantùm sæcula docerent. Nimirum, hinc sunt concitatissima in vltimam desperationem rabiemque totarum gentium facinora. Hinc multa hominum examina ad perspicuam mortem profecta, potiùs quàm ab ratione suam pertinaciam expugnari sinerent. Hinc mutuæ armatorum conflictiones, hinc voluntarij totorum exercituum concursus, vrbium incendia, extinctiones gentium. Ex his etsi nonnulla secerni possunt veræ & inusitatæ fortitudinis exempla, tamen plura dementiæ quàm constantiæ propiora esse constat. Nam pertinacia ac dementia plerunque vnà agunt. Neque quisquam est pertinax, quin plurima dementiæ signa præ se ferat. E priuata dementia oriuntur publicæ clades.

CAP. XLIII.

Mollitia est vitium oppositum pertinaciæ. Vtriusque vitij effectus exeunt in diuersa.



EFFECTIBUS pertinaciæ plerunque opponuntur illi quos progignit id vitij cui nomen mollitia, nēpe animi. Vt virtutes semper sunt concordes, ita omniū vitiorū est quædā ad omne malū facinus conspiratio quamuis in diuersa tēdentium. Quippe vnita in hominis perniciem validiùs incūbunt, sed diuersa

meritò iaciuntur, à quibus vltio nulla re differt, nisi ordinē ac tempore. Vltio est humana quædam, vt sic loquar, feritas, siue planè in humanus inhumano corpore animus, multum discrepans ab animo sapientis, cuius proprium est, nō modò non vlcisci iniuriam, sed aut obliuisci, aut ne sentire quidē. Valde enim dissentimus ab illis, qui non pauci sūt, quorum hæc est sententia, cuius ad res præclaras viget alacritas, huic ad vlciscendum acritatem non deesse. Cōtra nos dicimus, ad vlciscendum accingi, nihil aliud esse quàm palam facere, penitis sensibus vindictæ dolorem hærere, multum irarum in animo præstrui, altè vulnus adactū esse, læsum ex opinione iniuriæ acres dolores, & incredibiles cruciatus perferre. Cùm tamen verum sit, virum bonum ab improbo non magis lædi posse, quàm noctilucam latratu canum commoueri, At etiam sapientem tam altè stare, vt sit positus extra omnes ictus lacessentis. Difficile negotiū. Sed diuinitati, si fas est dicere, nihil similius quàm moderari sibi vbi proprius dolor vltionem suadet. Probi & integri ingenij certissimum documentum est, omnes vltionis occasiones proterere, primas illas punctiunculas, quæ idemtidem recurrunt, retundere; in huius prauissimi affectus locum substituere officia & benef cia, quorū frequentia qui priùs fuerant immanitate insignes ad humanitatē reuocentur. Dic, age, quisquis es, quoties quempiam vlcisceris, quid te facere putas? Scilicet illud ipsum imitaris quod ille in se improbus admisit. Tute scelesto comitē addis, & scelus alienum tuo cumulas? Tibi tu licere putas canino modo lacessitū remordere? nec tantùm lætari alieno malo, sed & illi, quisquis est, malum reddere? Nec enim vltio aliud est quàm mali retributio, index animi exigui, qualis plerunque est fœminarum, & pueritiæ. quandoque & affectę ætatis certè omnium illorum, quos aliena improbitas à recto statu deducere potuit. Perbene est, quod exstant perillustria exempla eorum, qui quamuis in summa facultate vlciscendi, tamen vltionem sua bonitate inferiorem duxerunt. In primis illud putandum, nō meliùs in quemquam vindicari, quàm si tu sis optimus. Optimi cuiusque indubitabilis nota est, si animi subli mitate iniuriā ita contemnit, vt ne nouerit quidē. Hęc animi altitudo vt in paucissimis aduertatur, tunc in Cæsare conspicua fuit, cum

is, ca-

is,captis apud Pharsaliam Pompeij scrinijs epistolarum, itemque apud Taxum Scipionis,illa omnia optima fide cōcremauit,nec legere sustinuit.Viri magni & excelsi id quoque potissimùm verentur, ne, etsi iustè facere videri possunt,acerbiores tamen & crudeliores appareant. Hinc imperant sibi & conscientiam & laudem humanitatis vltionis voluptati constanter anteponere.Quid,quod is, qui vltionis cupiditate flagrat, plerunque est insanus? Certè dum illum nescio quem vltum it, sibi ipse sæpe plagas infligit,nec tamen illi quem petit, quicquam nocet. Sæpe quoque eius manus imbecilla leui aliquo ictu inanem iram prodit, vt se spectatoribus deridendam præbet. Nec enim omnibus eadem vis quæ Herculi, qui ictu digiti Architelis filium interemit. Potiùs plures aduerto esse vespas quæ strepunt contra cicadas.Qui est manifestus iudicij defectus eorum,qui serò intelligunt, quàm stultum sit in alium ferri eum, qui sibi priùs non prospexit.Attendi ergo illud debet, An sit is, in quem vltio fertur, vltione dignus.Quippe indecorū est ab eo pœnas expetere,quem ne respicere quidem nisi in occasione benefaciendi honestū est.Nobiles ferę ad nullum latratum commouentur.Vt neminem leo limis intuetur,ita excelsus animus nullius conuicia sentit.Nec enim alius conuicium aut contumeliā facit quàm ignobilis,qui sit omni conuicio,omnique contumelia dignus.Turpe generoso est, paribus & animis & armis concurrere cum ignauo. Egregium verò facinus vlto capitis vilis. Talem superare quid habet in se memoratu dignum?Certe hæc victoria tantum abest à laude quātum laus distat à vituperio.Vt viri generosi quamuis paruæ manus & longè & magna feriunt,ita multorum exiguitas ne leuem quidem validæ manus plagam ferre potest.Quapropter vlciscendi honestissimum genus est, improbum & contumeliosum haud videri dignum ex quo vltio petatur. Atque adeò is acerrimè iniurias vltus est, qui eas aut prudenter dissimulauit,aut opportunè tacuit, aut animosè cōtempsit.Hæc est laus mansuetudinis,cuius nomen & hìc & in cœlo venerabile est. Non quòd hic aut ille prouocauit, ideo ipse quoque accingar ad pugnam. Nam hoc quidem planè sit ad alienum arbitrium circumagi.Illa vltio prorsus demens est, quæ pauculos vlciscendo omnium odia pro-

uocat. Vt enim vni alicui contumeliæ factæ voluptatem dempserit, certè non alijs eius imitandę facultatem eripuerit. Apud solertes rerum humanarum prorsus ridicula & irrita est omnis vltio quæ vtrumque non pręstat. Ne multa, Quoties vltionis libido quempiam stimulat, is ante oculos habeat bonitatem Dei, quę quò sæpiùs & grauiùs peccatur, hoc est beneficentior. Non vt vlli, sceleri impunitate aut etiam pręmio fautum velimus, sed vt hoc inuitamēto ex improbis illi qui sanari possunt ad meliora vertantur. Publicam vltionem semper excipio, tum priuatam legibus concessam. Et illam quidem in principe summoue magistratu non solùm summopere commendamus, sed sine eius effectibus Rempub. nullã esse dicimus. Cùm enim iustitia vniuersorum salus contineatur, vt beneficijs & largitate bona facta rependuntur, ita calamitates & supplicia sunt illa pręmia quę iniuriæ debentur & improbitati. Cæterùm quisquis pœnas dat, is futura, id est, meliora discit. Nec vllum, quàm talis vltio maius est Reipub. pręsidiū. Huic ergo perfidi, sacrilegi, perduelles, ruptores pacis, omnes quorū nequitia est insanabilis, vtiliter mactãtur. Hinc tot domi pœnæ legibus indictæ, sæpe foris legitima bella suscepta. Quò talis vltioni aculei sunt acriores, hoc Reipub. moderator est vegetior. Hæc est illa cælo ad principes demissa ac tantopere celebrata Nemesis, siue Adrastia bonorum benigna præmiatrix, & impiorum factorum acerrima vltrix. Hanc fecerunt iustitiæ filiam, quæ ex abdita quadam, & mortalibus oculis inaccessa statione, tanquam ex editissima arce, omnia humana despectat. Inde ex hominibus alios in suspenso tenet an puniri debeant, donec resipiscant, alios continuò punit; ac dum puniēdo pauculos emendat, ac tardè puniēdo multos iuuat, & ad sanam mentem reuocat, rempub. in tuto sistit, alios nocti mandat insuperabili, id est, morti æternæ. Huius oculus est vbicunque est aliqua res creata. Certè Oedipus, cùm ei Iocasta incestum suaderet, dixit, sepulchrū patris esse magnū oculum. Habet quoque hæc Dea suos delatores, si non alios, at certè ipsas vmbras quæ quemque suorum scelerum reum faciant. Habet suos tortores & carnifices, hoc est furias quę perpetuò versãtur circa pedes impiorū. Huius numinis est quoddam perenne lumen homini inditum, cuius vi Rei-

vi Reipubl. moderator puniendo & vlciscendo præuidet quid sequi, quid vitare debeat. Eos qui castigatiùs viuunt, fouet, diuinis monitis reluctantes periculi admonet: comploratos agit præcipites. Iustitia ita excludit omnem affectum, vt dum publicas iniurias vltum it, neutiquā eas priuatorum vltioni prætendat. Causæ vniuersorum omnia, priuatis affectionibus nihil condonat; Affectui rationem, vtili honestum præfert, omnibus rebus fas commune præponit, præ publica securitate omnia postponit. Hinc signa & statuæ vltioni statuuntur. Hinc vectigalia, tributa, aliáque onera gentibus indicuntur, nō magis ipso fructu grata, quàm vltionis dignitate conspicua. Illa quoque est vnicuique priuato haudquaquàm impœnitenda vltio, quę legibus est permissa. Hac enim dempta, hominibus plerunque delicta impune sint. Hoc nihil aliud est quàm legitimum certamen, & præclarus è certamine triumphus, qui agitur autôre iudice.

CAP. XLI.

Fortitudini, iisque virtutibus quæ ei adhærent, contrarium est id vitij cui nomen timor, metus, pauor, formido.



T audacia siue temeritas est simia fortitudinis, ita timor, metus, pauor, formido huic tantæ virtuti sunt auersa. Nos quicquid his vocibus signatur metum vocabimus. Metus est tabificæ mentis perturbatio, & rationi contraria cautio, qua nihil incautius. Si mauis, Metus est opinio impendentis mali quod metuēti videtur intolerabile. Est affectus inter spem & desperationem positus. Est futuræ & fortè imminentis ægritudinis sollicita expectatio, quam ideo præmolestiam vocant, quòd est dux consequentis molestiæ. Metus ibi oritur vbi temeritas deficit. Et quoties temeritas spe & viribus destituitur, commutatur metu. Sic solent vitia: semper consistunt extremo loco. Metuere dicitur is, cui quòd falsæ rerum species illudunt, ad quoslibet inanes sonos expauescit. Metus est ipsa imperitia, sinisteritas, imbecillitas,

Meticulosus enim est securus earum rerum quas amplecti deberet: & eas fugitat à quibus nihil est periculi. Tam præposterus homo est, vt plerunque incidat in illa ipsa quæ timet. Proprium est vitium τῶ θυμοειδοῦς eius animæ partis quæ ex iis ęgritudinem concipit quæ mortem præcedunt, cùm tamen inter sapientes constet, in ipsa morte nihil esse mali præter hunc ipsum metum, sicuti præsagitionem vltimorum dolorum. Hunc affectum tam stultum tamque præposterum omnibus imperitis aio esse illud quod Tantalo saxum, Prometheo vultur, & Phineo harpyæ. Nam perpetuò exest eos animos qui stultè nituntur contra decretum ineuitabile, cuius vi omnes abeunt vltimam viam, pede, vt Sophocles ait, immérito. Vt libido est effrænatus impetus qui se extendit in illicita, sic metus est veluti quidam virilitatis recessus, seu fuga, in cuius locum subit ignauia, vitiorum contemptissimum, prauus & inutilis pudor, exanimatio, & functionum mentis quædam perturbatio dementiæ persimilis. Hunc affectum vt pudendum viri fortes detestantur. Potiùs emoriar, inquit Neoptolemus, quàm dicar meticulosus. Non absurdè inuentum est, metum dici quasi motum, ac metuendi vocabulum inde deriuari, quòd mens quodammodo moueatur, scilicet ob aliquod imminens opinabile malum. Quę sanè est quædam carnificina tetra & luctuosa. Semel enim lymphatum cęco pauore animum curæ perpetuò lacerant. Hic vna sibi fingit illa quæ abominatur. Etsi non reuera æger est, tamen rerum malarum perpetua expectatione ægrescit. Meticulosus odit sublimia, vtpote qui inter ima trepidationũ versatur, nisi quatenus est intra nubila suarum suspitionum. Nihil clementer, omnia formidabiliter accipit, omnia trahit peiori via. Ad vmbram arundinis, quod aiunt, aut vtre conspecto, contremit. Quæ vera sunt habet pro falsis. Tuta & potiora deserit, vt inclinet ad incerta, & reuoluatur ad inuta & inania. Ipse sibi durus est augurriorum interpres. Vbi cunctandum, ibi rapidus ferrur, vbi maturandum ardescit. Lætitiæ tam est osor quàm amator mœroris. Vera consilia dum aspernatur, pessimis abstrahitur, & perpetuæ confusioni relinquitur. Dum vana pauet, vera fatetur. Quòd alij est tempus quietis, huic est campus formidinis. Ergo noctu excutitur somno, die latitat. Vix incœpit

cœpit ſperare cùm incipit deſperare. Si loquitur, titubat, ſi incedit, vacillat. Vbi nihil opus eſt, ibi cautus & accuratus catis & cautis deridiculo eſt. Ab eo qui ſit meticuloſus, nihil planè eſt quod quiſquam ſibi metuat, etſi is ſtrenuè clamat, tinnit, intonat. Tremor animi membra debilitat. Vt canis timidus vehementiùs latrat quàm mordet. Quam audax ac temerarius eſt ſui prodigus, tam meticuloſum habet ἀνανδρία, fœda mollities, quæ illum reddit parcum ſui. Vno momento agit ferocem, & ſe oſtendit lepore timidiorem. Pro pectore tranquillo geſtat æſtuans, pro vultu hilari contractum, & perturbatum. Semper ei cor adſudeſcit. Immeritis culpas concinnat, eas quarum ipſe eſt autor. Prorſus eſt exors, immemor, & ſimilis feræ. Et verò formidinem ab agendis in inſidias feris nuncupatam volunt. Sic iſte à trepidatione in doloris plagas compellitur, propemodùm vt nauis clauda, nullo gubernaculo, nullo remige, nullis armamentis procellarum ludibriis exponitur, & fluctibus hauritur, aut ſcopulis illiditur. Vt libertas eſt propria virtutis, ita metus eſt index ſeruilis conditionis, nullúſque adeò metus non eſt ipſiſſima ſeruitus, cuius catena meticuloſus circumdatus incedit. Vt liberum hominem ſibi honos & gloria ſemper aſſerunt, ita ſeruus eſt natus ad perpetuum timorem. Sępe metus eſt à mala conſcientia, quæ mentem labefacit. Is metus improbis Deum oſtendit vltorem, ac denique in homine flebiles ſui notas imprimit. Nam in vicem veri coloris ſuccedit pallidus, luteus, cadaueroſus, qualis eſt eorum quos conſcius animus & Adraſtia iam lancinare incipit. Certè iſti cùm erubeſcere non poſſint, mœſto pallore dehoneſtantur, cui adeſt gelidus ſudor, qui per membra iam quaſſata permanat. Is qui metuit totus torpet ac ſtupet attonito ſimilis, & illi cui omnis conſtantia excidit. Nec vllus cuiquam paulò grauior metus eſt ſine euidente detrimento valetudinis. Vt ei qui morbo languet, ita vox eſt metuenti tenuis, tremula, acuta. Meticuloſo, vt cui ſpes omnis eſt eliſa, nulla eſt propoſita laus, nullum decus. Ea re olim vniuerſo exercitui, quē nulla probabili cauſa metus corripuiſſet, ea ſupplicij cōditio propoſita fuit, quæ militum ſortitione peragi ſolita. In ſingulis quoq; militibus hic virtuti tam inimicus affectus aliqua ſingulari pœna ſemper fuit expiatus, quo-

ries hosti terga data, aut scutum amissum. Protritum prouerbium est, matrem timidi plerunque non flere. Quemdã locum in India captu difficilem, quòd à meticulosis teneretur, Alexander captu facilem pronunciauit. Meticulosis, ait Antiphon, morbus est dies festus. Qui enim in nulla actione versantur, meritò nullum neque malum neque periculum pertimescunt. Ex his liquidò constat, quàm longè hic tam inhonestus animi affectus distet ab illa firmitate, quę fortitudinis propria est. Apud has virtutes omnia sunt certa, solida, ordinata. Apud metum nutantia, trepida, turbida. Hæc ęgritudo tanta est, vt prudentes ita censeant, satius esse carere fruendis, quàm perfundi metu, atque adeò illi satis bene esse aiunt, cuius cor nullo metu inquietatur. Quapropter præpotentes rem se dignam fecerint, si nulli ægritudinis tam funestæ causam præbuerint. Hoc saltem sibi dent, ne illæ pestes, quas metus progignit, in autorem metus recidant. Nam vbi metu coercentur ij quos beneficiis prouocari æquius fuerat, tunc metum audacia pellit, & qui metu continebantur, erumpunt ad manifestum furorem, nec timere desinunt, quin metum odisse incipiant, ex obsequentibus facti inimici. Vnde perspici potest, quàm sit inimicum veritati hoc dictum, metum eum esse qui regna custodit. Nam perdit potiùs & exterminat. Habeat sibi Tullus Hostilius suos Deos Pauorem & Pallorem, his egregiè litet, vel hoc ipso dignus, qui tam sæua numina sibi semper habeat præsentia. Boni principis peculiaris character est, vniuersis omnes metuendi occasiones demere. Sceptrum, vt ait Æschylus, magis fit persuadens quàm cogens. Si rex securè agere cupit, id det operam vt agat inter securos. Sapiẽter enim dictum est, metum esse malum custodem diuturnitatis. Certè cùm, vt iam dixi, sit seruitus, homini generoso intolerabile onus est. Cæterùm ipsos prudentes fatemur quãdoque aliquo metu corripi. Sed is metus est earum virtutum effectus, quæ impendentia aduertunt. Tali re homo prudens hactenus timet, vt cauẽdo periculum declinet. Is ergo metus nequaquam est perturbatio, sed cautela, quæ si est necessaria, eâdem est salutaris, si superflua, quid iacturæ sit cauendo? Sapienter ille Comicus ait, malle se prospicere, quàm, accepta iniuria, alium vlcisci. Quisquis tanta sagacitate & prudentia inquirit in fidẽ

rerum,

rerum nunquam nesciens proximo periculo circumuenietur. Hic timor vnicuique est suæ infirmitatis quædã veluti conscientia, quę homini perpetuò aurem vellit in hoc, vt rei timendæ appropinquationem vitet. Certè eum ad consilium capessendum vehementer impellit. Nam sub omnem, vt aiunt, lapidem subrepit scorpius. Meritò ergo Aristophanæus ille Chremilus queritur suam prouidentiã vocari formidinem, quæ est rationi contraria cautio. Porrò cùm metus versetur circa ea mala, quæ quoties in aliis aspiciuntur, ea dicitur miseratio, quisquis hoc modo nihil metuit, is est prorsus siue insaniæ, siue stupori, siue improbitati mancipatus, saltem is, quem paulò ante descripsi, audax & temerarius. Vt cautus metus est præclarus prudentiæ fœtus, ita huic alius adest, & quidem pudori & reuerẽtiæ affinis, custos imo autor pietatis, probi & ingenui cuiusque proprius. Hoc est quoddam veluti vehiculum diuini cultus, est initium, est cumulus & perfectio sapiẽtiæ. De hoc dictum est, Timorem hominis esse honorem Dei, & Timorem Dei esse initium sapientiæ. Hunc timorem siue metum alius è vestigio sequitur, nimirum is respectus quo par est, patriam ac parentes esse apud ciues & liberos. Denique fidem facit, quàm sint accensa populi studia erga illum qui est caput rerum. Vbicũque est hic metus, ibi quoque est pudor humanæ honestatis opifex. Quisquis præditus est hoc pudore, huic omnia reipub. munia tutò cõmittas, huic meritò fortitudinem assignes. Nec enim fortitudo est carentia timoris, quæ semper comitem habet ingenuũ quemdam conuicij & infamiæ metum. Nam sæpe conuicio petitur vir fortis, sicuti corpus à cimice, aut sicuti honestas è plaustri effrænata licentia. Hinc quoque tam vtilis támque honestus metus est vinculum linguæ, ne sit vbi minimé opus est, solutior. Hic metus nihil aliud est, quàm veneratio sui ipsius, ac proinde illis cupiditatibus quędam veluti securis, quæ in animo portentosa desideria progenerant, qualia demonstrantur per fabulam miluij. Hæc.n. auis cùm vocem cæteris auibus similẽ haberet, cupiit hinnire. In hoc stulto conatu cùm prorsus vocem amisisset, nedum vt hinnitum edere posset, vtroque excidit, & omnium auium in canendo nouissima fuit. Hunc metum siue timorem seu potiùs pudorem, sicuti ducem ad virtutem,

cùm Cleanthes apertè profiteretur, cuidam à quo carpebatur sicuti meticulosus, respondit, Et ideò parcius pecco. Certè hic metus sicuti homini à natura vtiliter datus, si impensiùs elaboratur, est cos virtutis. Præter illa quæ proximè commemoraui genera metus, cætera omnia improbantur. Quapropter in vitæ consuetudine id seriò agendũ vt hic affectus expungatur, nec sit paruus, sed nullus. Nam & paruus metus post se trahit magnum, & in illo primario vitio ponitur, quod sæpe audaciæ, temeritati, desperationi causam dat, etsi temeritas & metus exeunt ad diuersissimos effectus.

Cap. XLII.

Constantiæ similis videri vult obstinatio, quæ tamen est duorum generum. Nam si est peruicacia, virtus est, si pertinacia, vitium.



NOn sola audacia siue temeritas fortitudinem, constantiam, patientiam, magni ac generosi pectoris virtutes imitatur, sed qualiscumq; obfirmatus animus, cui nomen nunc peruicacia nũc pertinacia. Vocabulo peruicacię signatur perseuerantia rerum bonarum, pertinacię malarũ. Peruicacem, ait quidam, dicis me esse, & vincere, perfacilè patior. Peruicacem nihil motor Hoc fortis sequitur, illam indocti possidet. Tu addis quod vitio est, demis quod laudatur. Ergo peruicacia est quidã veluti ramus fortitudinis, At pertinacia est motus ignobilis cuiuslibet feræ proprius, eius, quę potest prostratũ præmordere, vrgere, conficere. Peruicacia est in bono proposito constantia. Et pertinacia vt plurimũ priorem culpã se, id est, altera culpa tuetur. Peruicaciæ honestus est propositus finis. Et peruicax est is, qui susceptę rei præclarę procurationẽ non deserit, sed cõstanter premit id quod semel instituit, aut in placito cõsilio permanet. Peruicaciam præmia sequũtur. Pertinaciam plerunq; infelicitas excipit. Quãuis pertinacia velit videri ipsissima cõstantia, tamẽ in ea multa perlucent argumenta quandoq; leuitatis, semper praui-

prauitatis. Sępenumero pertinax id cupidè petit quod paulò ante superbè contempserat, & in ea animi intentione planè iniquus est. Id quod ex eo potissimũ apparet, quod ita est obstinatus, vt nihilominus semper sit dubius & anxius. Atque adeò, quod pessimum est, vix vnquam non aliquod fœdum ferumque facinus in se suosque consciscit. Est enim pertinacia rabida quædã ac vecors audaciæ series, & prorsus obstinatio incõsulta, cuius vt principia sunt praua, ita impetus sunt inefficaces, conatus temerarij, exitus infausti. Pertinacẽ videre est quamlibet ingenio nullo aut agresti & inerudito, tamen inserere se sermonibus, de iis quę nescit, audacter loqui, iurgandi occasionẽ quærere, fieri alicuius autorẽ altercationis, è mensa & conuiuio facere caussidicinam, aut arenam. Ibi sua decreta, qualiacumque sunt, tueri, ab ea sentẽtia cui semel adhæsit, quamuis absurda & praua, nulla neque ratione, neque autoritate deduci posse. Quin si conuincitur, validior insurgit rixator, perpugnax, iurgiosus, iniuriosus & contumeliosus. Contra quemcumque manibus, pedibus, clamore enixè perstat, dummodo aduersarium vincere ac deiicere possit. Nec tã è certamine laudem captat quàm alterius contumeliam spectat. Non considerat, tunc tantùm commendari contentionem, cùm veritati eruendæ, innocentiæ propugnandæ, saluti tuendæ. Reipublicę conseruandæ caussa suscipitur. Quicquid pręter ista in certamen adducitur, eas esse rixas quæ fœmineam, puerilem, cuiuslibet proletarij ineptiam & prauitatem demonstrant, potissimum si contenditur cum potiori. Tunc enim cantu picæ certant cum lusciniis, & vpupæ cum cycnis. Quid tibi vis, quisquis es, qui cum pare rixaris? Certè non minus ab illo vinci potes, quàm ipse vincere. Iam sciẽs & volens coniicis ipse te in cæca vada & scopulos quos enauigare vix poteris. Si cum inferiori, quid te abiectius? Si cum deteriori, quid dementius? Tu ergo sustines cum eo verbis velitari, quem factis conuincere in tua manu est? Certè quisquis contendit, fit aduersarius, & cum illo à quo prouocatus est, ex æquo constitit, illi vt par componitur, certaminis dignitate illi æquatur. Si accingeris aduersus amicum, quid te immanius? Si litigas cum viro probo, quid te inquinatius? Si cum inquinatissimo, quantum maculæ contrahis, quantum dedecoris hinc concipis? Quid verò

ſuam tueri, eum qui ſocio conceſſerit, ſemper eſſe & haberi ſapientiorem. Hic verò compellandi eſſent iſti, quorum vbique plus eſt quam, vt ait ille, muſcarum, cùm caletur, opinioſiſſimi homines, qui iamdiu gloria nominis Christiani per nimium abutuntur. Apud hos enim omnia inſtitutis, omnia opinionibus ita tenentur, vt, vix quicquam veritati relictum ſit, quam nullus horum quærit. Omnes iſti religionis cauillatores id agunt vt de aduerſario triumphent. Et adhuc miramur, ob rabidas & impias iſtorum ob religionem altercationes, iam propemodum veritatem prophanari, omnem pietatem abire è conſpectu, eoque ſe cedere vbi homines quietiores reperiat & manſuetiores. Ex hoc vitio quantum prodeat atrociſſimorum exemplorum, vtinam priſca tantùm ſæcula docerent. Nimirum, hinc ſunt concitatiſſima in vltimam deſperationem rabiemque totarum gentium facinora. Hinc multa hominum examina ad perſpicuam mortem profecta, potiùs quàm ab ratione ſuam pertinaciam expugnari ſinerent. Hinc mutuæ armatorum conflictiones, hinc voluntarij totorum exercituum concurſus, vrbium incendia, extinctiones gentium. Ex his etſi nonnulla ſeceri poſſunt veræ & inuſitatæ fortitudinis exempla, tamen plura dementiæ quàm conſtantiæ propiora eſſe conſtat. Nam pertinacia ac dementia plerunque vnà agunt. Neque quiſquam eſt pertinax, quin plurima dementiæ ſigna præ ſe ferat. E priuata dementia oriuntur publicæ clades.

CAP. XLIII.

Mollitia eſt vitium oppoſitum pertinaciæ. Vtriuſque vitij effectus exeunt in diuerſa.



AFFECTIBVS pertinaciæ plerunque opponuntur illi quos progignit id vitij cui nomen mollitia, nẽpe animi. Vt virtutes ſemper ſunt concordes, ita omniũ vitiorũ eſt quædã ad omne malũ facinus conſpiratio quamuis in diuerſa tẽdentium. Quippe vnita in hominis perniciem validiùs incũbunt, ſed diuerſa

ratione. Id vt in omnibus vitiis facilè aduerti possit, certè in audacia & pertinacia perspicuè palam est. Vt enim vtraque est expertecta, nullumque neque laborem neque duritiem reformidat, ita ratione contraria is, quem dixi, metus, & illa quæ metum è vestigio sequitur, mollities, siue euiratio, siue animus eneruis curam, vigilantiam, laborem aspernatur. Mollitia est habitus animi fugitans eorum laborum, quibus maxima pars hominū defungi consueuit. Si mauis, Mollities est quoddam impotentiæ genus diuersum ab incōtinentia, subseruiens illis omnibus, quę animo deprauato vt iucunda obseruantur. Qui vt, quò destinarūt, perueniant, omnes difficultates transcendunt, quātumq; est impedimentorum disiiciunt, hos tolerantes dicimus. Contra, laborum etiam leuissimorum intolerantes vocamus eneruès, delicatos, molles. Quamlibet valentes & robustos, cēsemus inter ægrotos & imbecilles, quod istos voluntaria quadam animi inductione imitari non erubescunt. Nihil enim viriliter, omnia putidè agunt. Horum gestus, incessus, sermo sunt infra decus ac dignitatem humanæ maiestatis. Quibus rebus ipsi natu grandes, maiorem potestatem adepti, opulentiores haud segniter manus admouere solent, hæ istis sæpe sunt graues, sæpius intolerabiles, ne illis quidem exceptis quæ necessitas & quotidiana vitæ subsidia postulant. Sustollere pallium, si fortè ambulanti deciderit, aut fibulam, si laxata fuerit, connectere, eum verò laborem putant. Quò res vocat extendere brachia, aut manus porrigere grauantur, ne hinc, scilicet, defatigentur. Tam emasculatus fuit Sagaris ille nescio quis Maryandinus, qui vsque ad senectutem vltra vmbilicum nunquam manus protulisse dicitur. Si è sede surgunt, si tamen est ambulandum, vah, quàm grauatè, quàm testudineo gradu, quàm genio veluti repugnante tandem prodeunt. Si extra tecta eundum, vel leuissimæ auræ vix audent faciem committere, ne hinc contrahatur, ne hinc ipsis oculi turgiduli fiant. Eadem de causa Iouem seu vespertinum seu nocturnum ne per vitrum quidem aspiciunt. Laboris vsque eò sunt intolerantes, vt alieno viso, aut etiam leuiter audito, statim eos lassitudo corripiat, prorsus vt nouum aliquem è Sybari Smindyridem cui stratum rosarum duplicatarum durum fuit. Quippe expergefactus dixit,

sibi

ſibi è nimia lecti duritiè inflictas poſtulas. Væ tibi homo murcide, tuique ſimilibus, qui hodieque nimium frequentes ambulant in foro & per plateas paratragœdiant. Ille ipſe, fortè conſpecto homine fodiente, altiuſque raſtrum alleuante, laſſari ſe, ſibique eo viſu ruptam fibram queſtus, vetuit illum opus in conſpectu ſuo facere. Vt indignus memoratu prætereundus potius eſſet ille, quem dixi, Maryandinus, infame nomen, qui toto vitæ ſpatio paſſus eſt, ſibi ab nutrice, vt infanti, præmanſum cibum in os indi, ne, ſcilicet, ipſe mandendo nimium laboris ſumeret. Planè dignus qui Sybari natus & eductus eſſet, quod fuit domicilium nebulonum, eneruium, impudicorum. Nec mirum ſi ex illa hara verius quam vrbe, eæ artes fuerunt exulare iuſſæ, quæ cum ſtrepitu exercentur, quales illæ, quæ ferrum aut æs ſuper incudibus verſant, quæ aliis metallis flectendis, contundendis, formandis occupantur, nimirum, ne hinc cuiquam ſomnus interpellaretur. Atque adeò illam ipſam ob cauſam ne gallos quidem apud ſe eſſe illa hominum propudia paſſa ſunt, ne quiſquam gallicіniis ad antelucana opera excitaretur. Vſque eò iſtis omnes virilitatis nerui eliſi erant, vſque eò turpitudine vitæ fracti, voluptatum vſu & abundantia remolliti, corruptiſſimis moribus imbuti, ipſi virtuti, iiſque omnibus quæ ad virtutem ducunt, illudere non ſunt veriti. ô ſectam cuiratam! ô homines liqueſcentes! ô animos iacentes! ô frontes impudentes! Hæc dedecora Deus inſigniuit quibuſdam notis, vt vel ipſo habitu corporis ab cæteris dignoſci poſſint. Quippe ſupercilia iſtis in rectum porriguntur, vox eſt infracta & effœminata. Accedit capillus arte compoſitus, coma ſtructa, oculi natantes, circa corporis curam continua quædam moroſitas. Potiſſimum hodiernæ grandes & incedentes pupæ fictum nitorem, & cunctum ruborem in genas & in labra contractum oſtentant. Faciem idemtidē ſcrutantur in ſpeculo. Ad ſpeculi præſcriptum intuitum, geſtum, ſe totas elaborant, ſe totas componunt ad eam ſpeciem qua ſe Veneri componere audeant. Vnà cum ſpeculo perpetuò geſtant acum, nempe comæ diſtinguendæ diſcerniculum, conſpergunt caput puluere odorato, ad colorem ementiendum inficiunt ſe purpuriſſo, Iuuentus eſt

puluis dentibus eliminandis, ferrum bisulcum pilis vellẽdis,aliud rotundius vnguibus repastinandis. Alienam manum identidem adhibent collo sibi demulcendo,auribus forandis, vt hæ quoque gestent sua onera, vt,scilicet, fenestratæ & annulatæ spectentur in publico. Alia artificia,eaque innumerabilia eò pertinent, vt eis totum corpus sit vulsum & glabrum,& amatori placens, Simili peruersitate discunt incessum fractum & perfluum, vt otiosiùs spectentur,ac ne sub veste leui,serica & pellucida non satis denudent membra sua. Adolescentes & valida ætate homines tam in publico quàm in priuato, pudet aspicere vnguentatos,& pumicatos,superciliis aut rasis aut depilatis,barba nunc acuminata, nunc in rotundatam quadratámve formam scrupulosè recisa. Omnes istos verè dicas è Salmace fonte multùm bibisse. Harum quoque deliciarum copiam iam sic fastidiunt, vt eæ quotidie varientur, viris quidem illa quibus fidem faciant se esse suæ virilitatis perfugas, fœminis suus mundus testis locupletissimus animi immũdi. Isti quoque an esuriant, an sitiant, vix per se scire possent. Consulendi sunt scitamentorum proceres, hodierni Apicij, Petronij.alij μαλακοκόλακες, ad fouendam mollitiem palpatores,& voluptatum prægustatores, Persicarum delitiarum reductores. Parum abest quin columbas,aliásque aues, sibi subseruire doceant, quales fuerunt illæ, quæ regibus luxuriosis epulantibus frequente volatu aliquando ventum fecerunt. Magna mihi copia esset memorandi hodiernos Ninos,hodiernos semiuiros,quorum quisque,vt si sit mas & fœmina,quales esse turdos ac merulas perhibẽt, aut potiùs sexum mutarit, non vt quidam è fœmina in masculum, sed vt alter Ceneus, è masculo in fœminam,in mulierum cœtu consenescunt,quolibet spadone euiratiores,quouis cynædo fœdiores. Enimuerò in animis tã corruptis non modò vlla fortitudo, sed ne falsa quidem vlla fortitudinis species habitare potest. Nec sanè mirum istos, siquid fortè ingruit periculi,semper paratos esse vel fœdissima seruitute vitam redimere. Denique tam fœda voluptati mancipia omnes virtutes auersantur. Falsò hìc prisca gens Atheniensium ab istis exemplo sumitur. Fatemur eos plerunque egisse purpuratos, cirratos,cincinnatos. Non nescimus, cincinnis implicasse cicadas aureas; ac sedibus

sedisse

sedisse plicatilibus, quæ eos quocunque irent, sequebantur. Sed eosdem quoque scimus per hæc non prorsus extinxisse illud animi robur, cuius ope patrantur ingentia. Cui rei argumento fuit prælium Marathonium, è quo victores discesserunt. Tunc enim dici potest, ceruos militasse sub Miltiade leone. Tanti enim dux est, vt sæpe in ipso plus reponatur quàm in vniuerso exercitu. Quapropter nihil vetat, Achillem cithara otium oblectare, dummodo illæ non sint ipsi adstrictæ compedes, quæ virum fortem impediant, quominus in hostem feratur. Voluptates licito modo vsurpare, est eius qui, re exigente, quosuis labores perferre, & omnibus sese periculis offerre potest.

CAP. XLIV.

Superiores virtutes nullo interuallo sequitur grauitas, cui planè dissimilis est animi acerbitas siue morositas, vitia contraria lenitati, facilitati, comitati.



FORTITVDINI, constantiæ, patientię proxima grauitas est, qua virtute omnis humana maiestas repræsentarur. Grauitas est interior lux animi, quæ vt totum hominem veneratione circumfundat, suos radios eiectat in exteriora & mores. Hinc homo grauis, id est is, quem & formæ dignitas, & morum sanctitas in omni actione reddit augustum & venerabilem. Certè illa reuerenda species grauitatis ita est externum hominis bonum, & oculis expositum, vt priùs altas in præcordiis radices agat. Vt nulla est nisi à bonitate maiestas, ita nulla est sine morum sanctitate grauitas. Sola sanctitas præstat eum quem vocamus hominem grauem, hoc est, nobile omnium virtutum exemplar. Grauitas inter homines est quædam veluti lex aut regula vitæ. Quem constantia & lux morum ita roborarunt, vt eum nulla lasciuia resoluat, is sanctissimo grauitatis insigni cōspicuus incedit. Is neque est toruus, neque durus, non inter æquales tumidus, inter minores elatus. Nusquam aspi-

citur luxurians, aut lasciuiens, nec turbatus nec exultans. In facie, in cultu, in tota persona circumfert insignia eius virtutis, quæ est magistra pudoris & probitatis. Homo grauis nequaquam suum decus collocat in magnitudine opum & potentiæ, non in vestium splendore, non in vllo accurato & specioso corporis cultu, non in vllis cassæ felicitatis documentis. Castitatem morum intimè sibi præsidium, extimè ornamentum assumit. Hæc est illa prætexta, quam nulla artifex manus neuit, texuit aut nexuit, sed ipsa hominum rerúmque regina virtus. Hæc vbi ex animo perturbationes eiecit, vbi homine tranquillato, solidam ei perpetuámque securitatem confecit, tunc denique in ipso diuina illa dos efflorescit, cui nomen decorum. Decorum non est quidpiam sola populari fama gloriosum, sed quædam cœlestis originis honestas, quæ homini indita ex sese progignit æquabilitatem vitę, & omnium actionum. Hinc est quod tantæ dignitatis homo nihil vnquam admittit indecorum. E mente nullis prauis cogitationibus inquinata solæ prodeunt actiones castæ. Non iudex, vt maiora flagitia prætercam, præcedente aut sequente apparitorum turba deducetur in loca obscæna. Non in veste muliebri aut seruili ius dicet. Non ingenuus induet personam serui. Non homo imitabitur bestiam. Nihil tale admittet is quem sibi semel grauitas asseruit. Semper honestus, & æquabilis apparet in voce, sermone, incessu, sessione, accubatione, vultu, gestu, motu. Quemcunque affatur, nihil perplexè, contentiosè, pertinaciter loquitur, sed dilucide, viriliter, constanter. Nulla eius est temeraria, nulla non circumspecta & ponderosa vox. Nunquam vir grauis verba arripit de foro, sed de penu pectoris puri & sapidi. Gestus eius nunquam est concitatior, sed paulò tardior, ac paulò seuerior, & consideratior. Incessus & gradus non fornicinus, & socordiæ testis; non item pantherinus aut tigrinus, non pompaticus. Vultus neque fluidus, nec item atrox ac truculentus, sed liberalis, qui statim vt populo affulsit, omnia improbitatis nubila vanescunt. In homine graui omne spectatur specimen bonitatis, constantiæ, sapientiæ, eorum morum quibus nomen est antiquis, suspiciendis, venerabilibus, vix præsentis aut maiorum ætatis, sed sæculorum innocentium, illorum,

lorum, quæ primæ hominum origini proxima fuerunt; cùm nemo vocabatur innocens quòd nemo erat nocens, quæ certè nullos adhuc viderant homines mersos cœno postea natæ, adultæ, & inueteratæ prauitatis. Quæ omnis innocentia signatur vnica dictione grauitatis. Penes hominem grauem est omnis disciplina morum, in qua vna Socrates omnem Philosophiam e cœlo deuocatam, & ad hominum cœtus reuocatam reposuit. Quo facto hanc cæteris omnibus artibus & studiis antetulit. Et verò quisquis est iis moribus, qui sunt sapientiæ lima perpoliti, hic inter cæteros eminet veluti quoddam præsens numen. Nulla eloquentia hominibus regendis, nulla parendi necessitate constringendis est tam valida, quæ id præstare possit quod vno momento sanctitas morum confecerit, quæ quoque vno nomine demonstratur grauitatis. Vix in omni vita alius nisi in moribus est virtutis vsus. Nullum promptius & firmius homini præsidium aduersus inuidiam, malitiam, cæteros humani generis hostes, quos nullæ militares copiæ animosiùs ac validiùs proturbent quàm sublimis hæc morum maiestas. Quoties hominem grauitate præditum nominamus primò secum, deinde cum omnibus rebus creatis egregiè concordem, cuique vbique placidissima pax est, nominamus. Quippe ex omnium vnitate & concentu virtutum figuratur viua hæc diuinitatis in memoris humanis effigies, cui nomen grauitas. Hoc est sublime decus senilis ætatis; hæc est ordinis amplissimi dignitas, hæc est corona summi magistratus, hoc est sceptrum regis. Cùm enim isti omnes sint à lege & vniuersorum consensu veluti impositi censores morum tam publicorum quàm priuatorum, quos exigunt ab aliis, hos ipsi præstant vt antesignani. Ergo in omnibus Reipubl. moderatoribus, quocunque nomine censeantur, desideratur illa reuerenda & amabilis grauitas, sine qua nulla dignitas intelligitur, nulla maiestas suspicitur. Grauitati humanitatem comitem addimus. Quæ est pulcherrima societas, id præstans vt grauitas dici possit austera quædam gratia, & seuera quædam suauitas. Vt aliis virtutibus, ita huic potissimùm aduersatur omnibus perturbatio, leuitas, exanimatio, ostentatio. In primis hæc virtus respuit quicquid durum, & præfractum in moribus,

Hanc morum acritudinem antiquitas demonstrauit in illis quos vocauit scorpiones, qui vt de natura traxerunt malitiam, sic è malitia morositatem. Morosus ita dicitur, quòd est aliorum moribus auersus. Et morositas est vitiū compactum ex iis, quos dixi, moribus duris & asperis. Morosus sibimet displicet; ad omnia, & ad omnes occasiones nauseat, nedum vt cuiquam sit amicus, aut placere studeat. Vix cuiusquam vsu & familiaritate delectatur, vix cuiusquam collocutiones appetit, omnes ei displicent, ipse omnibus. Vsque eò toruus ac truculentus est, vt ex eo facilius ignem excutias, quàm risum elicias. Apud hunc & tribules, & populares, consanguinei, ipsa amicitia, ipsa patria sunt frigida ac sterilia nomina. Vitium est in quouis homine detestabile. Sed in Reipub. rectore mores & scabri & indolatiles & inconcinni est res prorsus metuenda & formidabilis. Cùm ergo grauitatem vt virtutem solidam, sensibúsque firmam describimus, eam dicimus, quæ sit omnis acerbitatis & morositatis immunis. Semper ei lenitas, facilitas, comitas adhæreat. Lenitas est sedatio omnis perturbationis, animi temperamentum ac tranquillitas, comes & index iudicij certi & immutabilis; multum differens à lentitudine, quæ est in censu ignauiæ. Lenis is est, qui nulla re aduentitia concutitur; cuius animus iam stabilem sedem inuenit, qui vbicunque, & inter quoscunque est, placidus & mitis est; apud quem bene compositum sunt omnia bene composita. Facilitas est prompta animi flexibilitas ad id concedendum quod petitur. Est virtus illius propria qui & suis & alienis est apprimè obsequens, cuius & obuia & exposita commoditas aliena negotia fouens & promouens, dummodo non sit intempestiua & inconsulta, si non malo exemplo indulget alienis vitiis; si nihil in se continet, quo cuiuspiam animus deprauari possit, si se eius, qui eam exhibet, incorrupto honore premit, si omnem contemptum ita vitat, vt ei semper autoritas integra maneat, si ita amorem præstat, vt seueritati nihil detrahat: si ita aliis commodat, vt sibi non noceat, si se ita demittit, vt nihilominus semper sit erecta & venerabilis, si ita officiosa est, vt in nullam culpam prolabatur. Comitas vt plurimum est virtus opulentiorum, potentiorum, principum, qui adeuntes beneuolè excipiunt, eorum desideria

sic

ſic admittunt, vt non iſti iuuari magis aut ſubleuari cupiant,quàm ipſi ad hoc præſtandum ſint parati. Comis eſt is,qui compendio it ad beneficium præſtandum, qui verecundię rogantis multas difficultates remittit,cui humanitas ſuggerit id quod adeuntes tacent, qui vel hoc ipſo, quod vltro percũctatur quid quiſque remedij poſcat,iam quodammodo laborantibus opitulatur. Nam iacẽtes manu erigere, eos clemente affatu ſolari, in oculis, in vultu, in geſtu,in omni habitu geſtare eminentem cupiditatem commodandi iis, quos labor,dolor, angor premit, fatendum eſt,eſſe opus pleniſſimum humanitatis. Hæc eſt illa virtus,quæ vniuerſorum amores, officia, obſequia proſectat.

Cap. XLV.

Superioribus virtutibus adiungitur magnanimitas, cui aduerſatur vitium animi puſilli, ſiue puſillitatis.



ROBVSTAS eas, de quibus egi, virtutes proximo interuallo ſequitur magnanimitas, virtus ſua magnitudine,& excelſitate quadam omnia deſpiciens præter id quod honeſtum ac decorum. Cætera quæ vulgi opinionibus ſunt magna & magnifica, parua ducens. Illa quoque ad quorum mentionem homines trepidant,quantum poteſt, hæc virtus refugit, ſed vbi adſunt, tacitè tolerat, vt ſi ſint nulla. Eſt ergo magnanimitas contemptio earum quandoque rerum quæ expetuntur, quandoque earum quæ formidantur,prout ſeſe offerunt. In vtriſque fortiter ac prudenter verſatur,vt verè dici poſſit ſcientia felicitatis & infelicitatis pari vultu excipiendæ. Quapropter nulla hac plus pertinet ad vitam. Hæc in ſingulis rebus continuò perſpicit,quid maius,quid minus, quid cuique præferri,quid poſthaberi debeat. Honorem vir magnanimus libenter amplectitur,ſed eum,qui ab optimis & honeſtiſſimis proficiſcitur, quemque ſuis meritis deberi ſcit. Promiſcuum aſpernatur, eumque qui æquè inuenit inſipientem & ſa-

N

pientem, malum & bonum. Non tamen vlli insolentię adhæret, sed est media inter tumorem & animum pusillum. Hic est illi modus. Magnanimo rerum splendor & amplitudo ita proposita sunt, vt eadem veluti metam spectet commoda communitatis & coniunctionis humanæ. Id quod si huic virtuti dematur, ipsa certè nihil aliud sit, quã armata quędam in hominum perniciem feritas. Magnanimi est illud omne quod in singulis virtutibus magnum est, ac prçterea nihil. Ipsi videlicet, magno nihil est magnum, nihil concupiscendum, quod apud ipsum omnia eminent & excellunt. Etsi ad hanc excellẽtiam constituendã fit quidam cõcursus externorum, cuiusmodi sunt, nobilitas, opes, honor, potentia. Magnanimi quoque propria est cum synceritate libertas. Pro hac omnis est ei contentio. Vix est, vt ad alienum arbitrium se & sua componat. Nõ facilè se ad cuiusquam pedes abiicit, vt ei supplex adsit, aut obsequatur, nisi bene monenti, & legitimè imperanti. Alienæ magnitudinis est ęmulator verius quàm admirator. Suæ gloriæ spectator, suę laudis auditor esse potest. At nemini maledicit, de nemine queritur. Iniuriam nunquàm facit, illatam ęgrè fert, sæpius propulsat. Palam amat, palam odit, pudoris & candoris manifestus. Eius motus est paulò tardior, risus sedatior, vox grauis, sermo solidus. Nec prosperis effertur, nec aduersis obruitur. Perturbationis est nescius. Ad verã gloriam arduo ac difficili itinere, ac per obstantia contendere amat. Humilia ne respicit quidem, media retinet, altissima cupit. De se nec nimis magnificè, & superbè, nec item humiliter sentit, sed se eo loco ponit vnde nulli cõtemptui obnoxius esse possit. Nam contemptum se nunquam, nedum contemptibilem iudicat. Quippe hoc posterius esset animi minuti ac proiecti. At magnanimus nulli contumeliæ est opportunus. Si quid suspicit, illud est id quod honestum ac decorum dixi. Tantùm ad id vnum quod se dignũ est, concitatur, in præclaris commouetur. Illa ad quæ maxima pars hominum hians fertur, ratione stabili firmaque contemnit. Ne vitę quidem parcit, dummodo eam vniuersorum saluti & commodis impendat. Minas, terrores, quicquid calamitatis nomine censetur animus altus & gloriæ cupidus sub iugum mittit. Propriis bonis nititur, vix quicquam mutuo sumit. Non sibi satisfacit, si non beneficia in

q uos-

quoscunque potest, dispergit. Hodie, ait Titus, non fui imperator. Nemini enim beneferi. Scilicet intelligit, Benefacere esse vnum opus homini ac Deo commune. Si tamen vir magnanimus beneficium accepit, plura quàm accepit reddit, eademque magna & illustria. Ita modestè simul & generosiùs agit, vt in nullius depressionem insurgat. Id quoque sedulo cauet, ne quoquam meritò sit inferior, & ne, qui suus locus est, hunc alius occupet. Atque adeò vt cum mediocribus est mediocris, ita apud magnos præstat se magnum. E quibus intelligitur, animi magnitudinem non esse tumidam, inanem & nugatoriam aliquam, fallacemque speciem, quæ imperiti oculos animumque pulset, sed virtutem introrsus solidam, ab imo ad summum parem, deprauati ingenij fugitantem, recti propriam. Magnanimi scopus est, vt id quod vulgi opinione minus est, ipse verbis ornando maiori æquare merito possit, ea prorsus ratione qua ille qui canem fatetur quidem esse Orionis, sed eum qui sit leonicida. Licitè ergo nec supra modũ, sed tamen sua extollit. Intelligit quoque opes omnibus posse fieri communes, sed laudem ac decus esse proprium bonum illius qui, quòd Reipubl. est vtilissimus, Deo quoque censetur esse acceptissimus. Hunc gradum vt conscendat, imperat sibi, nullis casibus, quamuis atrocibus, irritari, nulla prosperitate intumescere, nullo ictu percuti, nullo prosterni, nihil spectare nisi id vnum vnde sibi vera gloria nasci potest. Hanc vehementer sicut agile negotium, & diuinitatis nescio quid retinens quàm latissimè diffundi cupit. Nimirum intelligit laudem & gloriam esse incorruptam, & ferream quandam vocem bene iudicantium de ea virtute, quam omnes fateantur esse raram & aduertẽdam. Ab hac cupiditate laudis accingit se ad magna, eaque quę, vt omnia memorabilia, non fiunt sine periculo. Hinc sibi apud vniuersos fidem & autoritatem conciliat. Neutiquam meis moribus conuenit, inquit Theseus fugere ardua. Magnanimus audacter vsurpat illud Achillis aduersus Asteropæum, Quis tu mortalis es, qui mihi obuius fieri audes? Tu nescis, filios infelicium robori meo occurrere? Apud Æschylum extat inscriptio effigiati illius militis qui per scalam molitur ascensum ad hostium turrim his verbis, Ne Mars quidem me ab hisce turribus deiiciat. Vter-

que multum dissimilis est Capaneo, cui non fuit magnus animus, sed gloriæ, insolentia, superbia, os impudens. Magnanimus vt sibi magna molienti sit iter planius & expeditius, primum amouet omnia superuacua. Postea se ipsis necessariis sæpe destaudat, vt quibusdam oneribus, siue impedimentis. Denique sublimia potius cum periculo, quàm tutò humilia secat. Semper se optima fiducia sustentat. Totum quod cogitat vt ignauiæ inaccessum, ita virtuti suæ putat esse superabile. Generosas cogitationes suas plerunque perducit ad exitus optatos. Ex hac virtute, tanquam ex equo Troiano, prodierunt illa fortia pectora, quę refulserunt in ornamentum suarum ætatum, ac gentium totarum. In quo magnanimitas eminueret, hunc prudens antiquitas eò extulit, vt eum dixerit attingere solium Iouis. Quòd si virum magnanimum, dum ad magna intrepidus pergit, in ipso itinere vita defecit, non tamen inultus & inglorius cecidit. Et iacens vtique manet magnus, venerandus, tremendus. Ita moritur, vt perpetuò viuat in hominum memoria, & in ore gratæ ac diuturnæ posteritatis. Vt Deo thus, sic magnanimo laus tribuitur. Est enim laus magnarum tuba virtutum, cuius splendida vox nullis angustiis coërcetur. Magnanimum longinquæ gentes pro meritis magnificare haud cessant. Hæc est rerum scriptoribus nobilis & fœcunda materia. Hic posteritati proponitur sicuti Naxiacos inter omnes lapides domitrix æris. Magnanimitati aduersatur illud vitium, quod Græcis est μικροψυχία, seu μικροπρέπεια, animus pusillus & cōtractus, idemque sæpe spurcus. Quantū magnus animus altè, tantum pusillus deorsum spectat. Pusillanimis est is, qui honori & infamiæ ferendæ æquè est impar, qui felicitatis æquè atque infelicitatis intolerans est. Animus pusillus voti sui compotem non fieri, deerrare à scopo, non esse præcipuo loco, vltimum malorum ducit. Siquid fortè ipse præclarè gessit, id videtur subuereri quale, quantumque sit, eloqui. Sua gesta minoris æstimat, elaborato honore minor, sibi ipse per falsam temperantiæ speciem, perque stultam verius quàm modestam dissimulationem iniurius, ferendo rerum splendori impar, nec frontis verecundę, sed infirmę, quæ alicuius homuncionis ignobilis est propria.

CAP.

CAP. XLVI.

Magnanimitas & ambitio vt similes componuntur.

AMBITIO est animi magnitudini tam specie similis quàm re dissimilis. In hoc possunt videri similes, quòd magnanimitas nihil neque spectat, neque audet nisi magnum & arduū. Quid ambitio? Ipsa nihilo secius magna concupiscit, omnia scrutatur, omnibus incontinentes manus admolitur, ad omne discrimen est audaciæ promptæ. In ferrum ac vulnera vecors ruit. In hoc tamen vehementer discrepant, quòd animi magnitudo nihil se dignum spectat. At profunda cupido honoris ac dominationis ideo se totam laboribus distringit, vt vnam se expleat, nullo decori & honesti respectu. Est enim ambitio libido procedendi & euadendi ad nimia & illicita, nullo ductu rationis, sed impetu temerario, quem Deus, quem homines oderunt. Est insatiabilis cupiditas, & furens auaritia gloriæ. Ambitiosus est is, qui plus æquo, nec vbi & cùm oportet, nec quibus rationibus oportet, honores concupiscit. Dum præceps ad sua vota rapitur, quieti ac securitati præponit vitam anxiam, vt nouus Icarus pœnam pro munere poscit. Dum suæ plus æquo studet, alienam gloriam intercipit. Dum auet ea quæ non habet, ea quæ habet negligit. Rabidæ eius cupidini nihil est neque inuium neque longinquum. O rationem præposteram! Cui non datum est, vt se, aut quempiam saltem reduuia liberet, is summa tentat, suumque os, quod aiunt, cœlo inserit. Cæterùm vix fieri potest, vt non illa vasta, semperque hians cupiditas frequentibus iniuriis lasciuiat, non immerentes lacessat, ac tetræ cuiusdam impulsu inuidiæ proximum quemque vexet, & quidem nunc palam, nunc cæcis artibus, Est enim ambitio amica pugnacitatis, contentionis & rixarum. Nullo fræno eius impatientia cohiberi, nullo monitu animus furens compesci potest. Cui nihil est extremum nusquam consistit, semper vlteriora spectat, semper est cæca, vbique cupida & impotens. Hominem ambitio semper exstimulat non solùm æquales, sed

& superiores, postremò suas spes anteire. Quãtũ ambitiosus in honorũ petitione est inuereçũdus, quãtũ in rerũ sublimiũ appetitione immodicus tãtũ vbi eas adeptus est, insolẽs & intolerabilis est. Magno animo omnia iura fauẽt, omnes leges plaudũt. Ambitio non solum audet certare cũ iure, sed omnia iura euertit, omnia cõsanguinitatis & amicitiæ vincula distumpit, sacrosanctam legum autoritatem profanat. Magnanimitatis ministri sunt iudicium & consilium, sibi item hæc virtus adsciscit opẽ omnium virtutũ. Ad postremum, nullo cuiusquam nec hominis nec rei ministerio vtitur nisi probo & legitimo. Ambitio, vt est vehemens potentiæ & imperij sitis, vix quicquã perficit nisi multarum accursu impuritatum, ipsius inprimis interuẽtu temeritatis. Sc.n., vt scarabæus, semper putat volare per inane. Mox aduocat impietatem & credulitatem. Magnanimitas est ingenua, splendida & generosa. Ambitio est verum specimen ingenij stolidi, seruilis, sordidi. Eccui non humiliter supplicat is, qui illa miserè cupit, quæ nonnisi à tot hominibus exprimi & obtineri queunt? Ergo quanta magnanimitati est pro libertate cõtẽtio, tãta est ambitioni ad humilia queq; propensio. Magnanimitas nulli se indignitati submittit. Quin eminet inter honesta, nec alibi ambulat quàm inter præclara. Verùm ambitio vix quẽquã trudit ad dignitates, nisi per multas animi & corporis immũditias, per multas indignitates, per inaudita genera fœditatum. Quoscunque hoc furiale malum agitat, falsos fieri subigit. Totos simulationum, & dissimulationum inuolucris contegit. Nihil ficto ambitiosi vultu fraudulentius. Verba eius mellita eadem sunt fellita, sunt argumenta ingenij insidiosi, & mentis malæ. Certè ambitiosus quod minimè sentit id potissimùm firmat, se componit in mores ingenuos, cùm tamen sit simia nequior, & seruo veteratore versutior. Est latro similis, qui cùm prædæ inhiat, tunc maximè è petra concionatur. Cui bonæ artes desunt, hunc necesse est verti ad dolos & fallacias. Mauult audire probus quàm esse. Vult haberi seuerus, cùm tamen iustitiã aspernetur. Sed enim tandem versutia erumpit, & assumpta impudentia, tota se effundit in omnia detestabilia. Iupiter illum perdat, ait quidam, qui molliter loquutus mox apparuit quàm sit immanis, & natus in perniciem eorum,

quo-

quorum humeris subnixus euasit ad summa. Apud magnanimum nihil non est quietum, compositum, ordinatum. Apud honoripetam omnia sunt ancipitia, incomposita, turbida. Quidni, cùm perpetuis curarum stimulis nunc huc, nunc illuc agatur? Nam etsi valet, tamen ægrotat. Molestia & anxietudo est ei perpetuus morbus. Certè qui aliis tantum negotij exhibet, vt sæuus scopulus ex omni parte dici possit, sibi ipse fit scalper aut securis, cuius ictibus perpetuò conciditur. Vt ambitiosus nemini est amicus, ita ipsi nemo. Hoc semper accidit illi qui non ex re amicitias æstimat, sed ex proprio cõmodo. Quicquid illud est quod improbé sperat, ac prauissimè tentat, denique sic habetur vt non haberi multò sit satius. Dira enim hæc fames nunquam satiari potest. Magnanimitas si quid adepta est, in eo conquiescit. At ambitio illa ipsa quæ praué concupiuit, quamuis per se pulcherrima, non intelligit, postremò non intellecta dedignatur ac fastidit. Enimuero hæc lues omnia decora, quæ vsquam ipsis rebus insunt, ita deterit, vt fiant ingrata & inuisa. Magnus animus quicquid sapienter agitat perseueranter consectatur. In ambitioso pro virili pectoris firmitate leuissima capitis agitatio spectatur. Nec enim vlla perseuerãtia vlli vitio comes adest, sed sola pertinacia perseuerantiæ simia. Ergo quicquid ambitiosus simulet, dissimulet, semper æstuat, totoque vitæ ordine disconuenit. Dum perperam eligit, noxiis manum iniicit, ab vtilibus aberrat. Vbique est peruersus, præposterus, titubãs. Cupidas ac præcipites huius cogitationes plerũque aliena magnanimitas disiicit. Hæc semper est mascula, & intrepida quadam patientia nixa. Ergo impenetrabili constantia disiicit obstantia. At ambitio vt subitis terretur, ita inter angusta eliditur, inter continua frangitur, inter diuturna vanescit. Magnanimus omnium bonorum animis illico insinuatur, & procedendo robotatur. Ambitiosis curis exercitum omnes boni auersantur, res sæpissimè frustratur. Hunc ipsi improbi veluti circulatorem impudentia abundantem, sibi habent facetiæ. Hunc rerum arbitri & moderatores latis legibus ambitus, in Repub. collocati vetant. Illos tantùm extolli, illos honoribus honestari volunt, qui virtute non fauitoribus ambiunt. Vt magnanimitas est insuperabilis, ita ambitio insurgens vix vllo legum

quàmuis graui pondere premitur. Quin publica seueritate idemtidẽ coërceri necesse habet. Vt ambitiosi spes est improba, semper inanis, sæpè infelix, ita ipse ferè deprehenditur ingratus, &, siquid cuipiam bene fecit, superbè imputans. Vt magnanimitatem cæteræ virtutes cohonestant, ita in ambitionem omnia vitia, omnesque deformitates aliquid de suo conferunt, quò euadat detestabilior. Qui iam rapax est, is planè fit miluius, immundus transformatur in suem, asper & acerbus in pantheram, rusticus in petram, leuis & inconstans in tippulam, iracundus in spumantes Oceani fluctus. Vt nulla rerum prosperitate animi magnitudo effertur, sic ambitio vel minima eius specie infatuatur. O quàm bene agitur cum illo, qui modicis contentus modestè & inter inferiora versari mauult, quàm vt aquila, arduo volatu nubes verberare, & inter nubes vanescere. In contubernio ambitionis est μικροφιλοτιμία, inanis gloriolæ cupido. Nam & ipsa pectora angusta, ipsa rustica & metallica hac quoque pestilente aura agitari constat. Nullus est adeò rupex & veruex, vt non plus videri ac censeri velit, quàm reuera est. Maiorem partem ambitiosi nascuntur. Omnes inter cæteros extare, omnes in admiratione esse, ac monstrari digito prætereuntium cupiunt. Vsque eò & inter ipsa infima huius mali rabies loci plus quam satis est, inuenit.

Cap. XLVII.

In comitatu fortitudinis earumque virtutum quas fortitudo progignit, est Cura haudquaquam virtutum minima. Cui oppositum vitium est Curiositas. De aliis quibus est nomen Curis, quædam obiter.



Obvstis & arduis virtutibus, iis quas proximè retuli, comites eunt aliæ, quarum princeps est cura, hoc est ea animæ pars, quæ pro alis excubat. Cura est animi intentio attenta ad id omne præstandum quo cuique est opus, quodque honestè simul

& ex

& ex Reip. vtilitate suscipitur. Hæc est illa virtus quæ plerunque insidet magna ingenia, ipsa reip. columina. Hæc secum cunctas consilij rationes, sicuti apparitor, vocat in comitium cogitationum. Nihil ponè se relinquit eorum, sine quibus nulla res administrari, nulla perfici potest. Se præsente æquum censet, omnia rerum momenta ponderari, omnia impedimenta amoueri, omnia adiumenta accersi. Vt omni negotio prudentia rectrix adsit, certè cura eiusdem negotij fuit præmonstratrix. Ingenia veterno torpeant, corda langueant, omnes artes iaceant, si non eas cura acuat, si non eas, vt virga Mercurij dormientes, aut vt familiares sedula materfamilias, ad suum officium exsuscitet. Ideo quisquis est curæ fugitans is est suæ rei negligens, nec dignus cui publicæ vlla pars mandetur. Vnius curæ ope homines ad pulcherrimos virtutum effectus perducuntur. Non, inquam, prudentia priùs fugit vitanda, nec sectatur amplectenda, quam præeunte ac ductrice cura. Statim vt quidpiam exstat inexpectatum, exsurgit cura, & quidem acris & assidua. Hæc eò spectat, vt, siquid ingruit, quo tenor vitæ inuerti, & conturbari possit, id amoueat, aut componat, metus diluat, terrores disiiciat, composita regat, in tranquillo hominem collocet. Ad hæc, inquam, opera cura accurrit, vbi dolet, ibi manus auxiliares affert. Cura ardua complanat, inexsuperabilia transcendit, mœnita perrumpit. Exemplorum quibus hoc confirmari potest, tanta seges est, vt ea sibi quisque suppeditare possit. Paucula tantum promam è priscis fabulis, quæ humani generis fuerunt prima & synceriſſima documenta. Gorgonei monstri caput cinctum anguibus nunquam Perseus ille præclariſſimus præcidiſſet, si non illud priùs ei Pallas accuratè pinxiſſet, nimirum, vt diri aspectus assuetudine vir fortis in proposito confirmaretur. Iupiter secum voluebat, quemnam terris immitteret qui monstra profligaret, aliisque immortalibus factis orbem vniuersum peragraret. Ad hanc curam maximè pertinere existimauit, eū heroëm elaborare qui non vno momento, ac ne vna quidem nocte, sed toto trinoctio procreandus esset. Quæ illi cura, vt prouidentiſſimo numini feliciter ceſſit. Ipsa quoque Alcmena talem tantùmque partum enitendo parum abfuit quin magnitudine dolorum confecta fuerit. Tanti fuit

Herculem generari. Hanc rationem qui mortales sequuti sunt, hi rebus suis optimè prospexisse censentur. Et Persæ quidem, qua gente nulla vnquam distinctiùs & prudentiùs vixit, ante sacrificium agebant de pietate, ante conuiuium de temperantia, ante pugnam de fortitudine, ne ad vllum serium opus accederent incuriosi & imparati. Euripides εὐλάβειαν, quæ est hæc ipsa cura, dixit esse vtilissimam Dearum. Cura est illa quæ sciẽtiæ lumen adhibet negotiis, hinc penetrat abstrusa, reuelat operta, illuminat obscura. Eiusdem ope opulentia pollet, potentia dominatur, auctoritas præualet. Ductu huius virtutis bonitas euitat laqueos malitiæ, temperantia æstus libidinis, fortitudo lacunas ignauiæ. Hinc curare, hoc est, rei susceptæ seriò incumbere, nullum laborem recusare, ipsis quoque euidentibus magnisque periculis constanter defungi. Cuicunque hæc virtus adest, hoc assequitur, ne animus vnquam negotio desit, neque decretis labos, nec votis successus. Huic nunquam necesse erit exercere vitam inter curas miseriores, feruidiores, funestiores. Hoc genus curatum degit in fœdo vitiorum, famulatu an contubernio? Quippe nullum vitium sine suis curis consequitur ea quæ sibi proponit esse pulchra & lauta. His curis imprudentium animi macerantur, coquuntur & exeduntur. Sunt enim mœstæ & assiduæ cogitationes, quæ, quamuis suo molestissimo pondere depressæ, alta & ardua conantur ascendere, inaccessa contingere, fallacia asserere, nodosa etiam constringere. Sed qui talia tentant plerunque in luto hærent. Hominem hæ curæ affligunt, non instruunt. Sunt ministræ erroris & hallucinationis, sunt anteambulones suspiriorum, altrices gemituum, angorum, tormentorum. Cùm eas desiisse putas, vehementiùs recurrunt, & hominem immaniùs versant. A cura curiositas dicta, Quæ si est iusta & necessaria, conuenientiùs dicitur diligentia, & virtutibus adscribitur. Qui hac ratione curiosus est, laudi quàm vituperio propior est. Quòd si hæc cura est ab otio, ab inuidia, ab æmulatione, à metu, ab sordibus & auaritia, tũc est vitium, quo vitio nullũ pestilentius, Quippe curiositas est cupiditas cognoscẽdi id, quod ad quærentem nihil pertinet, & quod alij cuipiam aut iam malè est, aut malè futurum est. Curioso, cùm domi suæ vix quicquam sit quod curet, auidæ alienorum negotio-

tio-

tiorum fiunt auriculæ. Importuno ſtudio fertur in ea quæ honeſtiùs neſciret. Eſt perpetuus ſititor nouitatis, moleſtus percontator, fingendi auidus, & materiam ſermoni quærens, denique ſcrutandis alienis commodis granior, quàm leuandis melior. Hiantibus oculis & auribus ea excipit, vnde gaudeat ſibi oblatam occaſionem cauillandi, calumniãdi, nocendi. Semper eſt mali negotij plenus, ſe ſemper & ſuperuacuo & improbo & improſpero labore defatigat. Eſt prorſus alter Phaëton. Adeſt & arrogans illa eorum ſecta, qui audent inquirere in ipſum Deum. Solò ſupercilio freti de diuinis arcanis plus ſe profitentur ſcire quàm cuiquam mortali conceſſum. His dicendum illud Soſiadis, Sape mortalia, id eſt, noli altum ſapere, ſed time. Ibi curioſitas humana torpeſcat, vbicunque de Deo cogitandum aut loquendum eſt. Certè humanæ curioſitati hic quidem tantum deeſt diſcere, quantum ei libet ſcrutari. Quiſquis vaniloquis fretus auibus, inquit Apollo, præter mentem noſtram plura de Diis ſcire volet, palàm dico, is it eam viam quæ ducit in præceps. Huius ſectæ fuit Hadrianus Imperator, ideo dictus curioſitatum omnium explorator. Hunc enim impia curioſitas vaticiniis & præſtigiis addixerat. Ingens quoque manus illorum eſt qui ſollicitè rimantur arcana principatus. Nec intelligũt, quicquid apud reges, alioſque ſummi loci homines pulchrum & lætum eſt, id omne, ſcilicet, eſſe in propatulo. Quicquid ibi hominum aſpectui ſubducitur neſciri, eſſe opimum, vt ille ait, triumphum. Quiſquis es, arcana regum ne peruenator, ne in implacida, amara, anxia præter ſpem impingas. Prudenter Thoas apud Euripidem ait ſe non cupere videre arcana cuiuſquam. Phaetonta, quem paulò ante nominaui, confeſtim pœnituit cognoſſe genus ſuum, & illud impetraſſe quod rogauerat. Qui cupit quietè viuere, ne cupiat aſciſci in conſcientiam arcanorum cuiuſquam, atque adeò quanquam audiens ne nimiùm audiat. Multi optatiſſima tranquillitate fruerentur, ſi non curioſitatis moleſtiſſimo prurit u vexarentur. Quantum eſt hominum curioſorum, dum iis quæ bona ſunt, melius aliquid quærunt, ſæpe, vel in ipſo limine, malum reperiunt. Plures quaſi alienum animum in manibus geſtent, planè omnia ſciunt præter id vnum quod eos ſcire oportet, ne, ſcilicet nimiùm inquirant

in illa quæ talia ſunt, vt ea quiſquis ſciuerit, leonem, quod aiunt, radat. Horum impatiens curioſitas dum aliena aucupatur, pleruͤque ſuis illiditur. Curioſitas mea, ait ille, hoſti meo tantum prodeſt. Is mos iamdiu inceſſit aliena rimandi ea mente, vt hinc ſe quiſque, vt alieni arcani ſciens metuendum faciat. Hæc eſt propago illorum qui olim curioſi dicti, hoc eſt, & ſpeculatores & delatores. Intelligenter Locrenſis magiſtratus, qui multabat eos, qui peregrè redeuntes percontari auderent, Ecquid noui? Et Xenocrates aiebat, Nihil differre, oculos quis an pedes in alienam domum inferat pari, ſcilicet, curioſitate. Cùm in priſca comœdia improbi conuiciis apertè lacerarentur, Thurion legiſlator edixit, ne quis in ea vllo ſcommate perſtringeretur extra vnos adulteros & curioſos. Hoc nominis indebant illis, quorum moleſtiſſimæ perſpicacitati omnes obſtructiones ſunt apertæ. Quidam quoque Grammaticorum ſectam hinc perſtrinxerunt, quòd ſuorum barbariſmorum & ſolœciſmorum ſecuri circa errores Vlyſſis mirè eſſent ſolliciti. Sed quis non ſe hinc ægrum fateatur? Inquirit quiſque in alienæ vitæ ſolœciſmos, vt proprias turpitudines obſcondat. Curioſitas ipſa lege duodecim tabularum his verbis profligatur, Ne ſepulchrum fodito. Nec enim, inquit Semiramis, alienos manes tu quidem inquietatum ires, ſi non eſſes homo nequam. Notata fuit improbitas Telchinum, quæ fuit gens improba, atque in primis curioſa. Certè eò impudentiæ proceſſerat, vt Mineruæ curioſæ ſtatuam poneret, quaſi Deam huius tantæ improbitatis conſciam teſtémque ſibi aduocaret. Inter probra Tiberij principis relatum illud eſt, quod inquireret in dies natales primorum. Nimirum, vt, cùm inde ſciret quo quiſque ingenio eſſet, hos eueheret, illos deprimeret aut euerteret. Ipſe Antoninus Pius, quòd vel in minima emiſſitios oculos coniiceret, vocitatus eſt cuminiſector. Qua voce principi Romano & curioſitas & extremæ ſordes ſunt exprobratæ.

CAP.

CAP. XLVIII.

Curam sequitur sollertia, industria, diligentia & vigilantia, properantia.

CVRAE adiungimus sollertiam, quam quidam inter animi facultates potius collocant quàm inter virtutes. Nos hîc eam inter virtutes considentem aspicimus. Quippe è virtutibus aliæ spectantur in moribus; aliæ in aliqua ingenij facultate videntur esse collocatæ. De hoc genere sollertia est. In quibusdam, fateor, animalibus est nescio quid simile sollertiæ. Atque adeò nullum prorsus est, quod non ad ea sit sollers, quorum ope vitam propagare ac tueri potest. Ceruus attritu cornuum è suis cubilibus elicit serpentes, vt ea esca sibi aluus eliquetur. Verùm & huic animali & cęteris omnibus hæc sunt ad valetudinem corporis, non ad virtutem animi. Vni homini solertia est ad virtutem. Neque vlla virtus degit sine hac. Sollertia est vegeta illa vis animi, quæ rem certissimis argumentis compertam, vt est, aduertit, statímque & oculo eam & acu figit. Sollers is est qui hoc tanto acumine præditus est, sic dictus quasi totus ars. Nam Oscè sollum signat totum. Hinc sollicitria, id est, omnis rei curiosa. Et sollenne dicunt id quod est anniuersarium, & omnibus annis fieri solitum. Proinde sollers dicitur is, qui in omni re est cautus, nec vlla stulta crudelitate ducitur; qui quicquid tenet id est eiusmodi, vt eo nihil quidem possit esse exploratius. Qua tanta dote quisquis abutitur, is vulgo est malè sollers, ac sæpe suo, sæpe Reipub. detrimento nimiùm videns, nimium sciens. Quæ est conditio illorum qui miseriis præfulciuntur. Grande, ait poëta Ouidius, doloris ingenium est; miserísque venit sollertia rebus. Sollertiæ adiungimus industriam, cuius excellentiam qui probè norunt, non dubitarunt eam vocare perfectissimam virtutum. Industria est acumen animi dexteritatem rebus applicans, eásque cura & labore adhibitis perficiens. Et verò prisci eum, qui nunc est industrius, vocarunt indostruum, eum, qui quicquid agendum susciperet priùs intra se strueret, id est, & pectus necessariis dotibus

instrueret, & reliquum omne instrumentum ad id, quod præ manu esset feliciter absoluendum maturè compararet. Industria rem militarem ordinat, eloquendi facultatem instruit, est artium inuentrix, est omnis rei præclaræ promotrix. Id quidquid est, quo quælibet res potissimùm censetur, singulari quodam industriæ motu, & prompta acritate mirabiliter eminet. Hæc vbicunque viget, vbi quicquid aduertendum est, quamlibet latens, arripit. Hinc difficilibus facilitatem admouet, casura sustentat, imminentia euitat, dubia stabilit, stabilitis diuturnitatem tribuit. Hanc itidem, vt sollertiam, natura editam agnoscimus, ac proinde, repugnante natura esse nullam. Sed & hoc fatendum, huius vi sæpè naturam vinci, & quicquid in aliis virtutibus admiramur, ope industriæ sub manus succedere. Quapropter illi, qui sit industrius, nos nullam virtutem detrahimus. Industriæ adhæret diligentia, diligentiæ vigilantia. Vtraque est magnum humanæ imbecillitati præsidium. Nec duæ sunt, sed, scilicet, vna duabus dictionibus demonstrata. Hæc virtus vt multa praua emendat, ita omnia bona consũmat. Mores è pessimis & solutissimis sensim reddit probos & frugales, ipsum corpus è valetudinario firmum ac vegetum; ipsos imbecilles sæpe perducit ad vltimæ senectutis terminos. Vt quisque diligẽter ac vigilanter rem accurat suam, sic ei procedit. Homini diligenti ac perpetuò excubanti nulla vnquam segnis dies illuxit. Omnia sua officia is tẽpori conficit, semper scit vbi bonas horas bene collocet. Si quid quærit, ostiatim circuit & angulatim. Si cognoscit, singula attentius explorat, vel minima impensius considerat. Si quid semel cœptauit, eandem incudem vsque tundit. Manus ei nullo otio torpent; semper vtili aliquo negorio feruent. Vt ad pauca peruenire possit multa tentare non dubitat, illorum videlicet imitatione, qui multam terram effodiunt, vt metalli aliquantulum inueniant. Homo diligens, si est paterfamilias, primus cubitu surgit, postremus cubitum it. Si est literatus & scriptor, & ad Aristophanis, & ad Cleanthis lucernam sua elucubrat. Hęc itẽ virtus artificẽ, mercatorem, agricolam, militem, magistratum aduersus omnes otij labes tuendum suscipit. Vt segnities & incuria ad facilia aditum obstruunt, ita quoque nihil est tam difficile quod

non

non diligẽtia expugnetur. Huic virtuti nihil ne minutissimum quidem excidit. Neque tamen est præceps & furẽs, nunquam inanis & superuacua, nũquam sinistra & molesta, non item sic anxia, vt nullum è segete spicilegium relinquat aut stipulam;non præpostera & peruersa,quę sępè incidit in illa quæ nimiùm cauet, illa ipsa quæ non tã sua opera limat,polit,ornat, quàm limando deterit. Nimiam hanc diligentiam signauit Apelles cùm dixit. Omnia sibi cum Protegene esse paria, aut sanè illi meliora. Sed se vno præstare , quòd manum ille de tabula nesciret tollere. Hæc dici potest inepta quædam sedulitas, ibi operosa vbi minimè opus est,quę sese absurdè ingerit iis,quæ nihil ad suam curam,nihil omnino ad rem pertinent. Hac se quisquis torquet,officiosè nocet potiùs quàm iuuat, Hanc ipsam Africanus censor confixit in eo centurione,quem ideo tribu mouit,quòd dum Paulus pugnaret,ei pugnę non interfuisset. Nam cùm is se custodiæ causa in castris remansisse diceret.Non amo,inquit,nimium diligentes.Diligentiæ & vigilantiæ symbolum potest esse scarus piscis, qui oculos nunquam flectir in somnum. Potest esse ceruus,qui dum est auribus arrectis,est auditus acerrimi,statim vt eas demisit, extremæ surditatis. Antiquitas vsa est nunc noctua, nunc dracone, quorum vtrumq. est generis vigilantissimi. Certè draconem finxit custodem aurei velleris,rei scilicet,omnium pretiosissimæ. Aesculapius hinc fuit insignitus, quòd si qua res eum qui sit medicinæ consultus, certè diligentia & vigilantia decet. Quidam etiam lusciniam & hirundinem,vigilantissimas auiculas diligentiæ & vigilantiæ typum posuerunt. Nos hanc virtutem tã expeditam, & humano generi tam necessariam illis potissimùm assignamus quorum humeris publica res est imposita. Equidem & principem & summos magistratus nihil aliud esse dixerim,quàm perpetuos procubitores,quorum vigilantia vniuersi nituntur, ne quid aliũde ingruat quod publicum otium conturbet.Diligẽtia ex se progignit properantiam.Sic enim hanc virtutẽ malo nominare quàm festinationẽ.Qui quid maturè transigit, inquiunt boni latinitatis autores,is properat.Qui multa simul incipit neque perficit,is festinat. Ergo diuersissimæ sunt diligentia & festinatio. Illa est bonum curæ & attentionis,hæc est præ-

ceps & confusa.Id quod Augustus, vir vnicè solers, probè intellexit, cùm illud suum vsurpauit. Festina lentè,id est, ad rem gerendam primùm assume industriam. Industriæ adde celeritatem, diligentiam tempera aliqua non quidem tarditate,sed mora & expectatione. Ex hac mistura fit expetenda illa maturitas,quæ asperrima quæque ac difficilia tractatu salutari exitu terminare potest. Non in eo omnia sunt posita vt festines, sed vt ne properes ante tempus,nec cesses in tempore. Quicquid festinatur,nec bene exploratur,nec feliciter conficitur.Extraordinariæ paucisque concessæ felicitatis est, laudem diligentiæ posse cumulare gratia celeritatis. Festinationem, qua nulla negotiis est nocentior, pœnitentia sequitur,sed sera & inutilis. Sæpe quæ in se multas vtilitates continebant, festinata exactione comperta sunt vsu sterilia, Quomodo canis festinans,quod dicitur,parit cæca.At diligentiam perfectio coronat.Res festinatione præcipitata,nunquam in integrum restitui potest,at accelerata suas laudes assequitur. Quapropter nos eam siue properantiam, siue celeritatem laudamus,quæ vbi opus est,gradum sistit, vbi maturandum, non vltra destinata procurrit, nunquam est tam incitata, nunquam tam rigidè ambulat, vt vbi resistere iussa est, nō à cursu ad placidum incessum reuocari possit. Hæc est illa properantia quam euentus vt plurimùm commendat. Nā quicquid fit satis bene, id satis citò fieri aiunt.In iis, quæ talia sunt,vt minùs bene fiant, omnis celeritas non solùm est effusa,sed & noxia,& parum decora. Nimirum tali re est potiùs concitatio quædam vehementior, quæ vix probari potest nisi in iis animalibus quæ sola velocitate commendantur.Hæc est pernicitas,dos corporis, index virium & comes alacritatis, cuius ope ingentia spatia sæpissimè sunt contracta,ipsa famæ celeritas præuenta, maxima negotia confecta. Hæc quoque est acerrimorum bellatorum propria laus. Hæc ipsa præter aleam belli aliis vtilitatibus mirabiliter seruit. Hanc antiquitas finxit esse Iouis filiam,quòd is si,vt aiunt,digitis concrepuerit, momento vbicunque res postulat opem suam præsentissimam largitur.

CAP.

Cap. XLIX.

Superioribus virtutibus contraria sunt ea vitia quæ hominem eneruant, inertia, desidia, segnitia, negligentia, ignauia, pigritia, incuria, otium, torpedo.

HIs virtutibus quas proximè memoraui, prorsus aduersatur vitium quod multis nominibus demonstratur torpedinis, inertiæ, desidiæ, segnitię, negligentię, ignauię, pigritiæ, incuriæ, otij. Hæc omnia nomina prout erũt ad manum, vsurpabo. Nec enim nisi in pauculis distinguuntur. Hoc, de quo agimus, vitiũ est commune summis, infimis, medijs probrum. Quocunq; nomine censeatur, est ea corrupta pars animi quæ est fugitãs laborũ & vitæ actuosę, quę potiùs turpe otium captat, nec quicquã vltra spectat. Piger, iners, negligens, ignauus est is, qui nulla gloria mouetur, nullo flagitio deterretur, nullo stimulo impellitur, mẽte hebes, oculis lippiẽtibus, membris torpẽs, incessu tardus, ipsissimũ omniũ virtutum odium. Ex hac tam fœda origine tot mala in hominũ vitam importantur, quot bona & cõmoditates ei cura, diligentia, industria cõficere possunt. Nimia prosperitate frui, & in summa earum rerum abundãtia quæ res vulgo expetuntur nullam earum virtutũ promere quibus nunc res priuata, nunc tẽporũ tranquillitas custoditur, hi sunt huius vitij natales. Nec enim cuiusuis ingenij est, sua bona fortiter ferre posse. Quinimo ex omnibus rebus creatis nulla hominum genere citiùs deprauatur, faciliùs inquam, secundis corrũpitur, quàm aduersis roboratur. Dictũ ac factum parum solidi ab desidia fiũt rubiginosi. Animo quidem qui natura vegetus, si studium, cura, exercitatio accedat, tunc verò is præclarissimę cuiusque rei magnus autor euadit. Sed ille idem animus non facilè dici potest quàm citò torpescat, quàm citò, vbi diutiùs fuerit vacuus, desidia elãgueat, eneruetur, trahat cariem. Desidia generositatem deterit, omne acumen hebetat, ingenium obscurat, memoriam debilitat, cuiusli-

bet bonæ rei peritiam abolet, omnia semina virtutis extinguit. Quò blandius est hoc vitium, eò hominum vitæ infestius exurgit. Hoc est omnis nequitiæ stabulum, omnium criminum pabulum, impurissimum hominum impudicorum volutabrũ. Non illud otium dico quod viri gnaui solent collocare in bono negotio. Nã & in otio, hoc est & tranquillè & placidè viuitur, dummodo absit illud, ignauè. At in desidiæ contubernio ætas nisi turpiter agi non potest. Hinc palam est, pigritiam esse vitium hominis remissi diffluentis ac dissoluti, prorsus eius, qui ita parat se, vt spes nulla reliqua in ipso sit, omnia iniũgat amicis, cùm ipse suæ vitæ sit infensus. Homo negligens est quędã statua manibus cõpressis & insinuatis; est perpetuus procrastinator, omnia differt in lunã Arcesilai, est prorsus telluris onus superuacuum. Vbi sua consumpsit, alienis abutitur, ipso fure nequior, qui si die dormit, saltem noctu vigilat, est quouis mendicò improbior. Nam mendico etsi segnities est in animo, torpor in manibus saltem Deus est in ore. At homó ignauus est Dei, est decori, & omnis honestatis, omnis verecundiæ, omnis consilij omnis operę incuriosus. Diogenes vt ostenderet quantum sit in otio dedecoris, nullis verbis, sed facto probare maluit. Dolio suo, illo cynicæ sapientiæ theatro, versando occupari, quàm omnino nihil agere multo satiùs duxit. Vetus verbũ est, Malo agere malè, quàm otiosè viuere, id est, segne otium terere. Ecquod imperium, mitto imperium, ecquam rem quamlibet exiguam desidia aut peperit, aut diutiùs tutata est? Ecquam potiùs rem & publicam & priuatam non conuulsit aut euertit? Militi inertia indit contemptum obsequij, fugam duritiæ, obliuionem virtutis & pugnę. Satis ei est, si solo voto hostem interficit. In hunc iaci potest illud Pelei in Menelaum, cui exprobrauit, in diuturno bello eum ne vnũ quidem vulnus accepisse, sed ex eo arma incruenta retulisse. Totos sępe exercitus ab hoc desidioso monstro profligatos constat. Ipsi leones, vt est in prouerbio, hinc fiunt capræ. Quid illis castris inquinatius, in quibus milites nõ puduit petere vt sibi militaris operis vicarij mercede conducerentur? Ecquam Reipub. partem talium fidei ac dextris credi posse putas? At priscum præceptum est. Noli ea iubere quæ fiant, non fiant est in manu tua. Quid item spurcius

cius illis, qui residum animorum sibi conscij pollicem sibi præcidi, quàm vt vlla militaria munia obirent, præoptarunt? Atqui & hæc,& siquid his flagitiosius dici potest, sunt ab otio omnia. Otij & ignauiæ proprium est facilè percelli, nimirum metu mortis, eorumque quæ ducunt ad mortem. Quid in cursu rerum politicarum? Vnde tot infaustos & publicè infestos plebis motus esse dicas, vnde implacabiles seditiosorum ciuium procellas, nisi ex vna otij licentia? Quid illa multitudine efferatius, aut effrænatius, quæ summos magistratus, sacerdotia, imperia ijs quorum erant, vi erepta profanare ausa est? Quid, quod ignauia plerunque suadet sæuitiam? Vt vecors est & infausta, vix vnquam nō liuet. Quibus inuidet, hos cupit esse perditos. Atque vt est crudelis, ita quoque est perfida & infidelis. Sese tamen sic infert, vt si sit ipsa simplicitas, cuius simulatione multæ fœditates conteguntur. Prorsus enim ita est, eum qui ad rem gerendam & pericula segnis est sæpiùs ad occasiones esse intidum At etiam hoc monstrum ore procax est. Quantùm animus ignauescit, tantumdem lingua lasciuit, argutatio crebrescit, loquētia feruescit. Atque adeò primùm sibi ipsi, mox alijs hoc vitium est intolerabile. Sibi, quòd desidia æquè est corporis atque animi valetudini nocentissima, & viui hominis sepultura. Nam cui quod agat institutum nihil est, hic si sit, non sit, si valeat, pereat, in æquo est. Alijs, quòd inertia nihil est arrogantius, nihil minus ferendum. Cùm enim huius portenti proprium sit, omnem euerrere ex animo vigorem, pro hoc ipsa substituit tumorem, inanitatem, superbiloquentiam, certissima otiosorū insignia. Huius notæ sunt circumforanei quidam, & vmbratiles homines, qui studiorum & fortè pietatis obtentu, & rancidæ cuiusdam sapientiæ professione sibi plaudētes in medios dies dormiunt somnum Endymionis. His addo magnam manum hominum opulentiorum, quibus abundè est, sibi veluti ab quodam penu, expromi cibū & potum; aut, sicuti ab cornu Amaltheæ cætera præberi nulla ipsorum nec industria nec labore quęsita, prorsus quomodo esca datur ignauis animalibus, aut alicui ouiculæ, cuius isti vitam agunt, nulli rei idonei, nisi fodiendis, quod aiunt, carbonibus, aut aëri verberando; aut sanè perpetuò hiantes ad nebulas, quæ talibus, vt Socrates aiebat, sunt magnæ Deæ. Ignauiæ

quoque nunquam non adhęret summa egestas, turpisque mendicitas, cui nulla indignitas obstat, cùm vtraq; nihil sit spoliatius. Certè ignauis nullus dies est negotiosus, omnes festi, & otio consecrati. Ea re formica, qui est typus diligentiæ, cicadæ, quod est symbolum ignauæ cuiusdam procacitatis, aiebat, Quia æstate modulabaris, hieme salta. Nimirum, in hac saltatione restim egestas ducit. Hæc enim è vestigio sequitur nescio quæ segnium aurea somnia. Siquid etiam occasionis datur, rapax est. Aliena industria parta, & ab se rapta clam erodit, prorsus vt fucus, qui ab apibus collecta elimenta tacitus absumit. Nullæ manus quàm inertium sunt ad diripiendum auidiores, nullæ ad præripienda fortium virorum præmia feruidiores. In media aula, in foro, in medijs plateis nulli frequentiùs & licentiùs paratragœdiant. Isti tamen, quamuis ipsis Mulciber arma fabricetur, ne spiritum quidem viri strenui sustinere possunt. Vt canes ignaui vexant hospites immerentes, ijdem statim vt lupi adsunt, continuò dant se in pedes, ita isti desidiæ sectæ nulla virtus est quam promat. Verùm si quid adest prædæ, nullus promptior prædator. At etiā deforme hoc vitium audet imitari prudentiam & grauitatem. Nā cùm virtutes sint quodammodo cunctatrices, desidia huius tantùm cunctationis assumpta specie, infert se ante oculos multitudinis ipso veterno resinaque tardior, Quin se pro sapientia venditare non erubescit. Quid multa? Si ipse Hercules terras reuisat, ac se desidiæ dedat, pro heroë & filio Iouis existat sophista impudēs & importunus. Commodus, abominandum illud inter principes Romanos nomen, nequaquam fuit natura malus. Sed postquam ætatulam ad otium detulit, factusque est osor negotij, hic verò illi fuit ad tantas atrocitates aditus. Contra, dicitur Danaus admodum duriter educasse filias suas. Eas enim opus manu facere docuit, ad labores, ad aquam hauriendam missitauit, ad omnia præclara instituit, in hoc tantùm ne cessatione torperent, lasciuirent, corrumperentur. Quapropter tandem expergiscimini quantum est hominum tam fœdè languentium. Excutite istum torporem. Intelligite, nō minùs otij, quàm negotij rationem extare oportere. Tot otij vitia, tamque feralia aliquo vtili semper & honesto negotio discutite. Nemo vnquam bonus & honestus vitam segnitie transegit,

transegit. Hîc præcipuè vos compello, quos Deus rerum gubernaculis admouit. Maturè assuescite non subtrahere humeros vestros ponderibus negotiorum. Nolite otio tam bono, vt sæpiùs facitis, liberaliter ampleque abuti. Distinguite vestra tempora vicibus earum actionum quæ sunt isto loco dignæ. Hîc oblectate mentes, hîc acuite animos, hîc omnes excite ingenij vires. Nolite cõmittere, vt culpa vestra & vestra pericula, & vniuersorum dãna gliscãt. Aduerto nonnullos illo ipso, quem paulò ante nominaui, Commodo detestabiliores, eoq; loci in odium generis humani euectos, toto quidem principatu suo teterrimos hostes vniuersorum. Si diligentiùs aspicias, vnde tantum illuuiei contraxerint, nimirum, intelliges ab otio, cuius ingenium est, è summis potestatibus facere feras teterrimas. Est enim otium, vt Cato dicebat, principium iniustitiæ. Vt in speculum inspicite in priscos & seueros illos exercituũ ductores, qui otio castrorum, vnde est lasciuia militum, sæpe vt munimentum opposuerunt asperitatem frequentissimarum exercitationum, & quicquid pertinet ad seueritatem disciplinæ militaris. Nec enim alia ratione diffluens miles roborari, & ad militiæ munera intentior fieri potest. Quòd si antiquiùs talia aut nulla essent, aut inualida, tunc verò otij & ignauię diritas multis supplicijs expiabatur. Cùm enim otium progignat ignauiam, ignauis ac dissolutis dabantur coronæ marcidæ, indices & comites infamię. Et verò sub Dracone infamia fuit pœna ignauiæ, at lege Solonis, & sequutis temporibus vltimum supplicium. Rhadamantus desidiosos, eosdemque luxuriosos immundis suibus commutasse dicitur. Muliebria pudenda columnis incisa totis quandoque gentibus exprobrarunt animos desides, eos qui exierunt è potestate. Hanc ipsam infamię notã Sesostris ijs affixisse dicitur quorum vrbes ipse facilè expugnasset. Haudquaquam his absimile illud Charondę, cuius lege quisquis signa ordinesq; destituisset, quiue pro patria arma capere recusasset, muliebriter indutus medio foro quotidie statuebatur. Id quod à Iuliano factitatum memorant. Ne sim prolixior, vt humanam vitam nihil magis instruit quàm perpetua animorum corporumq; exercitamenta, sic eã nulla ex omni genere fœditatum plus dehonestat quàm flagitiosissima. Mirabile prorsus est id quod

Plinius tradit, Esse aliquid cui prosit negligentia. Verùm huic dicto nullus in homine locus sed est tantùm in silicia herba singulare, quæ quanto peiùs tractatur, tanto prouenit meliùs.

Cap. L.

Prædicta vitia excutiunt labor & exercitatio.

OTIO vitando cùm adhibemus negotium, eàdem laborem in res humanas inducimus. Est enim labor indiuiduus comes negotij. Labor est attenta functio vel animi vel corporis, siue vtriusque simul, si quod grauius opus, munusue susceptum est. Certè vtriusq; vires pati iacere languidas & inutiles, flagitiũ est. Vires ingenij sunt lumen & acumen eius, vtrũque, videlicet experrectũ & excubans, & veluti in perpetua statione positum. Corporis, illa facultas, cuius ope suscepta functio perdurat vsque ad opus consummatum. Actuosas hasce dotes in vnum collatas, illam rectricem, hanc actricem, siue operatricem laboris vocabulo signamus vt proprio. Nec ideo labor per se est virtus aut vitium, bonum aut malum. Sed laboris contemptionem, eiusq; frequentẽ vsum virtutibus & bonis vel hoc ipso annumeramus, quòd nulla est sine labore virtus. Nulla item bona vsquam germinant nisi vbi præcessit cultura & labor. Vbi hæc sunt, læta principia felicitas consummat, vnde absunt, ibi omnia sterilescunt. Atque adeò sibi ipse labor subinde vires ministrat. Ab se roboratus fortiter illa fert, quæ in arduo & senticoso itinere vitę toleranda sunt. Labor vt ferociam contundit, ita virtutem erigit. In prauum dilapsa feliciter restituit, ardua superat, difficilia peragit. Labor est probatio simul & effectio virtutis. Cura duce & labore comite rectà itur ad summũ laudis. Nulla virtus incedit per delicias. Omnes, nulla excepta, pergit iter laboris, quamlibet angustum, spinosum, arduũ. Sic iubet necessitas, quę nullius itineris delicati monstratrix est. Lege summi numinis labor est maximum

mum homini & vberrimum copiæ cornu. Sapienter adnotatum est, noluisse Iouem, Herculem, illud germen suum, genitum ad res maximas & incredibiles esse molli cultu, occuli vmbris, includi fornicibus, viuere in otio & delicijs, quibus tamen immersit Eurysthæum. Ergo adolescentem voluptatibus ereptum, labori addictū voluit depugnare cū ariete, leone, cæterisq; quæ tunc quidem humanum genus infestabant, portentis. Hæc portenta fuerunt dynastæ, tyranni, latrones, quos omnes Herculeæ virtuti se posuit expugnandos, illustri, videlicet, documento, non attingi summa nisi laboribus sūmis, nec paruis sudoribus magna capi. Regia prorsus est illa Alexandri vox, Esse planè seruile delicijs, esse planè regiū labori operā dare. Scitè & verè dictū est. Deum hinc cōmoda hinc posuisse incōmoda, hęc prope, illa procul. In medio laborem statuisse. Ad incommoda pronam & præcipitem esse viam. Ad commoda plane arduā eamque quę vni labori sit superabilis. Bene institutus labor ducit ad ea quæ sapientium votis expetuntur. His repertis, ipse recedit, & hominem felicitati commendat. Labor quamlibet sollicitior & violentior, si non solùm æquo animo toleratur, sed summa alacritate expetitur, est veræ viæ præmonstrator. Enimuero vt hominis natura tam deprauata subinde in integrū restitui possit, aliqua ei est adhibēda vis. Sit sanè labor asperior magister, dūmodo salutaris, ducat via scrupea, dūmodo recta. In exordijs præbeat amara, dūmodo in exitu effundat suauia. Nulla labori fraus inest, nullus malus dolus subest, vbiq; syncerè, vbiq; bona fide agit. At voluptas quàm est in aditu læta, tàm est in exitu læthifera. Cōtra, labor quamuis primo aspectu durus & amarus, hominē inducit in suauissima & pulcherrima, Perrupit Acherunta Herculeus labor, nimirū vt illa quoque tā horribili via tantus heros emergeret ad superos. In quotidiano vitæ vsu ea quę sibi quisque multo labore peperit sunt multò gratiora illis quæ dormiēti obueniūt. Nulla duci victoria iucundior & gloriosior est illa, ad quā nonnisi per ingentia pericula peruētum. Nihil item tàm obuium tamque expositum est quod sine alicuius laboris interuentu & quæri & haberi possit, Nec aliud est verum solatium quàm illud quod monstrante labore tale est. Nemo è fauis educit mel si frōti sollicitiùs cauet. Qui rosā carpit, qui alios

flore odoratos legit necesse habet manum inserere rubis,rosetis,spinetis. Qui è nuce nucleum esse volt, inquit ille,frangit nucem. Labor & suauitas, quæ natura dissimilia sunt, naturali quadam societate coniunguntur, verùm ita si ille præcedit, neque tamen hanc secum trahit, sed ipsa sponte sequitur. Labor quoque homines inter se reddit mansuetiores, dum quicquid in ipsis asperum & incultum est. assuetudine contundit. Labor hominem cogit descendere in semetipsum, & perscrutari sua præcordia, & illa omnia quibus circumsistitur. Hinc discit, se à Deo in ærumnosa vitæ vada proiectum, vt coram suo conditore totus mansuescat; duritiem cordis emolliat, eius opem deposcat, sine cuius bonitate hæreat in illis ipsis miseriarum vadis. His & illud accedit, quod generosos homines frequens laborum vsus enutrit & erigit. Hoc nimirum sciunt hominum summi, quorum vita nihil aliud est, quàm longa quædam curarum series, & laborum catenatio. Certè bonus princeps non opum & voluptatum abundandia, sed sola prouidentia & labore cæteris præstat. Nec ferè alios gentium encomijs extolli video, quàm quos labores commendarunt ij, è quibus regia facta pullularunt. Hinc arceantur illi quos Venus est nutricata, quos continuæ eneruarunt epulæ, quos diurnæ emollierunt culcitræ. Homini laborioso non exiguum solamen est, scire, ita comparatum esse, vt omnis labor consuetudine & sedulitate fiat leuior, ac sæpe ne sentiatur quidem. Continuum laborem doctæ meditationes, & curæ in publicum vtiles sæpissimè fallunt. Hoc est magnum iuuamen iis qui publicæ rei onus sustinent, quique rebus grauioribus sunt intenti, quibus incumbit laborum identidem renascentium æstus perferre. Tam gratè labor sui cultores excipit, vt ère tenui capiat magnos prouentus. Labor est animo fax, est vacillanti solidamentum, & speranti adiumentum. Humanæ tamen imbecillitatis hic potissimum est habenda ratio. Nec quisquam prudens maiorem laborem molitur, quàm cui ferendo idoneus est. Onus ergo viribus aptat. Cum laborem dicimus,eas exercitationes demonstramus, quæ per se ita sunt duræ,vt nihilominus volenti, suamque incudem assiduè tun-

tundenti denique faciles fiant. Nam nimij labores vel amplissimos honores sæpissime redderent ingratos, si non vt intendi, sic lentescere & minui possent. Ij ergo tantum suscipiendi, quibus natura assentiatur, non quibus reluctetur. Verendum quoque est, ne è nimia assiduitate laboris oriatur aliqua hebetatio & langor animi, cuius denique impetus frangeret. Id quod omni ope vitandum. Labori, vt è supradictis palam est, exercitatio proxima est. Imò labor nihil ferè aliud est, quàm ipsissima exercitatio, quæ omni operi serio præire debet, ne in ipso opere trepidetur. Athleta priusquam consistat in stadio, quid valeat, quid non, imagine veri certaminis experitur, ne in vero certamine exterreatur. Ipsa bella dici possunt exercitationes, à quibus sunt exercitus nuncupati. Etsi hostis non est in conspectu, nō tamen intermittuntur exercitationes militares. Sudare militem volebat Cyrus, & priusquam cibum sumeret, exerceri. Vsque adeò virtus disciplina, meditatione, exercitatione constat. At illa omnium exercitatio est optima, quę quàm proximè accedit ad illud opus cuius causa suscipitur. Multi vt hoc illudue præclarè agerent sæpe tentando sunt assecuti. Prope extinctus animi vigor exercitatione excitatus totum sæpe hominem recentauit. Ergo non diuturnitate muneris, sed assidua rerum exercitatione, peritia quæritur, illa quæ & publicè & priuatim salutaris est. Hinc quoque perspicuum est, quàm omnes damnosissimæ occupationes sedulò sint vitandę, eas dico quibus nimio plures otium suum oblectant. Huius notæ illi sunt, quibus vita dies noctesque per aleam agitur, qui lucrum deuijs itineribus, ac, prope dixerim, natura obluctante sectantur, perinde ac si nulla seria res adsit, qua honestè & vtiliter occupari possint, sitque accersendum negotium futile, trepidum, damnosum, in quo denique hoc aleator assequitur, vt per frequentia mendacia & periuria sępiùs rem suam perdat, quàm alienam auferat. Quæ tamen desidiosissima occupatio non modò rem, sed & spiritus exhaurit, omniq; honestæ intentioni, ac studijs seuerioribus inhabiles reddit & imprómptos.

CAP. LI.

Fortitudinem, easque virtutes quæ ei adhærent, sequitur liberalitas, siue benignitas & beneficentia.

MVLTA fortitudini, constantiæ, patientiæ, magnimitati est affinitas cum eiusdem spiritus virtute ea, cui nomen liberalitas, beneficentia, benignitas. Liberalitas est virtus, cuius monitu beneficia bene collocantur, inter prodigalitatem & auaritiã media. Liberalis est is, qui cuique pro dignitate, proque modo facultatum suarum libenter & prudenter gratificatur. Libenter dico & prudenter, quòd huius virtutis duo sũt veluti fontes, propensa in quempiam voluntas, & verum iudicium. His benefaciendi facultas accedat necesse est, quia hæc virtus voluntate, iudicio, re consummatur. Quæ tria simulatque coëunt, tum verò omnis benignitatis ratio constat. Beneuolentia præit iudicium sequitur, vtrumque re asseritur. Beneuolentia dare suadet; iudicium docet qua ratione, quando & cui quidpiam largiaris. Ergo liberalis non se spectat, sed alium. Scilicet hoc nomine indignus est is, qui, siquid benignè facit, id sua causa facit. Nam quisquis pro munere & beneficio gratiam exigit, non est beneficij dator, sed negotiator, atque adeò sordido aliquo negotiatore improbior, quòd illum, quem demeretur, facit ministrum cupiditatis, vtilitatisque suæ. Quę res huic virtuti potissimum aduersatur. Est enim liberalitas cõmune quoddam vinculũ, quo & beneficus & beneficio deuinctus astringuntur, nempe vterq; volens. Quocirca ab eo qui esse & haberi vult liberalis, primùm exigo vt animo sit beatior quàm re locupletior. Nec enim sola beneficiorum multitudine aut magnitudine, sed ipso potissimùm habitu datoris hæc virtus censetur. Qui habitus in eo consistit, vt homo liberalis nullo intuitu sui, sed alterius amore ad benefaciendum accingatur, nullum, inquam, suum emolumen-

tum

tum ſpectet, ſed alienum commodum. Quiſquis ita eſt animatus vix vllum monitorem moratur, ſed ſic putat, fieri poſſe vt ipſe aliquando aliena ope indigeat. Quæ animi inductio monebit eum vt ſe conſulat & conſcientiam ſuam, vt induat animum clementem & benignum, qui eſt ingenuus fons liberalitatis. Ergo liberalitas priùs exſtat in animo, quàm appareat in re, nec eſt negotium temerariũ, ſed voluntatis & bonitatis. Liberalis à nemine cogitur, ſed ipſe ſua ſe voluntate cogit. Atque adeò hanc ipſam voluntatem audeo vocare beneficiũ. Vſque eò vt, qui benefacere voluit nec potuit, etſi huius virtutis numeros nequaquam impleuit, huius tamen decoris nequaquam ſit expers. Tanti eſt vel ipſius imperfectę liberalitatis qualiſcũq; conatus. Certè ſola hæc animi excelſitas mortali indit ſimilitudinem Dei, qui quantus quantus eſt, beneficentia, benignitas, liberalitas, munificentia eſt. Liberalis ergo fungitur ipſo munere Dei. Vt enim id totum quod homo eſt diuini muneris habet, ita prompta liberalitate quempiam ſubleuare diuinitatis opus eſt. Et illa vera demum benignitas cenſenda eſt, quæ ſummum numen imitatur. Vt Deus nullius cõpendij gratia quicquam largitur, quòd nullius rei indigens eſt, ita beneficus nec ſua beneficia cuiquam expenſa fert, nec ſua cauſa talis eſt. Quippe intelligit ſe eſſe diſpenſatorem munerum Dei. Cui dignitati vix alia dignitas ęquari poteſt. Videtur enim Deus in illum multa meritò effudiſſe, qui magnæ ſortis eſt diſpenſator animoſus. Deus itẽ beneficiis ſuis nullum addit lenocinium verborum, multoque minùs ea prædicat in contumeliam accipientis, aut, vt ſolent homines, in oſtentationem ſui. Ad hoc exemplum liberalis, omni amoto fuco, omniq; excuſſa iactatione, beneficentiam ſuam vult apparere nitidam, ſimplicem, diuinæ imitatricẽ. Nam qui ea quæ benefaciunt, debuccinant, non alienæ indigentiæ ſubueniunt, ſed ſuæ laudi ſeruiunt. Quapropter vt liberalitas omni mercede vacare, ita ab omni inepta & improba oſtentatione vacua eſſe debet; potiſſimùm quoties infirmitati, egeſtati, ignominiæ ſubuentum eſt. Pulcherrima ergo ea liberalitas eſt, quæ quàm efficaciter iuuat, tam amanter rem omnium ſilentio premit. Dat afflicto ſalutem, ſed mutuam, nõ oſtentatricem, ſed in ſeſe collectam, & ex omni parte tectam. Illum ipſum cui prodeſt,

si fieri potest,fallit,vt vehementior apud ipsum sit sensus eius operæ quæ ei præstita est,vt inexpectatæ,vt is plus farinæ sibi quàm verborum datum intelligat.Planè liberalitas est negotium gratuitæ cuiusdam voluntatis,sic dicta quòd ab animo libero proficiscitur,id est,nulla spe lucri,aut alicuius gloriolæ occupato.Nam ipsum benefecisse beneficio ampla merces,proque omni laude est. Et qui benignè fecit,de aliena tenuitate subleuanda,non de beneficio recipiendo,aut se ornando cogitauit.Ea re benignitas dicitur esse gratificãdi liberalis voluntas,cui pro omni fructu propositum est officium. Et beneficium illud est quod ita datur,vt reddi possit,non possit. Benignitatis affectus & effectus non possunt esse nisi ingenui & similes virtuti,quę tota est beneuola,hilara, obuia,spontanea ,palam ambulans, tota eius gaudij particeps quo alios perfundit. Liberalitas nunquam fidem accipientis,sed necessitatem spectat. Hãc subleuat, illam non cogit. Denique dando,aliaue ratione opitulando nihil vltra cogitat,quàm vt det, opituletur, nullis sordium adstricta vinculis. Quin, quod ipsa beneficium dedit aliqua ratione recipere,quodammodo iniuriam putat. Huius beneficæ virtutis duplex est ratio. Nam indigenti aut opera subuenitur aut re.Nimirum vt sunt mores tanti est,ex arca aliaue re familiari sumere quo alium subleues,atque ei alacrem operam præstare. Nisi fortè opera sit prorsus gratuita, & omnino plus accipientem adiuuet quàm ipsa pecunia. Vt si quis in iure caueat, aut ita quempiam consilio iuuet, vt eâdem eum damnis & periculis eripiat.Enimuero ea demum benignitas est lautissima quę è propria substantia,& ex opera constat.Quæ etsi de hac virtute compendio dici possunt,tamẽ eum propiùs designabo quem liberalem voco.Nec verò facere quæ debeas,aut scelere abstinere,aut benignè faciẽdo ei obesse potiùs quàm prodesse quẽ subleuatum cupias,est liberalẽ esse. Fatemur quidẽ omnes viri iusti actiones dici posse beneficia.Nihilominus tamen dicimus proprium liberalitatis insigne esse, eximium aliquid & extra ordinẽ illi præstare quẽ adiuuãdum susceperis, illud ipsum non quod tibi collibitum fuerit,sed quo ille opus habeat. Et in hoc potissimùm ratio, iudicium,circumspectio versantur.Deinde illud sciendum, hanc virtutẽ è suis sacris & sanctissimo comitatu arcere illos

los omnes,qui non ſunt contenti ſuo,qui ſunt oppido pauci.Nec verò is qui alieni raptor eſt, dare alij id quod ſuum non eſt, poteſt. Nullum munus accipientem, ſi probus eſt, delectat quod alij ereptum intelligit.Ergo ſine cuiuſquam detrimento beneficus id benefacere quod facit, debet. Qui item largiendo ſuam rem familiarem exhaurit, is ſibi prius iniurius eſt quàm alij proſit. Hac ratione tam præpoſtera benignitas omnem veræ benignitatis exhibendæ facultatem extinguit. Nullus ergo prudens largè dat, cui non abundè ſit vnde det. Donare eſt lagiri de ſuo,non de alieno. Aliena donationibus effundere eſt ſua crimina oſtentare,& eorum acceptorem veluti quadam infelicitatis indagine impedire. In liberalitate facultas & diſpenſatio æqualiter incedunt.Neque quicquam eſt iuſtitiæ tam conſentaneum,quàm ita liberalitatem exercere, vt ea noceat nemini, ac ne ipſi quidem liberali, cuius res, fama,exiſtimatio agitur.Non item liberalibus annumeramus eos,qui largitione,maliſque artibus eorum, quos imperio regunt, beneuolentiam conſectantur. Hæc enim ratio reddit hos nequaquam datores,ſed præbitores & corruptores,ipſique talium largitionum acceptores hinc fiunt deteriores. Cæterùm quia liberalitas eſt opus beneuolentiæ, ſemper eſt obuia honeſtis deſiderijs,eumque,qui liberalis ſit, nec vrgeri,ac ne rogari quidem patitur. Si tamen homo liberalis rogatur, hinc putat de ſe experimentum ſumi an ſit is, cuius votis Deus annuere poſſit.Si totum neſciuit,non mirum eſt rogari eum. Si aliquid tantùm,non omnia reſciuit tunc ſibi innui,ſe moneri gaudet. Tunc non tam rogatus dat,quàm vltro beneficium offert. Sic omnem rem putat, ſola petitione de gratia liberalitatis multùm defringi. homini ingenuo nihil eſſe intolerabilius quàm alij ſupplicare,eique ſua operta vulnera denudare. Quippe ſiquid ita impetratur,id impenſo pretio emi creditur. Nihil grauatè nihil operoſè liberalitas agit.Nihil dat manu lenta ac tarda,ſemper officioſa & prompta. Moras neſcit, omnes procraſtinationes compendi facit,omnes difficultates & moleſtias amouet.Cur cenſes Gratias dici celeres? Quia quoties benefaciũt,eorũ deſideria prçueniũt, quibus auxilio & beneficio opus eſt.Illi,qui cupit eſſe beneficus &liberalis,prçcipuè cauendũ eſt,ne ſub ſpecie benignitatis in inconſultâ

facilitatem prolabatur. Ergo benefaciendum quantum acceptori satis est. Tam enim in vitio est, liberalitatem superfluere, quàm mancam & imperfectam esse. Maiorē partem videas non alijs dare, quàm ijs qui maximè redonare possunt, & à quibus ipsi plurimum sperant. Eò denique hoc largiendi genus recidit, vt ibi, omni benignitate detrita, sola appareat fraus, & quidem nunc hamata, nunc viscata, quæ quicquid tetigit, refert. Hi illi sunt, qui de suo paucula promunt, vt aliena inuncent, hoc detestabiliores, quòd sordibus auaritię mersi liberalitatis famam aucupantur. Huius fere generis sunt nescio quæ mendicabula hominum genera, qui sub improba specie liberalitatis magnificè sese æruscando inferunt. Paruula donant vt auariter magna corripiant, & ita sunt liberales, vt eædem sint raptores alieni. Verè liberalis in eos potissimùm beneficia confert, qui reddendis sunt impares, etiā in alienos & ignotos eos potissimùm quos aliqua calamitas oppressit. Huius generis sunt ij qui venerunt in potestatem prædonum, qui æs alienum dissoluere, qui filias collocare nequeunt. Christiana pietas docet eum, qui egentem munificat, ipsi Deo fœnerare. Humanitas omnibus cuiates illi sint, opitulandum suadet. Nullus homini homo est alienus. Omnes naturali quadam societate coniunguntur. Si tamē placet ab illa infinitate discedere, adsunt propinqui & cognati, ij omnes inter quos est arctior quædam colligatio. Nam si sunt egentes, sustentandi, si prostrati, erigendi, si afflicti, eis admouenda solatia; dummodo sint auxilio digni, quibusque beneficium placeat. Quippe summopere cauendum, ne indignos & beneficium aspernantes, eosque quos egere satius esset, vlla benignitate complectamur. Talibus adesse est se eorum similem profiteri. Malo benefacere, inquit ille, tantumdem est periculum, quantum bono malefacere. Et verò cùm liberalitas amicitias paret, nullaque sit nisi inter bonos amicitia, bonis tantùm hæc virtus patet. Porrò si quid merentibus benefit, non hos tantum lætificat, sed & omnes eiusdem sortis homines. Quod illi fuit res, hoc alijs incipit esse spes. Et beneficium bene collocare, est sibi omnes bonos deuincere, non solùm propinquos, sed longiùs positos. Vix dici potest quantùm liberalitas pulchrescat si se ei opportunitas & occasio comites addunt.

addunt. Egenti in occasione subuenire est beneficium cõduplicare. Post velocitatem occasionis est & intempestiua & ingrata virtute velle censeri. Nec ferè liberalitas talis est, si non præcipuam sumit ab occasione commendationem. Occasio ipsa prudentium consilia sæpe superat. Pauper & infirmus si modò occasionem benignè faciendi aptus est, potentibus & felicibus tunc quidem annumeratur. Occasione omnia bona continentur. Quidam dum student dici liberales sua beneficia peruersitate quadam destruunt. quibus magna tribuerunt, his postea parua negant. Si vlla re, certè perseuerantia liberalitas censetur. Qui mihi in magnis rebus obtemperasti, inquit Hercules ille Sophoclæus, si in paruis restiteris; omnem gratiam effuderis. Postremò ea verè liberalitas est, quæ nullius beneficij exprobratrix est. Exprobrare est humanitatis & beneuolẽlentiæ iura soluere. Id quod apud generosos est intolerabilius quàm ipsa rei præstitæ exactio.

CAP. LII.

Liberalitatis germana est Magnificentia siue munificentia. Cui virtuti aduersatur Illiberalitas.

LIBERALITATE quilibet censeri potest, cui modò benignè faciendi voluntas & facultas adsit. Verùm magnificentia siue munificentia est propria virtus nobiliorum, opulentiorum, potentiorum, denique eorum omnium, quorum magnitudo cæteros supereminet. Liberalitas & magnificentia cætera similes hoc discrepant, quòd illa potest versari circa parua, hęc nonnisi in magnis & luculentis. Vt illi, cui domi res est haud magna, non denegetur vt possit esse liberalis, certè magnificentiæ & munificentiæ laudẽ ille vnus assequitur, cuius opulentia spectabilis est. Etsi nemo est magnificus quin eâdem sit liberalis, non tamen quilibet liberalis excelsum attingit munificentiæ, seu magnificentiæ decus. Hoc vnis illis sepositum est, quorum opes

quòd sunt amplæ, inde largè & munificè pro mi potest, vt quibus maior est benefaciendi potestas, huius tantæ virtutis effectus latiùs extendant. Quæcunque de liberalitata exposita sunt magnificentiæ conueniunt. Nec verò aliud est magnificentia quàm liberalitas, quæ sese prodit in aliqua re maiore, editiore, lautiore, luculentiore. Ideoque hæc virtus dici potest rerum magnarum & excelsarum agitatio susceptioque. Ergo magnificus & munificus est is, cui est amplum quoddam & splendidum propositum ea suscipiendi & præstandi quæ homines admirentur vt rara & insolita; Qui in re magna est magnus. & quantæcunque fortunæ capax, qui pro sua dignitate ac magnitudine in res magnas, ac ferè publicas alacriter confert eos sumptus, quibus magna & inusitata peraguntur, Huius generis sunt popularium munerum apparatus, editiones ludorum & spectaculorum, lauticia epurum, denique quicquid homines rapit in admirationẽ sui. A viro magnifico exigitur vt sit moribus luculentis, veste nitidus, intra tectum pretiosa suppellectile circumfusus, cuiusmodi memoratur Arcesilaus Philosophus, qui in epularum lætitia poculis aureis vti solitus fuit. Hinc enim cætera fuisse comparia conijcere licet. Vir magnificus fabricarum decori seruit: earum exquisitiorem materiam, aut suspiciendum aliquod artificium imitari & vult & potest. Sensibus est ornatissimus; propter externa decora apud aspicientes commendatissimus, vbique ostendit se parem opibus. Templa condit, eaque opulentis donis ornat, fora, porticus, ambulacra, inscriptiones publicè donare audet. Splendore familiæ, & opum magnitudine fretus nihil instituit nisi ad normam decori, quod non solum consistit in occasione & opportunitate, sed in aurea illa mediocritate, cuius modum scire, est altus ad sapientiam gradus. Certè in ipso singularis quædam elegantia eminet, cui adest pondus iudicij. Hinc excitatur ad homines ijs beneficijs ádstringendos, quibus quisque opus habet, & quæ quisque sustinere potest. Prostratos erigendos suscipit, innocentiũ paupertatem leuat, horũ studijs nihil abnuit, subito & grauiori casu perculsos recreat, ipse nullam nisi è malefactis calamitatem pertimescit. Hic ipse proletario sermone semper abstinet, omnem stolidæ orationis

tionis iactantiam ita fugit, vt eâdem verborum nitore sit conspicuus. Nunquam hic est lautus, illic sordidus, non hic benignus, illic parcipromus, sed in omni re, quam suscepit, æqualis. Si rex aut princeps est, populorum inopiam sua moderatione subleuat, prout res postulat, ærario aut fisco debita minuit aut remittit. Quem vniuersi locupletant, huius beneficia in vniuersos manant, orbe quodam socialitatis omnes homines ambit. Non aliter æquitati locum esse putat, quam vt plus reddat quàm accepit, vsque eò vt, nonnisi in hac inæqualitate æqualitatem intelligat. Et verò cuius tyrannidis esset, tam multa, tam magna, tam frequenter accipere, & omnino nihil reddere, aut reddere sine aliquo fœnore? Quid ita apud principem tantum opum reponatur nisi vt is imitetur Oceanum, qui vt sua immensitate vndique exceptas aquas regerit in ea loca vnde emerserunt, ita ipse omnium tributa in omnes refundat? Ne sol quidem humorem vi sua in sublime erectum, ibique collectum sibi seponit. Nam cui rei? sed vt quod abs terra accepit terræ munificentiùs reddat, easque tempestiuis imbribus irroret. Sunt ergo principi opũ aggestus non materia contumeliæ, superbiæ, luxuriæ, non alimentum auiditatis interminæ, sed perennis fons benignitatis humanissimæ. Vniuersi principẽ habent præcipuo cultu propemodum vt alterum in humanis induuiis Deum. Cur censes? nempe vt sequatur Deum, qui priùs est optimus quàm maximus. At optimus signat beneficentissimus. Cuius excellentissimi status effectus hi sunt, vt sit innocens, hominũ peccata toleret, beneficia in omnes dispergat. Hęc tria diuina munia princeps in sua persona repręsentare debet, si modò vult esse, ac dici in terris exscriptus quidam Deus. E tribus hoc vltimum asserit illa duo superiora, siquidem beneficiis humanum genus circumfundere propemodum est agere Deũ. Nihil ergo tam regna sublimat, quàm regia munificentia imitatrix diuinæ. Benignitas mea (verba sunt Augusti) me ad cœlestem gloriam effert. Et bonus rex non tam suum putat id quod vndique accepit, quàm id quod plurib. dedit. Quippe largitio principis est in hominum animis abstrusus thesaurus, nedum eum pauperiorem sua reddit munificentia. Ardentia vniuersorum erga principem studia, is est ei iugis prouentus, & opes cumu-

ve exiguo munere delectatur magnificentiam suam cumulat laude frugalitatis. Vt munificentia quodammodo cogat homines ad suspectum culminis principalis, hæc ei addita comitas ad eius amorem vniuersos compellit. Et quicquid rex tam modestè & moderatè facit, id non tam aliis largitur quàm sibi. Etsi magnificentiæ & munificentiæ is modus esse debet quem liberalitati præscripsi, tamen & clariora & vberiora encomia principi surgunt, si interdum magnitudine largitatis vincit iudicium suum, si non singula minutiùs expendit, sed & clausis quodammodo oculis, & largiori manu ipse supergreditur exempla sua, nihilque aliis quod det, relinquit, nisi, quod aiunt, cœlum & cœnum, si est vt hac ratione vniuersorum desideria, & bonorum gaudia expleri possint. Hic verò principi semper est magnificum, officiosa festinatione hominum vota prçuenire, neque id quod publicè est necessarium, pati esse serum & intempestiuum. Id quoque monendus est princeps, ne amara & ingrata munera ingerendo munificentiæ nomen & laudem captet, amore beneficia, non terrore censeri velit, ea collocet, non obtrudat. Nam quod quispiam inuitus accipit, non est munus, sed iniuria. Nec verò ipsa gratia grata est, quoties onerat potiùs quam honorat. Hoc sensu poëtæ dicunt, Iouem non esse boni malique largitorem, sed boni tantùm. Magnificentiæ & munificentiæ causas oportet esse veras, quò tantæ virtutis gratia possit esse diuturna. Quapropter, vt de liberalitate dixi, magna & luculenta beneficia non in alios quàm in probos ac de Repub. optimè meritos conferri æquum est. Ea demum est vera munificentia, quæ quò sæpiùs regustatur, hoc vehementiùs placet, cuiusque sensus fit amplior & prolixior. Apparet ergo hac laude indignos esse eos, qui dum volunt videri munifici, è continuo difficultatum nexu commendationem captant, nec impetratæ rei gaudia cuiquam exhibent, nisi quem prius longo tçdio enecarint. Qui terunt aulæ limina nequaquam nesciunt quam spinosa semita illic iri ad honorum fastigia possit, & quàm impenso pretio nescio quid ematur trepidæ spei. Omnes ibi ore sunt blandi, vix quisquam re benignus. Vtinam reges cum suis proceribus intelligere possent quanta sit occasionis gratia, quantumque suis muneribus

procrastinationes detrahant. Vix quoque vllos regia munificentia temporis,rerùmve terminos nôuit. Amat homines demereri beneficiis nullo fine circumscriptis. Nulla item se leuitate destruit,quæ firma,solida,vbique sui similis est. Se potiùs subinde renouat,pulcherrimis exemplis priora cumulat,ea identidem sic ordinat,vt perenne fluat, atque in seram posteritatem propagentur. Rex vt alias virtutes, ita hanc potissimum non priuati alicuius sensu, sed sola metitur magnitudine animi sui. Alexander Anaxarcho Philosopho iusserat dari quantum is postularet. Ibi dispensator regius,At,inquit,petit centum talenta.Preclarè facit,inquit Rex,qui scit se habere amicum qui talia dandi facultatem & voluntatem habet.Hoc sanè est,beneficium iteratò date, & laudem munificentiæ magnanimitate & constantia cumulare.Regius animus sic censet,sibi flagitiosius esse munificentia vinci quàm armis.Cæterùm nullum rex magnificentiæ genus maius promere potest, quàm si se totum Reipub.commodis largitur, se inquam, virum bonum,strenuum,eo loco dignum.Huic tam regię virtuti aduersatur μικροψυχία,siue μικροπρέπεια,illiberalitas, ipsæ sordes,quas non solùm infimæ sortis homines,sed & ipsi principes persæpe contrahunt. Maiorem partem aut nihil cuiquam benefaciunt,aut si quid more & consuetudine largiendum est,id tale est, vt nemo inde discedat auctior,nemo lætior. Si quid in res necessarias impensæ factum est,id imperfectum malunt esse, quàm quod reliqui sumptus est,perficere,quamuis necessarium & minimum. Illi ipsi in res exiguas, quæque sunt nulli vsui, sæpe plura impendunt,quam in magnas & optimas pauca. Nulli nec decori nec honestati seruiunt. Tunc tantùm ipsis bene est cùm contrahenda manus est.

CAP. LIII.

Liberalitati simillima est hospitalitas,cui contraria est inhospitalitas.

SI virtus, vt sapientibus placet, benefaciendi vis est, necesse est eas virtutes plurimi fieri quæ id nullo circuitu præstant. Hac nota insignes incedunt

dunt illæ, quas proximè memoraui, inter quas locum sibi vindicat hospitalitas nequaquam virtutum vltima. Hospitalitas est amicitiæ species, siue arctior quædam duorum, pluriúmve coniunctio, mutuumque fœdus, quo illi consociantur, quorum cùm alter domi, alter peregrè sit, hic se totum illius fidei credit ad quem diuertit. Hunc morem putissimus quidam humanitatis instinctus vel ab ipsis humani generis incunabulis induxit. Hoc duce & præmonstratore vbicunque quisque constitit, ibi se tutò & honestè versari posse intelligit. Hospitalis homo, atque adeò ipse hospes est is, qui proprias ædes, & quicquid suum est hospiti æquè patere vult atque ipse sibi. Priscis quidem sæculis quanti hæc virtus fuerit, hinc datur intelligi, quod collocata est inter eas quæ assident Ioui, qui ξένιος hospitalis ea re dictus, quod in suam tutelam accipit hospites, eiúsque benignissimo numine fit, vt hospiti hospes sit acceptissimus. Ergo hospitalitas id præstat, ne vlla terra, ac ne vlla quidem domus vlli peregrino sit aliena, in qua, videlicet, illi qui peregrè est, non solùm licet esse inuiolabili, sed & honorato. Hospitium est tutissimum peregrinanti diuersorium, & iucunda, quamuis temporaria, commoratio. Hoc ipsum ius hospitij est singularis cuiusdam humanitatis vinculum, quo omnes boni libenter adstringuntur. Nec vllus est corde tam ferreo, cui non hunc nobilissimum affectum natura indiderit sicuti characterem, siue bullam eius nobilitatis, qua dempta, homo hominem exuit. Quapropter cuiuslibet sortis homines, qui modò essent probi, hoc beneuolentiæ genus comiter coluisse constat, vel iam inde à primis sæculis, illis quæ syncerissima quadam morum puritate censebantur. Nec verò solius opulentiæ, sed & ipsius tenuitatis prompta omnibus ætatibus & expedita extitit hospitalitas. Pauper hospiti refocillando promptè ignem accendit, haud segniter è penu, priusquam expectes, inemptas & simplices epulas expromit. Quicquid est in suo paupere censu alacriter cum hospite communicat. Eumæus à poëtarum summo effigiatur seruus & pauper. Ab hoc tamen Vlysses humaniùs exceptus est, quàm ab iniuriis illis, superbisque procis, atque adeò ab ipsa Penelopa, quæ humanitate

tam obuia inferior hoc bubulco reperta. Nam quod hic præstabat, ipsa se facturam pollicebatur. Hospitalitatis proprium est, nihil ne in horam quidem differre, nec spem facere, sed illico rem exhibere, hoc est, beneuolo affatu, & comi inuitatu promere affectum plenissimum studij, tum officiosis, spontaneis & subitis præbitionibus aduenæ se talem ostendere, qualem quisque, si eo loco sit, sibi hospitem esse cupit. Filia Cleobuli, eius qui & sapiens dictus, & Lindiis imperauit, paternorum hospitum ipsos etiam pedes lauare solita fuit. Pari comitate ipsi Angeli interdum a nescientibus hospitio sunt excepti, atque vt si essent mortales, insigni humanitate culti. Hæc ipsa hospitalitas Abrahamum fecit, si non conuiuam, at certè contubernalem Dei. Nec verò hospiti vt mensæ particeps assedit, sed vt minister adstitit. Vt enim conspexit hominem peregrinum, oblitus est se esse suarum ædium dominum, nisi in hoc vt nesciens rerum dominum domi suæ exceptum apud hospitalem mensam collocaret. Enimuero priscis illis innocentioribus sæculis errones & peregrini iis erant sancti & venerabiles ad quos accesserant. Sic putabant, ab Ioue esse omnes hospites & egenos. Nec illi primæuæ humanitati vllus homo fuit externus, nullus item contemptui vt mendicus. Deos credebant specie peregrinorum, hominum cœtibus de improuiso interuenire, eosque sub talibus personis attentè inspicere in vitas hominum, & fideliter Ioui referre qua quisque innocentia ætatem exigat. Inde oculus hospitis dictus est esse lucidissimus, rerumque omnium explorator acerrimus. Ea re vel deterrimus quisque sibi indixerat qualemcunque hospitem vereri, ne, si non faceret, non hominem contempsisse, sed aliquod humana specie numen læsisse videretur. Sequutis ætatibus inter ipsas ciuitates, inter vrbes, interque potentiores & illustriores homines hospitalis, siue hospitij tessera commeare cœpit, quæ fuit coniunctio dexterarum. Huic hospitalitati veluti signifer, præibat insigne aliquod officium quod eam electabat. Cui rei documento est is Tisimarheus, qui cùm apud Liparas esset in summo magistratu, legatos Romanos à prædonibus Liparensibus captos, dato eis nauium præsidio, Romam hospi-

ſoſpites reſtituit. Ergo hoſpitium cum eo S.C^to^ eſt factũ, donaque publicè miſſa. Hæc dona vocabantur hoſpitalia munera, in ipſo ferè aditu aduenienti hoſpiti dari ſolita. Atque adeò dare hoſpiti xenia, eſt illum in fidem recipere receptum omni ope copiaque tueri. Hinc leges quædam hoſpitales extiterunt, cuiuſmodi apud Leucanos illa, Qui peregrinum hominem rogantem ſub ſolis occaſum tecto non exceperit, pœnas luat inhoſpitalitatis. Tum hæc, Peregrinis tantum & hoſpitibus, non item ciuibus liceat appellare aliam ciuitatem. Cæterum nulli homini fas fuit hoſpites violare quacunque de cauſa quopiam adueniſſent. Quin, vt cœpi dicere, & ab iniuria prohibiti, ſemperque ſancti ſunt habiti contra quàm nunc fit. Vix hodie hoſpes ad hoſpitem diuertit, quin, ſi ibidem biduum continuum fuerit, iam ſit odioſus, quin deterrimus plerunque è familiaribus murmuret, quin materfamilias adſit oblatrix. Quid? publicè peregrini iam diu ſunt contemni cœpti. Audire & videre coguntur multa implacida, & non mediocres quandoque contumelias pati. Tam enormi ſpatio diſceſſum eſt ab illa priſca hoſpitaliſſima bonitate. Hæc enim quantum fuit gratuita, tantum hodierna cauponaria facta eſt mercenaria. Hoſpes ante limen palpo percutitur, vt ſuſceptus non paruo argento emungatur. Iamdiu hoſpitalitas eſt venalis. Nam & publicę vię vltro citroque commeantium agminibus à ſummo mane vſque ad veſperam perſtrepunt. Nec ferè peregrinos iam licet diſcernere ab incolis. Atque adeò quantum eſt peregrinorum, tantumdem cenſetur eſſe ſpeculatorum, qui cum alienam domum venerint, quicquid ibi geritur, ſcrupuloſè rimantur, vſque eò curioſos audaceſque oculos quocunque libet, circumflectunt, nempe vt illa aduertant, quæ hoſpiti & peregrino nequaquam fas eſt ſcire. Quin & multi Paides polluunt iura hoſpitij, quibus ſtigmata inuri par eſſet, atque adeò Aureliani edicto incuruatis arborum ramis alligatos diſcerpi. Ergo publicè & priuatim tantùm non prorſus obliterata hoſpitalitas ſummo huic ætati dedecori eſt. Vix vnquam vlla humanitate, multa potiùs inhumanitate, ac pari fraude inter hoſpites certatur. Enimuero pietatis & prudentię laudem non mediocrem adeptus eſt Zopicus ille, qui vtiã nato & roborato huic malo obuiã iret,

publicè alendi peregrinos optimam rationem instituit. Quippe ædes ædificauit, ad quarum exemplum omnia dein hospitalia, ab re desumpto nomine, constitui cœpta, quibus nomen νοσοκομεῖα valetudinaria, & πτωχοτροφεῖα, vbi aluntur pauperes, præcipuè peregrini, & γεροντοκομεῖ, vbi senes curantur, aliique inualidi & insanabiles. Redeo ad rem, & aio, Vetustissimum præceptum esse, Hospitem ne violes, Custodiam capitis eius ne dimittas, ne, siquid is tua culpa iniurię patiatur, in te exardeat ira diuina. Hoc quoq; priscæ fabulæ non obscurè loquuntur. Cùm Cyclopis hospitale munus esset, vt cui ex hospitibus maximè faueret, hunc postremum glutiret, Vlyssis solertia huic immani portento oculus est effossus. Nam Iupiter hospiti supplici semper adiutricem manum promptè porrigit. Amycus violatæ hospitalitatis graues Polluci pœnas dedit. Ingens illa Beniamitarũ & Gabaonis clades fluxit ab hoc iure violato in hospite matrona. Paris ille omnium adulterorũ impudentissimus, priusquam malè periret, propter hospitium tam fœde violatum, patriã, quæ huic tanto sceleri impunitatem dederat, cædibus & incendiis deformari vidit. Huic ipsi ventorum vi in Ægyptum delato Proteus, non ille sophistes à Platone memoratus, sed is, qui in ea terra regnum possidebat, ne & ipse hospitalitatis iura in homine quamlibet impurissimo violaret, pepercit, edicto vt intra triduum ex iis locis abscederet, nisi hostis loco esse mallet. Apud Celtas grauius puniebatur is, qui peregrinum occidisset, quàm qui ciuem. Prisca existimatio fuit, in perpetua immũditia iacere illũ, qui in hospites iniurius fuit. Inhumanę cuidã & feræ genti nomen inditum Tauris, quòd ibi lex fuit, quæ Dianæ hospites iubebat immolari. Hercules atrocem illũ Busiridem, cuius hospites erant victimę, interimendo, illam barbaricam, & Ægyptiacam ξενηλασίαν vltus est. Contra, hospitalitas multis multa bona attulit, vt Admeto, cui Hercules vxorem Diis Manibus ereptam restituit, & Antenori, quem cladi Troianæ superstitem esse Agamemnon iussit, scilicet propter veterem hospitalitatem, qua ipse ac Theano vxor eius quosdam Græciæ proceres coluerant. Alcinoum hospitalitas hodieque non minus commendat, quàm Æneam pietas, Vlyssem sapientia, Aiacem fortitudo, Aristidem iustitia. Cæterùm communis illa significatio

tio hospitalitatis, quam supra tesseram nominaui, donec vterque hospes viueret, integra asseruabatur, pristinæ videlicet amicitiæ monitrix. Atque adeò à patribus ad filios, cęteramque posteritatem perueniebat. Nec sanè hospitum morte iura hospitalitatis extinguebantur. Cum illo prorsus dirimebantur, qui cùm factus esset hostis Reipublicæ, cum eo nihil fœderatum, nihil sanctum & consociatum esse potest. Nam prudentissimus quisque iura patriæ semper antepofuit hospitalitati vt priora & sanctiora. Ergo hospitalitatis tessera tali re constringi solita, eâdem ratione, qua cum homine impuro amicitia per epistolam soluebatur. Contrarium hospitalitati vitium est inhospitalitas, hoc est, animi quædam ægrotatio à metu, aut à rusticitate, aut etiam ab inhumanitate profecta, vehementi cuidam opinioni adhærens reiiciendum esse hospitem. Hac quisquis imbutus est, non solùm domi non excipit hospites, verùm etiam vrbibus vti prohibet, eosque exterminat.

Cap. LIIII.

Liberalitati quantum similis est prodigalitas, tantum ei est inimica.

PRODIGALITAS prorsus magnificè sese infert, propemodum vt si sit ipsa liberalitas. Nec personata incedit. Detrahe ei laruam, continuò deformitates eius apparebunt. Vtraque donat, liberalitas circumspectè, prodigalitas effusè ac nullo delectu. Liberalitati præeunt benignitas & prudentia, prodigalitati, sola intemperantia. Libetalitati semper est modus, prodigalitati nullus. Liberalis quoties quidpiam largitur, quamuis amplum & magnum, hoc ei maior est benignè faciendi voluntas & facultas. At prodigum, hoc est, capiti suo iratum & perdendæ rei natum vtraque protinus derelinquit. Certè prodigalitati, re imminuta, & fractis opibus, nullus restat fundus. Cùm Diogenes mendicans soleret petere obolum, à prodigo popofcit minam. Nam abs te, inquit, an rursus accepturus sim, id verò est in genubus Deorum. Homo liberalis semper suas facultates respi-

cit, At prodigus nihil vltra suam cupiditatem. Ergo homini liberali sua substantia est perpetua materia benignitatis, prodigo est occasio egestatis, Ex his conficitur, Prodigalitatem esse deprauationem mentis pronæ in effusionem propriæ substantię, rationis & iudicij perfugam, famę contemptricem, inconsultæ cuiusdam animi impotentiæ ferulem partum. Hoc tam informe dedecus mirum dictu quàm multa vitia comitentur, in primis luxus & intemperantia libidinum, quam multę deformitates consequuntur, quibus inquinatur is, quem spes omnes reliquerunt vt possit esse frugi bonæ. Sequuntur temeritas, rapacitas, insania. Luxus siue luxuria capitales cum frugalitate inimicitias exercet, dum sua populo diripienda spargit, & maxima maximorum patrimoniorum pretia consumit, nec alium opum fructum agnoscit quàm solam profusionem, cui gula plerumque adhæret. Vix enim vllus est prodigus qui non putet paterna & materna ventri suo quæsita, Ei ergo consilium est, omnia condere in abdomen, fieri lurconem & gurgitem, turpissimum rei degulatorem, quod fuit non fuit nepotinis sumptibus abligurientem, certè antesignanum eorum, qui patrimonijs dilapidatis denique proteruiam faciunt. Postremò iste, adesis bonis, excipitur infamia, cuius apud tales, tamque infestas charybdes nouissima voluptas est. Tam fœdis portentis comes est alea, quę de bonusculis vnciatim partis plurimum commordet, nēpe quantum satis est aleatori spoliando. Nam dum totus in ludo est, id perdit, quo amisso tanquam eiectus sedet, cælū suspiciens, & conquerens insaniam, miseriamque suam. Adsunt & fœdę libidinum prurigines, vnde frequentes iacturæ, valetudines, ac tot naufragia quæ fiunt apud vada meretricia. Certè decoctor est instar ficus in rupe pendentis, quæ, quòd eam nemo decerpit, relinquitur coruis pabulū. Sic prodigi exuuię sunt induuię gnatonum, aleatorū, luparum. Nec is interea timet pauper fieri, quem perennes comedonum, combibonum, collusorum parasitationes indies magis magisque infatuant, eoque præcipitem propellunt, vt nullo opus habeat hærede, qui sibi ipse est hæres. Hac ratione attritis opibus, tunc verò mirū est, quàm citò factus sit vappa, nebulo, scurra, mensarū & militis gloriosi assecla scutigerulus, prorsus desperatæ sortis homo. Tale memo-

memoratur fuiſſe illud par hominum impuriſſimorum Autocles & Epicles, Qui fœdiſſimo fœdere conſociati, nec aliud quam obſcæna libidinum mancipia cùm eſſent, denique omnibus in ventrem merſis, vitam & famam ſimul cum re amiſerunt. Huic pari propè ſimilis fuit ille ternio hominum flagitioſorum, Periclis, Calliæ, Niciæ, quorum ſinguli cùm è naufragio luculenti patrimonij proiecti eſſent ad ſaxa mendicitatis, ſibi inuicem cicutam propinantes è conuiuio ad Orcum protinus perrexerunt. Hi plerunque ſunt exitus prodigorum. Prodigum quoque dixi eſſe temerarium. Nam qualis ipſe plerunque ganeonibus & improbis eſt, hoc ipſum alios eſſe, nullo pudore æquum cenſet. Notos ignotos, bonos malos, dignos indignos nullo delectu, ſola tantùm improbitate fretus impudentiſſimis petitionibus fatigat. Adeſt & rapacitas. Quippe nemo vnquam nec ganeo, nec rei ſuæ profligator exſtitit, quin continuò factus ſit raptor alienæ. Quò is rapidiùs effundit ſua, hoc auidiùs & effrænatiùs manum admouet proximis. Certè quiſquis perdendo & profundendo tandem eget, nunc caſſa præſumptione, nunc manifeſta immoderatione alienis vt prædæ inhiat. Semper quærit vnde ſumptibus immenſæ voraginis ſuppeditare poſſit. His rationibus prodigi è ganeonibus fiunt latrones, vt quas opes per luxuriam, & omnia genera impuritatis amiſerunt, ad has improbiſſimis artibus recurrant. Sed eâdem mare exhauriant. Sperare enim quod profuſum eſt reuocari poſſe, prorſus eſt à ſe exire. Reſtat ergo infamia, quæ tale improbitatis mancipium denique excipit. Fundat licet prodigus verba interdum ſapientiam olentia, res eum ſemper monſtrabit, qualis eſt, furioſum. Nam quid aliud ſit inſanire, quàm rem ſuam per flagitium confringere, è mediis diuitiis euolare ad egeſtatem, eſſe in ipſa inopia luxurioſum, in luxuria audacem, in audacia ſacerrimum, in domeſtico, ſiquis ei reliquus eſt, ſplendore ſordidiſſimum, in media deſperatione ſpei immodicum, ab omni ſpe, ab omni virtute derelictum, omnibus vitiis coopertum, in omni flagitioſæ conſcientiæ dedecore volutatum? Hæc ergo eſt ſeries flagitioſiſſimæ prodigalitatis, vt primò incedat animus deprauatus, ſicuti anteſignanus, quem è veſtigio ſequitur profuſio, hanc illibe-

ralitas,sordes,egestas, denique rapacitas, immanitas, impietas. Nam quisquis suis rationibus inimicus est, huic quantum res familiaris quotidie oblimatur, tantum mala mens deprauatur. Quapropter cùm nihil sit quod suũ prodigus dicere possit, cùm per flagitia omnem maiorum quæstum contriuerit, cùm sibi suisque rebus ipse sit perditio, simulátque in aliquo hæc deprauatio animaduersa est, huic legum latores, Rerúmque publicarum moderatores, vt tanto malo, si fieri possit, medeantur, meritò bonis interdicunt, quibus frui, non abuti sub curatore possit. Prodigum Areopagitę, cúmque qui è re sua familiari nihil quo viuere posset, comparceret legibus causam dicere iubebant. Corinthi siquis largiùs & luxuriosiùs obsonaretur, interrogabatur vnde viueret. Si satis compertum esset, ei esse vnde sumptum illum sufferret, ei licebat qua cœperat, porrò pergere. Si plus sumptus faceret, quam sua res familiaris ferre posset, ei ne dein faceret, edicebatur. Si dicto obediens non esset, ei multa indicebatur. Si cùm nihil haberet, nihilominus sumptuosè viueret, carnifici mancipabatur. Alibi lege cautum fuit, vt, qui propria consumpsisset, patrij sepulchri exors esset. Hac ratione habebatur cuicunque res domestica à maioribus tradita non esset subsidium ad honestè viuendum, sed flagitiis disiiceretur. E supradictis palàm est quàm sint prodigalitatis effectus ferales & luctuosi, atque iis planè auersi, quos liberalitatis, magnificentiæ & munificentiæ, denique hospitalitatis proprios esse dixi.

Cap. LV.

Viro bono si quid benignè factum est, semper adhæret ea virtus, cui nomen Animus gratus.



IBERALITATEM & munificentiã, quamlibet spontaneas virtutes, mirum dictu quantum prouocet illa, cui nomen Animus gratus. Hæc scilicet, illa est, cuius ductu is qui beneficium

tium accepit eũ remunerat cuius ope subleuatus est. Gratus is est qui id quod gratis accepit gratè, libenter, sponte reddit. Hæc virtus Deum spectat & homines. Quæ gratiæ diuinæ bonitati debentur, has nulla cogitatio complecti, nedum vllus hominum cumulatè referre potest. Nunquã tamen mens humana erigitur ad suspectum Dei, quin benefactorum eius infinitam reputare cogatur. Perpetuus enim Deo debitor est homo. Nulláne ergo, inquis, gratia est quæ diuinæ bonitati rependi possit? Ergo in hoc omnes nascuntur, vt perpetuò sint ingrati? Ergo hominum contumelia diuinum numen id agit vt splendescat? Minimè verò. Est vnde tibi, ô homo, è mediis beneficiis Dei abundè surgat, quo ei gratiam habeas, ac propè dixerim, referas. Si sentis quid acceperit, si quanti fas est accepta estimas, si intelligis datorem tuum, si suspicis frequentiam & excellentiam munerum eius, si apud te intelligis esse nihil, quo cum cælesti bonitate paria facias, si hinc ad eius amorem & cultum vehementius excitaris, si ad pia vota confugis, si cupis non esse ingratus, tu verò iam ei gratiã habuisti, audeo dicere, retulisti eam, quam ipse habeat pro tali, imò pro vbere & fœneratã. Dic ergò Deo aut hæc, aut ea quæ sonent; O mihi tuæ benignitatis grauissimum, idémque gratissimum, pondus! vbi desinam? Num ego exsoluere possum tot difficiles nodos, quibus tua sacrosancta diuinitas adstrinxit animum meum? Ecquam tibi, domine, beneficiorum vicem rependam? Nimirum eam quę abs te ipso profecta est. Vsque eò hoc ipsum quod reddo tui quoque muneris est. Ergo omnem ætatem impendam colendis ac celebrandis muneribus tuis. Etsi satis intelligo, quàm hîc omnis oratio sit ieiuna. At tu ex hoc animo eam quoque gratiam metes, si id quoque dederis, quam tu habeas pro solida & perenni. Tu, domine, id suppliciter petenti præsta, veluti cumulum beneficiorum tuorum, vt ea tibi adlubescat. Quisquis ita est animatus, nonnullam re quoque gratiam se Deo debere intelligit, Non quòd vllius rei Deus indigens sit, sed documentum animi grati. Hinc est ille cultus Dei externus, de quo supra dixi. Hinc primitiæ ac decimæ Deo votæ, eique in sacerdotum personis oblatæ. Indidem sacrificia, & solemnes gratiarum actiones. Par propemodum, hominis aduersus hominem ra-

latissimæ, & extra omnes casus positę. Interitū nescit quicquid munificentia principalis indulget. Et boni principatus præcipua nota est, lata munificentia censeri, & qui miseri futuri fuerant, hos asserere inexpectatę felicitati. Quod sunt in aruo semina, hoc sunt in animis hominum regalia munera. Si conduntur & abduntur, ager horrescit, si ea maturè sparseris, in vberrimam segetem coalescūt. Summi loci homines minimè decet, pati se vinci ab agris, qui semina, fructu centuplicato, dominis reddunt tantùm culti & seminati. Ergo ditare magis est regium quàm ditari. Nulla opum possessio, sed sola largitio principem apud cunctos augustum reddit & inclytum. Huc adde, quod regiorum munerū ea vis est, vt nunquam videri possint exigua, semper habeantur pro magnis. Num nescio quid exiguū dicas illud quod à summo loco, summóque animo proficiscitur? Certè non minùs in paruis quàm in magnis frequenter eminet iudicium regię sublimitatis, cuius proprium est homines subleuare, ditare, sublimare. Prudenter ergo Homericus ille Patis Deorū dona non reiicienda dicit. Deos cùm dicit, eos dicit quos Deus eò loci sublimauit, vt sint diuinorum munerum dispensatores. Huc pertinēt illa præmia, quæ bonis, industriis, fortibus à principe seponuntur. Præmiis merita asseruntur. Sine his nullum magnum certamē suscipitur, his demptis, vix omnis conatus nō est irritus & inglorius. In aula Imperatoris Constantinopolitani luculentum munus fuit, cui nomen Administratio à memoria. Scilicet hic administrator describebat eos qui militię quidpiam fortiter fecissent. Horum nomina Imperatori subiiciebat, vt quem quisque honorem meritus esset, hoc honestaretur. Verum quoq; est, principem suæ largitatis inuitatu expellere auaritiam & sordes ab animis illorū erga quos est munificus. Huius item munificentiæ opus est, quoties viri principes mutua sese munerum magnitudine venerātur, sicuti virtutem suis insidentem culminibus inuicē suspectantes. Id quod laudatissimo exemplo fieri constat. In censu huius tam splendidæ virtutis est illa regia comitas, quæ non minùs libenter & alacriter capit parua, quàm donat ingentia. Hinc est admirabilis quædam multitudinis delinitio, quam nulla tenuitas arcet à conspectu principis. Certè is rex qui aqua manu hausta, aut malo Punico alio-

ve

ve exiguo munere delectatur magnificentiam suam cumulat laude frugalitatis. Vt munificentia quodammodo cogat homines ad suspectum culminis principalis, hæc ei addita comitas ad eius amorem vniuersos compellit. Et quicquid rex tam modestè & moderate facit, id non tam aliis largitur quàm sibi. Etsi magnificentiæ & munificentiæ is modus esse debet quem liberalitati præscripsi, tamen & clariora & vberiora encomia principi surgunt, si interdum magnitudine largitatis vincit iudicium suum, si non singula minutiùs expendit, sed & clausis quodammodo oculis, & largiori manu ipse supergreditur exempla sua, nihilque aliis quod det, relinquit, nisi, quod aiunt, cœlum & cœnum, si est vt hac ratione vniuersorum desideria, & bonorum gaudia expleri possint. Hic verò principi semper est magnificum, officiosa festinatione hominum vota præuenire, neque id quod publicè est necessarium, pati esse serum & intempestiuum. Id quoque monendus est princeps, ne amara & ingrata munera ingerendo munificentiæ nomen & laudem captet, amore beneficia, non terrore censeri velit, ea collocet, non obtrudat. Nam quod quispiam inuitus accipit, non est munus, sed iniuria. Nec verò ipsa gratia grata est, quoties onerat potiùs quam honorat. Hoc sensu poëtæ dicunt, Iouem non esse boni malique largitorem, sed boni tantùm. Magnificentiæ & munificentiæ causas oportet esse veras, quò tantæ virtutis gratia possit esse diuturna. Quapropter, vt de liberalitate dixi, magna & luculenta beneficia non in alios quàm in probos ac de Repub. optimè meritos conferri æquum est. Ea demum est vera munificentia, quæ quò sæpiùs regustatur, hoc vehementiùs placet, cuiusque sensus fit amplior & prolixior. Apparet ergo hac laude indignos esse eos, qui dum volunt videri munifici, è continuo difficultatum nexu commendationem captant, nec impetratæ rei gaudia cuiquam exhibent, nisi quem priùs longo tędio enecarint. Qui terunt aulæ limina nequaquam nesciunt quam spinosa semita illic iri ad honorum fastigia possit, & quàm impenso pretio nescio quid ematur trepidæ spei. Omnes ibi ore sunt blandi, vix quisquam re benignus. Vtinam reges cum suis proceribus intelligere possent quanta sit occasionis gratia, quantumque suis muneribus

procraſtinationes detrahant. Vix quoque vllos regia munificentia temporis, rerùm ve terminos nouit. Amat homines demereri beneficiis nullo fine circumſcriptis. Nulla item ſe leuitate deſtituit, quæ firma, ſolida, vbique ſui ſimilis eſt. Se potiùs ſubinde renouat, pulcherrimis exemplis priora cumulat, ea identidem ſic ordinat, vt perenne fluāt, atque in ſeram poſteritatem propagentur. Rex vt alias virtutes, ita hanc potiſſimum non priuati alicuius ſenſu, ſed ſola metitur magnitudine animi ſui. Alexander Anaxarcho Philoſopho iuſſerat dari quantum is poſtularet. Ibi diſpenſator regius, At, inquit, petit centum talenta. Preclarè facit, inquit Rex, qui ſcit ſe habere amicum qui talia dandi facultatem & voluntatem habet. Hoc ſanè eſt, beneficium iteratò dare, & laudem munificentiæ magnanimitate & conſtantia cumulare. Regius animus ſic cenſet, ſibi flagitioſius eſſe munificentia vinci quàm armis. Cæterùm nullum rex magnificentiæ genus maius promere poteſt, quàm ſi ſe totum Reipub. commodis largitur, ſe inquam, virum bonum, ſtrenuum, eo loco dignum. Huic tam regiæ virtuti aduerſatur μικροψυχία, ſiue μικροπρέπεια, illiberalitas, ipſæ ſordes, quas non ſolùm infimæ ſortis homines, ſed & ipſi principes perſæpe contrahunt. Maiorem partem aut nihil cuiquam benefaciunt, aut ſi quid more & conſuetudine largiendum eſt, id tale eſt, vt nemo inde diſcedat auctior, nemo lætior. Si quid in res neceſſarias impenſæ factum eſt, id imperfectum malunt eſſe, quàm quod reliqui ſumptus eſt, perficere, quamuis neceſſarium & minimum. Illi ipſi in res exiguas, quæque ſunt nulli vſui, ſæpe plura impendunt, quam in magnas & optimas pauca. Nulli nec decori nec honeſtati ſeruiunt. Tunc tantùm ipſis bene eſt cùm contrahenda manus eſt.

CAP. LIII.

Liberalitati ſimillima eſt hoſpitalitas, cui contraria eſt inhoſpitalitas.

SI virtus, vt ſapientibus placet, benefaciendi vis eſt, neceſſe eſt eas virtutes plurimi fieri quæ id nullo circuitu præſtant. Hac nota inſignes incedunt

dunt illæ, quas proximè memoraui, inter quas locum sibi vindicat hospitalitas nequaquam virtutum vltima. Hospitalitas est amicitiæ species, siue arctior quædam duorum, pluriúmve coniunctio, mutuúmque fœdus, quo illi consociantur, quorum cùm alter domi, alter peregrè sit, hic se totum illius fidei credit ad quem diuertit. Hunc morem purissimus quidam humanitatis instinctus vel ab ipsis humani generis incunabulis induxit. Hoc duce & præmonstratore vbicunque quisque constitit, ibi se tutò & honestè versari posse intelligit. Hospitalis homo, atque adeò ipse hospes est is, qui proprias ædes, & quicquid suum est hospiti æquè patere vult atque ipse sibi. Priscis quidem sæculis quanti hæc virtus fuerit, hinc datur intelligi, quod collocata est inter eas quæ assident Ioui, qui ξένιος hospitalis ea re dictus, quod in suam tutelam accipit hospites, eiúsque benignissimo numine fit, vt hospiti hospes sit acceptissimus. Ergo hospitalitas id præstat, ne vlla terra, ac ne vlla quidem domus vlli peregrino sit aliena, in qua, videlicet, illi qui peregrè est, non solùm licet esse inuiolabili, sed & honorato. Hospitium est tutissimum peregrinanti diuersorium, & iucunda, quamuis temporaria, commoratio. Hoc ipsum ius hospitij est singularis cuiusdam humanitatis vinculum, quo omnes boni libenter adstringuntur. Nec vllus est corde tam ferreo, cui non hunc nobilissimum affectum natura indiderit sicuti characterem, siue bullam eius nobilitatis, qua dempta, homo hominem exuit. Quapropter cuiuslibet sortis homines, qui modò essent probi, hoc beneuolentiæ genus comiter coluisse constat, vel iam inde à primis sæculis, illis quæ syncerissima quadam morum puritate censebantur. Nec verò solius opulentiæ, sed & ipsius tenuitatis prompta omnibus ætatibus & expedita extitit hospitalitas. Pauper hospiti refocillando promptè ignem accendit, haud segniter è penu, priusquam expectes, inemptas & simplices epulas expromit. Quicquid est in suo paupere censu alacriter cum hospite communicat. Eumæus à poëtarum summo effigiatur seruus & pauper. Ab hoc tamen Vlysses humaniùs exceptus est, quàm ab iniuriis illis, superbisque procis, atque adeò ab ipsa Penelopa, quæ humanitate

tam obuia inferior hoc bubulco reperta. Nam quod hic præstabat, ipsa se facturam pollicebatur. Hospitalitatis proprium est, nihil ne in horam quidem differre, nec spem facere, sed illico rem exhibere, hoc est, beneuolo affatu, & comi inuitatu promere affectum plenissimum studij, tum officiosis, spontaneis & subitis præbitionibus aduenæ se talem ostendere, qualem quisque, si eo loco sit, sibi hospitem esse cupit. Filia Cleobuli, eius qui & sapiens dictus, & Lindiis imperauit, paternorum hospitum ipsos etiam pedes lauare solita fuit. Pari comitate ipsi Angeli interdum à nescientibus hospitio sunt excepti, atque vt si essent mortales, insigni humanitate culti. Hæc ipsa hospitalitas Abrahamum fecit, si non conuiuam, at certè contubernalem Dei. Nec verò hospiti vt mensæ particeps assedit, sed vt minister adstitit. Vt enim conspexit hominem peregrinum, oblitus est se esse suarum ædium dominum, nisi in hoc vt nesciens rerum dominum domi suæ exceptum apud hospitalem mensam collocaret. Enimuero priscis illis innocentioribus sæculis errones & peregrini iis erant sancti & venerabiles ad quos accesserant. Sic putabant, ab Ioue esse omnes hospites & egenos. Nec illi primæuæ humanitati vllus homo fuit externus, nullus item contemptui vt mendicus. Deos credebant specie peregrinorum, hominum cœtibus de improuiso interuenire, eosque sub talibus personis attentè inspicere in vitas hominum, & fideliter Ioui referre qua quisque innocentia ætatem exigat. Inde oculus hospitis dictus est esse lucidissimus, rerumque omnium explorator acerrimus. Ea re vel deterrimus quisque sibi indixerat qualemcunque hospitem vereri, ne, si non faceret, non hominem contempsisse, sed aliquod humana specie numen læsisse videretur. Sequutis ætatibus inter ipsas ciuitates, inter vrbes, interque potentiores & illustriores homines hospitalis, siue hospitij tessera commeare cœpit, quæ fuit coniunctio dexterarum. Huic hospitalitati veluti signifer, præibat insigne aliquod officium quod eam electabat. Cui rei documento est is Tisimatheus, qui cùm apud Liparas esset in summo magistratu, legatos Romanos à prædonibus Liparensibus captos, dato eis nauium præsidio, Romam

ſoſpites reſtituit. Ergo hoſpitium cum eo S.C^to eſt factũ, donaque publicè miſſa. Hæc dona vocabantur hoſpitalia munera, in ipſo ferè aditu aduenienti hoſpiti dari ſolita. Atque adeò dare hoſpiti xenia, eſt illum in fidem recipere receptum omni ope copiaque tueri. Hinc leges quædam hoſpitales extiterunt, cuiuſmodi apud Leucanos illa, Qui peregrinum hominem rogantem ſub ſolis occaſum tecto non exceperit, pœnas luat inhoſpitalitatis. Tum hæc, Peregrinis tantum & hoſpitibus, non item ciuibus liceat appellare aliam ciuitatem. Cæterum nulli homini fas fuit hoſpites violare quacunque de cauſa quopiam adueniſſent. Quin, vt cœpi dicere, & ab iniuria prohibiti, ſemperque ſancti ſunt habiti contra quàm nunc fit. Vix hodie hoſpes ad hoſpitem diuertit, quin, ſi ibidem biduum continuum fuerit, iam ſit odioſus, quin deterrimus plerunque è familiaribus murmuret, quin materfamilias adſit oblatrix. Quid? publicè peregrini iam diu ſunt contemni cœpti. Audire & videre coguntur multa implacida, & non mediocres quandoque contumelias pati. Tam enormi ſpatio diſceſſum eſt ab illa priſca hoſpitaliſſima bonitate. Hæc enim quantum fuit gratuita, tantum hodierna cauponaria facta eſt mercenaria. Hoſpes ante limen palpo percutitur, vt ſuſceptus non paruo argento emungatur. Iamdiu hoſpitalitas eſt venalis. Nam & publicę vię vltro citroque commeantium agminibus à ſummo mane vſque ad veſperam perſtrepunt. Nec ferè peregrinos iam licet diſcernere ab incolis. Atque adeò quantum eſt peregrinorum, tantumdem cenſetur eſſe ſpeculatorum, qui cum alienam domum venerint, quicquid ibi geritur, ſcrupuloſè rimantur, vſque eò curioſos audaceſque oculos quocunque libet, circumflectunt, nempe vt illa aduertant, quæ hoſpiti & peregrino nequaquam fas eſt ſcire. Quin & multi Parides polluunt iura hoſpitij, quibus ſtigmata inuri par eſſet, atque adeò Aureliani edicto incuruatis arborum ramis alligatos diſcerpi. Ergo publicè & priuatim tantùm non prorſus obliterata hoſpitalitas ſummo huic ætati dedecori eſt. Vix vnquam vlla humanitate, multa potius inhumanitate, ac pari fraude inter hoſpites certatur. Enimuero pietatis & prudentię laudem non mediocrem adeptus eſt Zopicus ille, qui vtiã nato & roborato huic malo obuiã iret,

publicè alendi peregrinos optimam rationem instituit. Quippe ædes ædificauit, ad quarum exemplum omnia dein hospitalia, ab re desumpto nomine, constitui cœpta, quibus nomen νοσοκομεῖα valetudinaria, & πτωχοτροφεῖα, vbi aluntur pauperes, præcipuè peregrini, & γηροντοκομεῖ, vbi senes curantur, aliique inualidi & insanabiles. Redeo ad rem, & aio, Vetustissimum præceptum esse, Hospitem ne violes, Custodiam capitis eius ne dimittas, ne, siquid is tua culpa iniuriæ patiatur, in te exardeat ira diuina. Hoc quoq; priscæ fabulæ non obscurè loquuntur. Cùm Cyclopis hospitale munus esset, vt cui ex hospitibus maximè faueret, hunc postremum glutiret, Vlyssis solertia huic immani portento oculus est effossus. Nam Iupiter hospiti supplici semper adiutricem manum promptè porrigit. Amycus violatæ hospitalitatis graues Polluci pœnas dedit. Ingens illa Beniamitarũ & Gabaonis clades fluxit ab hoc iure violato in hospite matrona. Paris ille omnium adulterorũ impudentissimus, priusquam malè periret, propter hospitium tam fœde violatum, patriã, quæ huic tanto sceleri impunitatem dederat, cædibus & incendiis deformari vidit. Huic ipsi ventorum vi in Ægyptum delato Proteus, non ille sophistes à Platone memoratus, sed is, qui in ea terra regnum possidebat, ne & ipse hospitalitatis iura in homine quamlibet impurissimo violaret, pepercit, edicto vt intra triduum ex iis locis abscederet, nisi hostis loco esse mallet. Apud Celtas grauius puniebatur is, qui peregrinum occidisset, quàm qui ciuem. Prisca existimatio fuit, in perpetua immũditia iacere illũ, qui in hospites iniurius fuit. Inhumanę cuidã & feræ genti nomen inditum Tauris, quòd ibi lex fuit, quæ Dianæ hospites iubebat immolari. Hercules atrocem illũ Busiridem, cuius hospites erant victimę, interimendo, illam barbaricam, & Ægyptiacam ξενηλασίαν vltus est. Contra, hospitalitas multis multa bona attulit, vt Admeto, cui Hercules vxorem Diis Manibus ereptam restituit, & Antenori, quem cladi Troianæ superstitem esse Agamemnon iussit, scilicet propter veterem hospitalitatem, qua ipse ac Theano vxor eius quosdam Græciæ proceres coluerant. Alcinoum hospitalitas hodieque non minùs commendat, quàm Æolum pietas, Vlyssem sapientia, Aiacem fortitudo, Aristidem iustitia. Cæterum communis illa significatio

tio hoſpitalitatis, quam ſupra teſſeram nominaui, donec vterque hoſpes viueret, integra aſſeruabatur, priſtinæ videlicet amicitiæ monitrix. Atque adeò à patribus ad filios, cæteramque poſteritatem perueniebat. Nec ſanè hoſpitum morte iura hoſpitalitatis extinguebantur. Cum illo prorſus dirimebantur, qui cùm factus eſſet hoſtis Reipublicæ, cum eo nihil fœderatum, nihil ſanctum & conſociatum eſſe poteſt. Nam prudentiſſimus quiſque iura patriæ ſemper antepoſuit hoſpitalitati vt priora & ſanctiora. Ergo hoſpitalitatis teſſera tali re conſtringi ſolita, eâdem ratione, qua cum homine impuro amicitia per epiſtolam ſoluebatur. Contrarium hoſpitalitati vitium eſt inhoſpitalitas, hoc eſt, animi quædam ægrotatio à metu, aut à ruſticitate, aut etiam ab inhumanitate profecta, vehementi cuidam opinioni adhærens reiiciendum eſſe hoſpitem. Hac quiſquis imbutus eſt, non ſolùm domi non excipit hoſpites, verùm etiam vrbibus vti prohibet, eoſque exterminat.

Cap. LIIII.

Liberalitati quantum ſimilis eſt prodigalitas, tantum ei eſt inimica.



Rodigalitas prorſus magnificè ſeſe infert, propemodum vt ſi ſit ipſa liberalitas. Nec perſonata incedit. Detrahe ei laruam, continuò deformitates eius apparebunt. Vtraque donat, liberalitas circumſpectè, prodigalitas effuſè ac nullo delectu. Liberalitati præeunt benignitas & prudentia, prodigalitati, ſola intemperantia. Liberalitati ſemper eſt modus, prodigalitati nullus. Liberalis quoties quidpiam largitur, quamuis amplum & magnum, hoc ei maior eſt benignè faciendi voluntas & facultas. At prodigum, hoc eſt, capiti ſuo iratum & perdendæ rei natum vtraque protinus derelinquit. Certè prodigalitati, re imminuta, & fractis opibus, nullus reſtat fundus. Cùm Diogenes mendicans ſoleret petere obolum, à prodigo popoſcit minam. Nam abs te, inquit, an rurſus accepturus ſim, id verò eſt in genubus Deorum. Homo liberalis ſemper ſuas facultates reſpi-

cit, At prodigus nihil vltra suam cupiditatem. Ergo homini liberali sua substantia est perpetua materia benignitatis, prodigo est occasio egestatis, Ex his conficitur, Prodigalitatem esse deprauationem mentis pronæ in effusionem propriæ substantię, rationis & iudicij perfugam, famę contemptricem, inconsultæ cuiusdam animi impotentiæ feralem partum. Hoc tam informe dedecus mirum dictu quàm multa vitia comitentur, in primis luxus & intemperantia libidinum, quam multę deformitates consequuntur, quibus inquinatur is, quem spes omnes reliquerunt vt possit esse frugi bonæ. Sequuntur temeritas, rapacitas, insania. Luxus siue luxuria capitales cum frugalitate inimicitias exercet, dum sua populo diripienda spargit, & maxima maximorum patrimoniorum pretia consumit, nec alium opum fructum agnoscit quàm solam profusionem, cui gula plerumque adhæret. Vix enim vllus est prodigus qui non putet paterna & materna ventri suo quæsita, Ei ergo consilium est, omnia condere in abdomen, fieri lurconem & gurgitem, turpissimum rei degulatorem, quod fuit non fuit nepotinis sumptibus abligurientem, certè antesignanum eorum, qui patrimonijs dilapidatis denique proteruiam faciunt. Postremò iste, adesis bonis, excipitur infamia, cuius apud tales, tamque infestas charybdes nouissima voluptas est. Tam fœdis portentis comes est alea, quę de bonusculis vnciatim partis plurimum commordet, nēpe quantum satis est aleatori spoliando. Nam dum totus in ludo est, id perdit, quo amisso tanquam eiectus sedet, cælū suspiciens, & conquerens insaniam, miseriamque suam. Adsunt & fœdę libidinum prurigines, vnde frequentes iacturæ, valetudines, ac tot naufragia quæ fiunt apud vada meretricia. Certè decoctor est instar ficus in rupe pendentis, quæ, quòd eam nemo decerpit, relinquitur coruis pabulū. Sic prodigi exuuię sunt induuię gnatonum, aleatorū, luparum. Nec is interea timet pauper fieri, quem perennes comedonum, combibonum, collusorum parasitationes indies magis magisque infatuant, eoque præcipitem propellunt, vt nullo opus habeat hærede, qui sibi ipse est hæres. Hac ratione attritis opibus, tunc verò mirū est, quàm citò factus sit vappa, nebulo, scurra, mensarū & militis gloriosi assecla scurigerulus, prorsus desperatæ sortis homo. Tale memo-

memoratur fuiſſe illud par hominum impuriſſimorum Autocles & Epicles, Qui fœdiſſimo fœdere conſociati, nec aliud quam obſcœna libidinum mancipia cum eſſent, denique omnibus in ventrem merſis, vitam & famam ſimul cum re amiſerunt. Huic pari propè ſimilis fuit ille ternio hominum flagitioſorum, Periclis, Calliæ, Niciæ, quorum ſinguli cùm è naufragio luculenti patrimonij proiecti eſſent ad ſaxa mendicitatis, ſibi inuicem cicutam propinantes, è conuiuio ad Orcum protinus perrexerunt. Hi plerunque ſunt exitus prodigorum. Prodigum quoque dixi eſſe temerarium. Nam qualis ipſe plerunque ganeonibus & improbis eſt, hoc ipſum alios eſſe, nullo pudore æquum cenſet. Notos ignotos, bonos malos, dignos indignos nullo delectu, ſola tantum improbitate fretus impudentiſſimis petitionibus fatigat. Adeſt & rapacitas. Quippe nemo vnquam nec ganeo, nec rei ſuæ profligator extitit, quin continuò factus ſit raptor alienæ. Quò is rapidiùs effudit ſua, hoc auidiùs & effrænatiùs manum admouet proximis. Certè quiſquis perdendo & profundendo tandem eget, nunc caſſa præſumptione, nunc manifeſta immoderatione alienis vt prædæ inhiat. Semper quærit vnde ſumptibus immenſæ voraginis ſuppeditare poſſit. His rationibus prodigi è ganeonibus fiunt latrones, vt quas opes per luxuriam, & omnia genera impuritatis amiſerunt, ad has improbiſſimis artibus recurrant. Sed eâdem mare exhauriant. Sperare enim quod profuſum eſt reuocari poſſe, prorſus eſt à ſe exire. Reſtat ergo infamia, quæ tale improbitatis mancipium denique excipit. Fundat licet prodigus verba interdum ſapientiam olentia, res eum ſemper monſtrabit, qualis eſt, furioſum. Nam quid aliud ſit inſanire, quam rem ſuam per flagitium confringere, è mediis diuitiis euolare ad egeſtatem, eſſe in ipſa inopia luxurioſum, in luxuria audacem, in audacia ſacerrimum, in domeſtico, ſiquis ei reliquus eſt, ſplendore ſordidiſſimum, in media deſperatione ſpei immodicum, ab omni ſpe, ab omni virtute derelictum, omnibus vitiis coopertum, in omni flagitioſæ conſcientiæ dedecore volutatum? Hæc ergo eſt ſeries flagitioſiſſimæ prodigalitatis, vt primò incedat animus deprauatus, ſicuti anteſignanus, quem è veſtigio ſequitur profuſio, hanc illibe-

cium accepit eũ remunerat cuius ope subleuatus est. Gratus is est qui id quod gratis accepit gratè, libenter, sponte reddit. Hæc virtus Deum spectat & homines. Quæ gratiæ diuinæ bonitati debentur, has nulla cogitatio complecti, nedum vllus hominum cumulatè referre potest. Nunquã tamen mens humana erigitur ad suspectum Dei, quin benefactorum eius infinitam reputare cogatur. Perpetuus enim Deo debitor est homo. Nulláne ergo, inquis, gratia est quæ diuinæ bonitati rependi possit? Ergo in hoc omnes nascuntur, vt perpetuò sint ingrati? Ergo hominum contumelia diuinum numen id agit vt splendescat? Minimè verò. Est vnde tibi, ô homo, è mediis beneficiis Dei abundè surgat, quo ei gratiam habeas, ac propè dixerim, referas. Si sentis quid acceperit, si quanti fas est accepta estimas, si intelligis datorem tuum, si suspicis frequentiam & excellentiam munerum eius, si apud te intelligis esse nihil, quo cum cælesti bonitate paria facias, si hinc ad eius amorem & cultum vehementius excitaris, si ad pia vota confugis, si cupis non esse ingratus, tu verò iam ei gratiã habuisti, audeo dicere, retulisti eam, quam ipse habeat pro tali, imò pro vbere & fœneratã. Dic ergò Deo aut hæc, aut ea quæ sonent; O mihi tuæ benignitatis grauissimum, idémque gratissimum pondus! vbi desinam? Num ego exsoluere possum tot difficiles nodos, quibus tua sacrosancta diuinitas adstrinxit animum meum? Ecquam tibi, domine, beneficiorum vicem rependam? Nimirum eam quę abs te ipso profecta est. Vsque eò hoc ipsum quod reddo tui quoque muneris est. Ergo omnem ætatem impendam colendis ac celebrandis muneribus tuis. Etsi satis intelligo, quàm hic omnis oratio sit ieiuna. At tu ex hoc animo eam quoque gratiam metes, si id quoque dederis, quam tu habeas pro solida & perenni. Tu, domine, id suppliciter petenti præsta, veluti cumulum beneficiorum tuorum, vt ea tibi adlubescat. Quisquis ita est animatus, nonnullam re quoque gratiam se Deo debere intelligit, Non quòd vllius rei Deus indigens sit, sed documentum animi grati. Hinc est ille cultus Dei externus, de quo supra dixi. Hinc primitiæ ac decimæ Deo votæ, eique in sacerdotum personis oblatæ. Indidem sacrificia, & solemnes gratiarum actiones. Par propemodum, hominis aduersus hominem ra-

tio. Primùm illi, à quo beneficium acceperis, gratia haberi, dein, quatenus fieri potest, referri debet. Habere gratiam est cupere eam referre. Retulisse est officio suo satisfecisse. Illud est voluntatis, hoc facultatis. Verum sæpe accidit, vt illud cupere sit referre. Neque verò voluntatem dico desidem ac torpentem, & nolenti similem sed eam quæ nihil intentatum relinquit, vt ad id perueniret, quo præstito, is qui beneficio adstrictus est, gratus est. Vsque eò ipsi voluntati, quamuis inefficaci, tribuimus gratiam ac decus animi grati. Vt enim liberalis primum suæ benignitatis fructum non in vlla remuneratione, seu in sua benignitate collocat, ita beneficij acceptor iam gratus est, si omni ope id agit vt gratus sit, si sese ad hanc cogitationem identidem excitat, si sese hinc ad gratiam habendam, referendámque vegetat. Nec alius dicitur esse gratus, quam is, qui, accepto beneficio, se obligatum non perfunctoriè, sed ingenuè fatetur, ac libenter prædicat, denique cuius animus vel sola honestate, & huius propositi professione cêsetur. Planè multùm interest inter pecuniæ debitionem & gratiæ. Illa nonnisi eiusdem pecuniæ redditione, aut alius rei, quæ tantidem sit, præbitione dissoluitur. At gratiæ nomen nullius interuentu expungi potest. Scilicet huius virtutis æstimatio potissimum redit ad animum, ipsáque ideo dicitur animus gratus. Apparet ergo, quemque quam vult tam esse gratum, nõ minus illum qui voluit reddere, nec potuit, quam illum qui potuit. Siquis vtrumque præstitit, is omnem gratiarum circulum peregit, ac beneficium non solum sequutus, sed & assequutus est. Hic est ille pulcherrimus orbis dandi & reddendi beneficia, quem Gratiæ, siue duo, siue tres, siue plures olim in mediis vrbibus effigiatæ repræsentarunt, quibusque vt numinibus, sacra aliquando facta. Hic aduertendum, eum qui id agit vt gratus sit, ita hanc laudem assequi, si id sponte facit, ac nullo, si non fecerit, metu grauioris discriminis, nulla item spe amplioris muneris, si gratiam retulerit. Gratia neutrubi spectat vtilitatem, non cùm dat, non cùm reddit. Ac ne quidem gratus est is, qui cùm beneficium reddit, id agit vt se quàm primùm eximat, & exoneret. Nam quanta fuit serenitas datoris, tam placida & quieta mens illius esse debet qui ad vicem beneficio rependendam accedit.

accedit. Semper gratus debitor securè debet. Ita tamen vt huic securitati semper adhæreat vigilantia, quæ eum præstat intentum in omnes reddendi beneficij occasiones. Id quod illi dictum volo, qui hoc ipso præpostere gratus est, quòd paulò longioris obligationis intolerans est. Nec enim id beneficij gratè accepisse censetur quisquis ad eius exsoluendi moram erubescit. Quomodo ne ille quidem gratiam refert, qui, cùm lubens acceperit beneficium, id nolenti aut inuito reddit, aut quod in æquo est, volenti nociturum ingerit. Quædam, scilicet, sunt beneficia, quibus acceptor in suam perniciem vti potest. Prorsus neque ad dandum, neque ad accipiendum beneficium inuitus quisquam cogi debet. Simili ratione, vt quandoque beneficium negare est petenti beneficium dare, sic beneficium non reddere quandoque est propemodum gratum esse. Adeò vt sit statuendum, non minoris esse animi, gratè & lubenter debere, quàm quidpiam benignè facere aut beneficium reddere. Certè liberalis id quod voluit assequutus est, vbi parem suo animum nactus est. Quid, quod beneficij acceptor, etiã cùm gratiam habuit ac retulit, adhuc tamen in ære alieno est? Vt enim benignitas est creditum incomparabile, ita quicquid inde debiti contrahitur est insolubile. Quisquis ergo propter munus acceptum impensè gauisus est, interdum non min⁹ gaudere debet, se hoc nexu diutius obligari. Sic fit, vt quod necessitate accepit, id etsi inibi est vt reddat, adhuc tamen penes se habeat. Cæterùm gratis equidem addo eũ, qui etsi beneficium non accepit, tamen quòd accipiendi potestatem habuit, illum qui sola voluntate ac studio beneficus fuit, eodem apud se loco esse vult, quod esse deberet, si reuera beneficium dedisset. Beneficium, fateor, viri boni summoperè cauent ne capiant ab improbis. Si quid tamen ab homine impuro ita profectum est, vt cesserit in beneficium meum, meæ sunt partes id agere ne ergà illum sim, videarue ingratus. Tali re non tam illius personam, quàm quid me deceat, spectabo, nec illi gratiam rependam vt probo & benefico, sed certè vt probus & gratus. Itaque vir bonus quod sine publico detrimento fieri possit, se quoque hoc debito exsoluet. Si ope grassatorum & sicariorum, inquit Iulius Cæsar, in tuenda mea

dignitate vsus essem, parem quoque gratiam eis referrem. Ne multa. Is se verè gratum probat, qui si vellet, absque vlla infamiæ nota ingratus esse posset. Sed viri boni, scilicet, est conscientiam alienæ existimationi præponere. Quo fit, vt illos gratis minimè adnumerem, qui in alienis malis quærunt materiam gratiæ. Nam beneficio cupiunt accidere aliquid aduersi, vt sit vnde beneficium reddant, quod ipsi necessariò sit accipiendum; idque ante omnium oculos splendidius appareat. Summi loci hominibus vix vlla gratia a priuatis & popularibus referri, nisi animo, &, quæ animi index est, accurata gratiarum actione potest. Nempe talium magnitudo vnam hanc gratiam reposcit, quæ illi, scilicet, fastigio vna conuenientissima est. Ergo istis gratiæ publicè aguntur. Ipsique sibi has referri, certè non omitti æquum censent. Nihil verò indignum se facere multitudo putat, si à principe, quomodo à Deo, beneficiis vincitur. Ipse quoque princeps non se munificum ducit, si non in hoc certamine victor existit. Hinc illæ, quibus aduenientes principes excipi solent, festæ multitudinis acclamationes, effusæque totarum gentium gratulationes. Cũctis quoque tanto turpius est, non hac saltem ratione principem remunerare, quanto gratias referendi maiores & honestiores causas habent. Ipsi quidem terrarum, gentiúmque domitores, illi ipsi qui regna tribuent, & longinquis iura legésque mittunt, hoc genus gratiarum æquant, sæpè etiam muneribus pretiosissimis præferunt. Nam synceris & incoactis populorum vocibus boni principes ea quæ benefaciunt, recognoscunt, mali eorum quæ facere ipsos oporteret, admonentur. Interdum & priuatæ sortis homines, & vniuersi ab insolita munerum magnitudine rediguntur ad silentium, non quidem ingrati, sed propemodum beneficiis oppressi. Hoc quoque principibus est acceptissimum genus gratiarum actionis, dummodo id silentij synceritate commendetur. Nulla enim vberior gratia reddi potest illa, quæ copiosior est in sensibus, quàm vllis vt verbis reddi possit.

CAP.

Cap. LVI.

Omnium vitiorum quædam velati sentina est animus ingratus.



NIMO grato contrarium vitium est animus ingratus, si non potiùs crimen est quàm vitium. Quot laudibus animi grati virtus effertur, tot sanè diris & execrationibus homines id monstri prosequuntur, cui nomẽ est animus ingratus. Hac tamen peste nulla vulgatior, nulla inter homines sæuiùs grassatur. Nullus in quouis alio non id detestatur, cui ipse maximè est obnoxius. Et verò cùm nullus mortalium non se totum, suaque omnia Deo debeat, vix tamen vllus meminit eorum quæ accepit, vix vllus, etsi meminit, fatetur, aut, si fatetur, gratas ei gratias agit, aut si vsitata & concepta formula verborum gratus videri vult, nequaquam hãc gratiarum actionem qua maximè pietate potest, prosequitur. Nihil tam citò effluit, nihil tam superbè despicitur. Aristoteles interrogatus, quidnam statim senescerer, Gratia, inquit. Quapropter quantum est hominum malè pereat, si Deus vlciscatur ingratos. Omnes cœlestia munera libẽter accipiunt, Nemo gratus vt sit, quicquam pensi habet. Propemodum in omnibus deprehenditur obliuio flagitiosa, dissimulatio improba, murmuratio arrogans. Omnes largitori Deo obuertunt cornua, eius benignitati impiè obnituntur, ranis, quod aiunt, similes, quibus cùm potus abundè suppetat, eius præbitorem pessimæ ignorant. Et primùm quidem quantum est hominum qui non sunt sua sorte contenti huius criminis reos esse aio. At quotusquisque non inuidet alienæ? Quis supputat quantum debeat Deo, quòd se eum, qui est, crearit? Vt deteriores potioribus inuident, sic tenues diuitibus, priuati magistratibus, hi dynastis, dynastæ regibus. Horum omnium quotusquisque aspicitur non superbissimi fastidij plenus, quasi nõ insideat fastigium earum rerum, quę quòd sunt fluxæ, ipsę quoque semper in lubrico est? Nullus horum nõ ex re qualibet colligit occasiones animi aduersus Deum contumacis & ingratissimi. Deinde vt discessum est à Deo, statim alij alios

furētes effusè incessunt. Hinc ipsi cōiunctissimi dissociantur, hinc familiis pernicies, vrbibus vastitas. Hinc humani generis concordia cōuellitur. Cùm enim nihil arctiùs quā mutua beneficētia homines colliget, ingratus animus hoc abrumpit sacrosanctum vinculū. Hinc humanitas fit immanitas. Si verum eloqui licet, tanti probri radix est derelictio virtutis. Hinc progenerantur propiores illæ causæ, quæ hoc portentum cōfigurant, stultitia, suspectus sui, impudētia, iniustitia, auaritia. Quorum vitiorum concursus conflat eum quem vocamus ingratum, id est, acceptorum beneficiorum defraudatorem improbum. Huius tam formidolosæ deformitatis, vt de virtute ei contraria dixi, tota æstimatio redit ad animum, ideoque ei inditum est nomē animus ingratus. Nam si quis, cùm beneficiū reddere possit, certè debeat, illud ex animo delere mauult, is nō eo tantum ingrati animi arcessi potest, quòd gratiam non refert, sed ob id quòd ipsi tam casta voluntas deest. Hunc meritò dicimus esse extremæ improbitatis hominem. Nam qui priùs ipsi visus est dignus, cuius liberalitatem experiretur, hic ipse postea indignus ei videtur cui sit eō nomine deuinctus. Quo ore negas te ei quicquam debere, qui tibi siue roganti, siue nescienti ac nec opināti, certè opus habēti benignè fecit? Si debes, quid ita nō alterā paginam imples? Aut cur es ad referendam gratiam tam tardus, cùm ille ad promendum siue officium, siue beneficium tā fuerit expeditus? Tibíne munere optato, forte & petito nihil fuit antiquius, vt impetrato demum & accepto nihil esset vilius? Ingratis annumero illos qui syncero magnoq; animo data victo ac debilitato accipiunt, eoque qui ex infimo deniq; fit ingratus. Cùm enim beneficium ab se exolui posse desperent, pro gratia odium reddūt. Hos aut bipedes arietes, aut immanes lupos verè dixeris, quorum illi altores suos incursant, hi dilaniant. Non omitto illos, qui datori suo eatenus obligantur, quatenus is dare pergit, & priora munera posteriorib. cumulat. Si cessat, continuò deuolant, ac sicuti prostituti pudoris fœminæ, hoc solum meminerunt quod postremum acceperunt; si tamen hoc est meminisse, beneficium voluntaria obliuione proterere. Alij quamuis magna, obuia & frequente benignitate subleuati, siquid ipsis meritò negatur, hoc vnum animo figūt, statim se abalienant

lienant & inimicatur. Hos vt nulla liberalitas sibi adiunxerit, ita quęlibet leuissima & iniustissima suspicio prorsus abalienatit Quosdam videas alienam beneficentiā a deteriori parte spectare, vix vnquā à potiori. Hinc sibi licere putant, aut prorsus nihil, aut nescio quid agere gratiarū sterilium. Cùm tamen grati hominis officium sit, siquid fortè latet in beneficio vitij tacita modestia occulere, nō imprudēter aperire. Quisquis enim rem quanti est, sibi spectandum putat, illico factus est ingratus, & beneficij pessimus æstimator. Nec enim quisqua prudens quærit, an qui beneficio gaudeat, sed an gaudere debeat. Alij qui facilè patiuntur se munerum magnitudine vinci, non aduertunt, se, dum suis vtilitatibus hærent, hoc vitio illaqueari. Tanta Socrates generositate fuit, vt, ne à magno quidem rege se muneribus passus sit vinci. Quam tamen siquis introspiciat, ironicam deprehendet, vt plurima tanti illius sapientis. Nā ab Archelao rege rogatus vt se inuiseret, recusauit, à quo, scilicet, acciperet ea, quibus referendis ipse impar esset, Perinde quasi munera Archelai nullo auro Socraticę sapiētiæ pensari possent. Sed quid illis dicas, qui hinc beneficia scrupulosè, hinc iniurias infensi pensant, vt, si hæ præponderant, hac stent, & his accepta beneficia expungant? Hoc animo fige, vbicunque benignitas comparet, ibidē æquum esse iniuriam vanescere. Nimio plus iniuriæ tribuitur, si vbicunque hæc existit, ibidem benignitati extinguendæ satis valida est Quin æquius est, vel ipso recente quāuis exiguo beneficio, veterem obliterari quamlibet magnam iniuriam. Exiguum dixi vulgarem existimationem sequutus, quæ est ingrato animo proxima. Quotus enim quisque sine murmure beneficium accipit? Annon maximam partem videas ea esse arrogantia, vt plus sibi debitum putent quàm præstitum? Eò res venit, vt vix quisquam sine aliqua exceptione, & quidem insigniter maligna gratus sit. Vix quisquā id quod accepit vlla æquitatis trutina examinat. Propemodum omnes in id quò præcipites feruntur, intenti nulla alia acceptum beneficium nisi propriæ cupiditatis pertica metiuntur. Sunt qui non quidem audent apertè se obligatos negare, sed artibus seruilibus, ac subterfugijs dolosis omnem rem dissimulant, id vnum veriti ne qua res dispalescat. Quæ est ratio stul-

tissima simul & improbissima reddendi alienam largitatem ingratam atque irritam. Ego verò aio, ingratis annumerari eos omnes, qui accepta beneficia non palam & ingenuè prædicant. Supradictis omnibus nihilo deteriores illi sunt, qui aliqua ex parte gratiam referunt, sed ea mente vt sibi detur aliquod maius. Isti cùm reddunt, petunt, nec tam acceptis obligantur, quàm cupita ac sperata sectãtur. Illos quoque ingratos esse dixi, qui eũ, cuius ope sibi melius est, aliqua miseria affici cupiunt, dummodo ex ea sibi nascatur occasio reddendi beneficij. Hoc non est benefico gratias agere, sed beneficio potiùs insolenter illudere. Illi quoque quos vocaui nimiùm gratos, haud dubiè cẽsentur inter ingratos, quòd se beneficiorum nexu properant exsoluere. Hoc enim ipso ingratos se profitentur, quòd id, quod non inuiti acceperunt, inuiti diutiùs debent. Non desunt qui gratiam quidem referunt, sed absq; vllo additamento aut fœnusculo. Hi quoque, dum suas vtilitates nimiùm sectantur reperiuntur inter ingratos. Tu verò sic habe, largitatem muneris eâdem mensura qua acceperis, reddi oportere, aut etiam, si fieri potest, cumulatiore. Superioribus annecto illos, qui tam prauè beneficia interpretantur, vt ea nulla putent, si sine aliquo detrimento & incommodo beneficij in egentem collata sunt. Prorsus iniqua hominum & scelerata secta. At honestum & pium votum, quo nullum euidentius specimen animi grati, est beneficio optare omnia fausta & felicia, ac proinde perennem benefaciendi voluntatem, & facultatem. Prisca seueritas eos ingrati animi pœnis subiiciebat, qui eum, à quo ad magistratum delati sunt, insectantur. Certè hoc ipso, quod sua vitia amant, seque emendari ægrè ferunt, ac de eo, cuius opera hoc adsequi poterant, iniquè queruntur, huius criminis rei sunt. Sequuntur illi, qui non modò nullam agũt, referuntque gratiam, sed in optimè de ipsis meritos non verentur esse iniurij, & contumeliosi. Simul enim ingrati sunt & inimici, hoc est impium genus. Hac tam fœda nota insigniti sunt Carthaginienses, cùm Xantippum ducem Lacedæmoniorum, cuius ductu Regulus Romani dux exercitus profligatus fuerat, ne huius victoriæ decus penes Lacedæmonios esset, simulatione honoris triremibus suis impositum mari demerserunt. Cæterùm ingrati animi crimen

men vbique gentium execrabili vniuersorum odio damnatur. Certè inter illa reponitur, quæ ob suam atrocitatem ad Deum vindicem remittuntur, qui quàm sit infensus ingratis, Ixionis exitus apertè docet. Hic enim cùm in alta rota circumquaque volutaretur, hæc iussu Deorum hominibus identidem ingerebat, Beneficos placidis remunerationibus excipite. Vetus est verbum, quod in verissimi prouerbij consuetudinem venit, Adiutorem ingratus non inueniet. M. Antonius Philosophus in Cassium rebellem, qui Romanas prouincias incursaret, nihil aliud iecit, nisi esse hominem ingratum. Quo probro omnia probra continentur. Nam quid aliud esse dicas ingratum, nisi hominem contemptorem summi numinis, at erga patriam, parentes, amicos planè negligentem? Certè est ipsissima impietas, cui hæret insigne quoddam genus impudentiæ, qui est homini ingrato impressus character. Hæc fuit Eumenis existimatio, omnino, si se ita res daret, præstare, refeferentem beneficio gratiam perire, quàm viuere ingratum. Insigniter ingrato alicubi fuerunt impressa stigmata hanc tantam diritatem testantia, vt caueri ab obuio posset, sicuti ab vniuersæ mortalitatis hoste teterrimo. Hæc stigmata si non fronti, at sæpe sunt addita nomini ipsorum summorum hominum, totarum ciuitatum, totarum gẽtium, quum fuerunt ingratæ erga conditores, liberatorésq; suos. Sæpe hæc fuit detestabilis nota libertorum, liberorum, discipulorum, eorum omnium apud quos omnia beneficia sunt malè collocata. Quod genus hominum igni assimilatur, quod ideo potest esse symbolum animi ingrati. Nam quò plus lignorum in ignem inieceris, eò ardentius is, quicquid eò indideris, consumit. Cæterùm animi ingrati exempla quamuis omnem diritatem excedentia, neque minuunt, neque conuellunt constantiam viri generosi, liberalis & benefici. Hic enim sic statuit apud animum suũ, tamdiu ferendos esse ingratos, donec feceris gratos, satiusque ducit, sua beneficia nonnunquam errare, quàm vt non aliquando bene ponantur. Ergo nõ modò à beneficiis prestandis deterretur, sed hinc potius ad benignè faciendum animatur. Talis hominis benignitas si ceciderit in acceptorem gratum, eò iucundior, si in ingratum, eò clarior futura est. Ergo quisquis sanè sapit, is fructum beneficentiæ

suæ nequaquam in aliena prauitate, sed in suo beneficio ponit. Quòd siquid cuipiam infeliciter indultum est, id beneficus non illi ingrato, sed sibi ipsi feliciter dederit. Antisthenes philosophus, comperto, Platonem in se contumeliosum fuisse, Regium, inquit, est malè audire cum benefeceris.

CAP. LVII.

Querulum esse est quaedam species animi ingrati, in qua censetur luctus immoderatus. Et sicut animus ingratus est vitium illius qui beneficium accepit, ita exprobratio est summa labes eius qui id agit vt beneficus.

QVERVLVM esse frequentissimè est fœda labes illorum qui nullo beneficio obligari possunt, quos equidem meritissimò refero in numerum ingratorum. Querela est mista imbecillitati malignitas, fœta cogitationibus prauis & ingratis, vnde erumpunt sermones iniurij & contumeliosi, quibusq; aliena bonitas & benignitas immeritò incusatur. Querulus est is, qui aliena dicta & facta, quamlibet officiosa, ad suam contumeliam accipit. Hoc ingenio sunt omnes illi, qui se miseris annumerant, non minus iniquæ mentis, quam, quod quidem huc pertinet, infimæ sortis homines, quib. multò paratiores sunt questus quàm gratiæ. Ita, scilicet, partum est, vt quibus vota in irritum ceciderunt, his ideo corpus tabescat, quòd animus ægrescit, toti liueant, toti fiant maleuolentes & iniquè queruli. Vt sibi videntur fetendis miseriis nati, ita sibi licere putant omnia in deteriorem partē interpretari, iniquis suspicionibus meliores lædere, ac tantùm dolere quantum se doloribus inserunt. Hinc est quod subinde mutant amicos, ad minimum quemque doloris sensum fiunt arguriores, mobiliores, infideliores. Vt prauorum sensuum, ita verborum nullum tenent modum. Sacrosanctum numen Dei iniustissimis expostulationibus incessunt, quàmuis ea quæ contra sua vota acciderunt

sæpe

sæpe suo ipsi vitio, culpaque contraxerint. Nec cogitant, cœptis audacibus aduersari eum, cuius decreta produntur in rerum euentu, cui ipsi indunt nomen fortunę, aut casũs aduersorum. Si huic tantæ impotentiæ verba non suppetunt, haud cessant ex imo pectore petere arrogantes gemitus, & suspitia contumacia, & lachrymis cõtumeliosis ora fœdare. Denique isti vix vnquam vitalem vitam agũt, sed omnem peragunt circulum infelicitatis. Testem cito luctum, vbi pauci, in primis ij qui verè amant, stimulum doloris obtundere, aut quidpiam solatij possunt admittere. Effusè mœrent, suam orbitatem muliebriter ferunt, amarissimis querelis seque & proximum quemque vexant. Vestis mutatur, capillus ac barba promittur, facies turpatur, cinerosa canities trahitur, pectus identidem pulsatur. Fœminarum vlulatibus omnia loca personant, sub specie feræ cuiusdam humanitatis inhumanitas inducitur, alimentis, nisi illis quæ mortem arcent, abstinetur, vultus cõtrahitur, pedor accersitur. Vt crudum vulnus medici manum reformidat, ita isti quicquid cõsolationis offertur, respuunt, fortem rerum humanarum quamlibet cognitissimam, cunctísque communem singuli impudenter accusant, dolorum occasiones vltro accersunt, ipsi Deo quòd homines non sua immortalitate participant, inuidiam faciunt. Eos mori queruntur qui quotidie terunt viam mortalitatis. Quæ omnia nihil sunt nisi documẽta eius animi, qui ingratis cogitationibus & impiis vocibus Deum pulsare audet. Equidẽ fateor fletu & lachrymis humanæ fragilitatis ærumnas non parum leuari. Nec sanè humanitas patitur vt charissimæ personæ amissionem vehemens non sequatur desiderium, & vnà cum desiderio mœror, cuius notæ vel inuitis adhærent, nempe vberes fletus, suspiria, gemitus. Verùm huic humanitati sic indultum volumus, vt ei pietas erga Deum anteponatur, Summo numini nunquã quisquam obloquatur, defunctus ita lugeatur, vt eâdem ignaui questus aliquando compescantur, mortui memoriam quisque iis rebus officiisque prosequatur, quibus fides fiat, non proprio cum detrimento moueri, sed naturæ obsequi, quæ homini concessit fletum, initiũ qualiscunque solatij. Et hactenus quidem nos non prohibemus luctum, sed finimus. Nec eum terminum expectandum dicimus,

quem tẽpus rebus omnibus posuit, sed quem homini ratio præscribit. Hoc leges iubent, hoc præclarissimæ quarumdam gentium consuetudines ita fieri oportere probant. Mulieribus annus est ad lugendum constitutus, non vt tam longo se luctu macerent, sed vt ne diuturniori contabescant. Virorum luctus nullo est temporis ambitu circumscriptus, quia eos vix vnquam lachrymari decet, nedum plorare. Fœminis potissimum hanc mœrendi sedationem afferre debet exemplum. Niobes, quæ quamuis ab Apolline duodecim liberis orbata, de cibo cogitasse dicitur, & ius flendi non vltra vnum diem extendisse. Hæc ipsa fingitur lapidea propter æternum in luctu silentium. Ne cunctis quidem verecundam hanc eripimus humanarum necessitatum demonstrationem, cui nomen fletus. Sępe publicè luctus, ob amissos inclytæ virtutis homines, indicitur. Ipsi magistratus, ipse ordo amplissimus pulla veste amicitur. Ipsa multitudo iniussa sæpe sibi iustitium indicit, sæpe solitas & solennes voluptates ad tempus omittens illustribus animabus parentat, eorumque memoriam piis quamlibet mœstis, acclamationibus, omnique mœroris significatione concelebrat. Sed vt hęc licitá sunt & legitima, ita quoque inuentæ sunt rationes, quarũ ope huic morbo, cui nomen luctus, mederi prudentes sueuerunt. Ergo quoties nobilius aliquod opus & sanctius publicè adsumitur, nihil ibi ferale inseri fas est. Certè finitur luctus sacræ ædis dedicatione vt vbique, vt Romæ quoties lustrum conderetur, quoties vota publicè susciperentur, aut soluerentur. Quarum rerum imitatione inuenta sunt illa, quorum vsurpatio si non finit priuatum dolorem, saltem eius irritamenta tandem ab oculis amouet. Et quidem in re cuiusque priuata insignia doloris & luctus auferre solẽt hæc, felix partus matrisfamilias, nouus honor in familiam inductus, postliminium eius, qui in hostium potestatem venerat, nuptiarum faustitas, taliaque. In mediis quoq; mœstitię documentis eminebat aliquid quod lugentes fortitudinis admoneret. Eæ erant pelles, quarum hodieque gestamen, re tali, est in vsu. Quin & ipsi mortaliũ summi, quoties lugerent, publico abstinebant. Quippe palam ac diutius lamentari, intelligebant esse infra dignitatem altissimi fastigij. Id quoque metuebant, ne, si diutius & vberius lachryma-

chrymarentur, flentes, quorum ipsi lachrymas exsiccare debent à suo conspectu arcere viderentur. Id quoque traditum, Herculis lachrymas neminem vnquam conspexisse, quod est heroicæ fortitudinis documentum euidens. Ergo ad huius exemplum omnes heroas & vultu sicco & immoto suæ curæ ærumnas perferre fas est. Ipsi quoque qui Reipub. gubernacula tractant nequaquam nesciunt, naui tempestatibus actę nihil prodesse inania vota, ac stultas lamentationes, neque hinc fluctuum sæuitiam mitescere, manum clauo impigrè admouendam, contraque vim tempestatis animosè obluctandum. Eadem ratione ingruenti dolori ac sæuienti fortiter est resistendum, sunt assumenda negotia non tantùm vt solatia, sed vt remedia. Quilibet sese virilitatis & constantiæ commonefacere debet, seque ad animi æquitatem excitare, Id potissimùm putare, humanarum rerum eam esse legem, vt quisque, ne regibus quidem exceptis, ea ferre necesse habeant quæ sus deque versantur. In his multum referre, an quis muliebriter sese, an fortiter gerat. Fauere discessui illius qui abiit è conspectu, eiusque virtutes potiùs imitari, quàm indecorè flere, ac tristi & inutili quærimonia cœlum onerare. Et hac quidem ratione homines queruli Deum lacessũt. Cęterùm plerunque fit, vt quisquis est querulus, eâdem sit exprobrator. Exprobratio est vitium illius, qui cuipiam se beneficium dedisse autumnat, nec fortasse dedit, sed hac sua persuasione fruitur vt sibi illum deuinxeris. Aliquid fecerit non fecerit, Exprobratio est nimia dati beneficij, aut eius quod quis se dedisse putat, memoria, documentum animi immodesti, qui sese prodit per arrogantem, odiosam, intempestiuam, & exactricem commemorationem eius quod in quempiam collatum est, sicuti in immemorem & indignum. Exprobrator is est, qui dati ab se beneficij acceptorem odiosè admonet, estque suorum munerũ imputator contumeliosus. Id fit gestu, sermone, iisque omnibus rationibus, quibus animi improbitas palàm fit. Apud generosos exprobratio multò est intolerabilior, quàm ipsa rei præstitæ exactio, est enim superbiæ affine vitium, quod omnem beneficij gratiam elidit. Beneficium exprobrare, est de se magnificentiùs, quàm par est, sentire, & illum, cui benignè factum est, ad pedes suos deprimere.

Certè is falsò beneficus contumeliosa exprobratione beneficij acceptorem admonet egestatis suæ. Et huic satius erat nihil accipere, quàm tali beneficio proteri, & videre hinc suam honestatem collutulari. Porrò exprobratorem equidem remitto ad Deum, cuius perennis bonitas nunquam id quod hominibus benefacit, exprobrat. Quoties beneficium exprobratur, è beneficio fit iniuria, & quidem acerbissima. Nisi fortè ea sit iusta exprobratio, qua animus inimicus & ingratus meritò excipitur. Nihil enim satis graue aut atrox in tantā immodestiā coniici potest. Quod genus vltionis iustitię nequaquam aduersatur. Prisco more tenuioribus licuit, quoties à potentioribus iniustè haberentur, nec iniuriæ vllus exstaret vindex, hac se saltem ratione solari, vt noctu in triuiis, aut in aliquo angiportu talibus sua malefacta exprobrarent. Nimirum, vt quos nulla vis cogere posset, hos vnus peccandi pudor coërceret. Exprobrator & querulus vnà incedunt, Nec quisquam est querulus, quin eâdem sit exprobrator. Talium omnia sunt plena. Quisquis obuio cuique aures aperit, nihil frequentiùs audire cogitur, quàm omnis generis exprobratrices querelas. Nulla est neque in foro, neque in plateis crebrior oratio, quàm illa quæ tota exprobrationibus & querelis, contumeliis contexitur. Hic principem & senatum, ille magistratus, alius parentes, cognatos, vicinos, longiùs positos leuissima de causa grauiter accusat. Si promissa non illico ad rem conferuntur, siquid præter spem paulò longiùs differtur, exprobrationibus & questibus vndequaque consurgitur, hic aut ille statim infamatur. Ipsi amicitiæ sese graues expostulationes interponunt, si forté is, qui cupidior est, optato non statim potitur. Quò est affectio vehementior, hoc est querela promptior, hoc est exprobratio impudentior. Eò res redit, vt quisquis in aliquo certamine victus est, aut in aliquo scelere præuentus, is acerbissimè de eo conqueratur, quòd iniuriam facere non potuit. Planè sic statuendum, animi æquitate & sedatione nullum esse maius aduersus omnes incursus munimentum. Ac nemini quicquam exprobrate, & de nemine queri esse specimen hominis iusti, eius qui sibi imperauit, neminem cogitatione & suspi-

suspitione præstringere, ac proinde neminem verbo lædere, neminem iniuria lacessere, non esse ingratum.

Cap. LVIII.

In ordine virtutum fortitudinem, & virtutes fortitudini adiunctas temperantia sequitur.



Venio ad eam virtutem, quæ vt hominem conuestit innocentia, eumq; beat iis omnibus quę vere sunt bona, ita quoque multiplici nuncupatione demonstratur. Nam continere motus animi, cohibere affectus, abstinentem esse, frugalitatem colere, modestiam profiteri, moderari cupiditatibus, modum & moderationem in omnibus seruare, non plures, sed vna eademque virtus est, quæ in multos veluti ramos diducitur. Id quod verius est, quàm illud quod ij tradunt qui temperantiam discriminant à continentia, & plures vnius virtutis effectus plures virtutes nominãt. Nos, vt hic huius quidem generis vnam agnoscimus, ita siquid inter eas dictiones, quibus tantum decus signatur, discriminis aduertitur, id quoque indicabimus. Temperantia est imperium rationis in eos omnes impetus, quos praui affectus progignũt, Si mauis, est moderatio cupiditatum, & coërcitio libidinum, verus effectus rationis. Vt iustitia distribuit, prudentia eligit, fortitudo vincit, sic temperantia si non planè extinguit, at compescit & frænat quicquid est in homine ferum & immansuetum. Ergo temperantiæ omnis res est contra prauas animi libidines, quibus nomen est cupiditatibus. Has aggreditur, has ita oppugnat vt expugnet. Quippe manente cupiditate, nulla salus est quam homo sperare possit. Est enim cupiditas instar tigridis crudelissimę, quę hominem depascendo nunquam satiatur. Vt pauperem res attenuata contristat, ita auidum & libidinosum cupiditas inflammat. Vt amorem honestas admittit, ita cupiditatem auersatur. Ille deditus est pulchritudini, hęc sectatur voluptatẽ. Cupiditati nõ vna, sed plures sunt facies,

quibus impetitorum oculos effascinat. Ipsa quidem sub falsa specie inusitatæ pulchritudinis,& rosei coloris, & lacteæ ceruicis tegit rictum caninum, & ima corporis,quæ planè sunt squamea & serpentia.Illi autem quos hæc diritas sui iuris facit,continuò fiunt mōstrifici,& prorsus portentosæ ac metuendæ feræ. Hic quamuis hircino barbitio leonis feritatem mutuatur & imitatur. Alius sub prima cute est draco,Ille est pardus,ille lupus,ille immanis aper, ille satyrus,corniger & capripes.Nam quid aliud esse dicas tot rei alienæ raptores,tot sanguinis humani sititores, tot impios & sacrilegos,tot fœdos & libidinosos? Huic tā immani portento sola temperantia suo potentissimo numine hominem eripit.Atque adeò temperans est is, qui non solum præsentes cupiditates cohibere,sed & sua firmitate aduenientes excludere potest. Qui hanc virtutē penitius introspexerunt non dubitauerunt eam vocare ærarium, siue promptuarium virtutis,humani generis patrocinium, moderatricem omnium commotionū,regulam appetendi quicquid expedit,& vitandi quicquid nocet. A quibus vitijs superari turpe est (& à quibus non est?) ab his ipsa hominem immunē præstat,animū concordia placat ac lenit,ac proinde cæteras virtutes inducit. Ergo quàm cupiditatum intemperantia, sicuti torrens aut equus effrænis hominem sistit in locis præcipitibus,tam temperantia eum continet intra tutissima septa honestatis & officij. Potissimùm accurrit ad auaritiæ rabiem cōpescendam, & ad obliterandum fucum voluptatū,ad extinguenda incendia insidiosissimarum libidinum,quæ corpori per tactum,perque gustatum abblandiuntur. Hinc statue fœdas voluptates,hinc super vacuas ægritudines. Quod inter hæc extrema non solùm medium, sed eminens, & in vtriusque perniciem imminens est,ea est temperantia, præstantissimus animi habitus.Nec tamen hæc virtus hominem vetat rerum iucundarum aspectu frui, concentu duci, olfactu delectari, res amabiles tractare, sed certè prohibet quemquam vlla turpitudine capi, vult eum nunquam ab honestate discedere.Est ergo temperantia eius appetentiæ propria,quæ non vltra terminos rectæ rationis extenditur.Est id genus fortitudinis quæ cupiditates eas, quæ homini cum bestia sunt communes,proturbat, quæ assumpta sibi comi-

comite sitis & esuriei, æstus & frigoris tolerantia, atque adeò contēta necessario atque vtili quorū vtroque humana vita constat, hominem perducit ad altissima decora. Denique temperantia est ipsissima innocentia, id est, ea affectio, quæ nocet nemini, quæ hominem nihil neque turpiter, neque nequiter admittere patitur. Dic Romanis, ait Romulus cœlo exceptus, alloquens Iulium Proclum, temperantiam cum fortitudine exerceant. Hisce gradibus eos ad summum potentiæ peruenturos. Vt omnis hominum generis hæc virtus sit summum decus, certè in opulentioribus ac iunioribus eò luculētior est, quò rapidiùs vtriq. ad id feruntur quod cupiunt. Certè sine hac apud vtrosq. nullus est flagitiis modus. Hac adhibita, nullus est in iis quę ad delectationem ac dignitatem vsurpantur, næuus. Ergo Aristippus, quamlibet in vnguento & purpura, non minùs Diogene, qui degit in pera & sordibus, temperantiæ laudibus extollitur. Nec minùs Scipio vernante sanguine gestat hoc nobilissimum insigne quàm Cato senescente. Hinc palam est, quàm illi falsò temperantiam iactent & ostentent, qui summum bonum in voluptate collocant, quæ vbicunque nidificat, ibidem temperantiæ locus est nullus. Nullus item eorum temperans est, qui aliqua se libidine continent, in alias effūdunt. Esse temperamentum non est, semel amplecti id quod expetendum, non semel aut iterum, reijcere quod fugiendum, sed rationi, vt dominæ, subijcere omnes appetitus, eligendo, amplectendo, vitando perpetuò conseruare considerata iudicia mentis, perstrare in eo quod sit ratione constitutum, moderatam in omni re seruare constantiam. Homini temperanti, si dormit, placida quies, si vigilat, alta securitas est, nunquam disconuenit in ordine vitę. Temperantia est harmoniæ similis, est prudentiæ cognata, est æquitati & iustitiæ affinis. Homo tēperans se, suaque diuinæ voluntati libenter submittit, sponte legibus obtemperat, cum æqualibus æquo iure agit, suos ipse honores, suasque laudes attenuat, si princeps aut rex est, diuitum ac tenuiorum factiones æquat, vt non hanc illa opprimat, non hęc ab illa secessionem faciat, iustitiæ seruandæ gratia plurimas molestias exhaurit, nec dubitant perdurare ad inimicitias & contumelias, non irascitur, sed sui potens est, non animo indul-

get ſed animum regit, caſtigat, inſtruit, cupiditatibus ereptum virtuti commendat. Denique temperans is dici poteſt, qui ſe nouit. Nec defuerunt ſapientes, qui illud, Noſce te ipſum, his verbis interpretati ſunt, Eſto temperans. Siquid negotij homo temperans prę manibus habet, id puris exequitur. Rigida, incorrupta, inſuperabilis innocentia eſt ei ſummum bonum. Huic quamlibet vile tegmen, dummodo idoneum iniuriæ repellendæ, eſt amictus ſplendidiſſimus; terra cubile optatiſſimum, eſuries obſonium quæſitiſſimum. Hic ille eſt qui ridet epulas Sybariticis, & Siracuſiis menſis appoſitas. Hic nulla vini copia mergitur, ab nulla illicita & immoderata venere furiatur, non tempora quietis acerrimis curis tranſigit. Reſtrictè viuit, ſed ſanctè, hilariter ac iucundè. Voluntaria paupertas, ſicuti teſtis innocentiæ, eſt ei pro ſummis delitijs, parſimonia quæſtus vberrimus. Neque tamen agit incomptus, horridus, ſordidus. Terſus potius ac ſemper nitidus eſt tam magni pectoris homo. Huc adde, quòd is cui hæc virtus eſt propitia, non aduerſis proſternitur, non ſecundis luxuriatur, non lætis corrumpitur, nullam potentiorum gratiam venatur, nulla felicitate geſtit, non ſe in cothurnum erigit, nō ſuperfluas opes aucupatur, non operoſas voluptates conſectatur, obuias, faciles, innocentes haud aſpernatur, non eſt cupidus, ſed neceſſarijs contentus. Huius firmitatem vt nulla proſperitas inflat ita nulla calamitas labefactat, pluris ducit conſcientiam quàm famam, Et, quod maximum eſt, non ſolùm ſuos, ſed ſuo ſalutari exemplo ſæuientes aliorum impetus mitigare poteſt. Ipſe ſibi non plus arrogat, quàm quantum contemptui vitando, ac dignitati tuendæ ſatis eſt. Nunquam ſe cuiquam, ſibi præſtantiores præponit. Et hic quidem ſapientes imitatur eos, qui aureum tripodem ab ſingulis ad alios miſſum, & ab ſingulis repudiatum, poſtremò omnes Apollini conſecrarunt. Sic nos hanc tantam virtutem ſtrictim delineamus, quæ mox articulatim demonſtrabitur.

CAP. LIX.

De eadem virtute sub nominibus continentiæ, abstinentiæ, frugalitatis, modestiæ, modi & moderationis.

HÆc ipsa virt' signatur vocabulo cõtinẽtię, quod cõtinet cupiditatem & appetitionẽ erũpentem ad consequutionem earum rerum quæ sunt inutiles & superuacaneæ. Vt enim nullius egere diuinitatis est, ita quàm minimum diuinitati proximum est. Certè sapientem id quod superest plus contristat, quàm reliquos homines id quod deest. Ergo is assumit continentiam, quæ depugnat cum iis omnibus quę anima perperam concupiscit non contenta modicis & necessariis. Nec verò animus suis dotibus locupletari potest, si non priùs quicquid luxurians, & ipsi corpori graue est, circumciditur. Qua propter quisquis continens est, huius animus excelsus quicquid multitudo admiratur, despicit, Nulla auri, nulla argenti copia mouetur, possessiones, honores, ipsas laudes, quæ ipsos sæpe firmiores labefaciunt, parui ducit. Proinde illa omnia, quę sunt ab his aut circa hæc nunquam animo eius adrepunt, cuiusmodi sunt editiones, & quidpiam insoliti spectaculi, lautiores epularum apparatus, vestis splendidior, supellex pretiosior, ac talia. Huius virtutis experimentum in Socrate illud fuit, quod cùm is tam multa ac tam varia in foro venalia conspiceret, Videte, inquit, ô socij, quantis & qualibus opus non habeo. Cuicunque pauca satis sunt, is neutiquam queritur se destitui multis. Ergo continentia consistit in eo, vt nihil concupiscas pręter rationem rectam, nihil nimium acquiras & possideas, nihil item plus quàm par est, loquaris, linguam, id quod est inter præcipua humanæ maiestatis ornamenta, contineas. Hæc quoque virtus eò spectat, vt ęstuãtes sanguinis libidines quisq; contineat & comprimat. Et verò eum quoque dicimus esse continẽtem, qui propriam & alienam pudicitiam reuerẽter habet, qui suum corpus non minùs quàm animam cogit conuenienter stare pactis, & conuentis cũ Deo initis, qui nulla

voluptate euiratur, nulla fœditate inquinatur, nihil sui mēbri ab quoquam pollui patitur, nullū corpus ipse libidinosè contrectat, qui cingulo huius virtutis constringit carnem suam, ne libidinum pondere depressa cœlestia cōtingere nequeat. Quin & illud firmamus, ad huius virtutis cotem omnes alias explorari. Atque adeò quisquis hac destituitur, hunc nequicquam aliis gloriari. Contra, ei qui sit continens, nullam virtutem deesse censemus. Enimverò continens ita quoque dicitur quòd is in se omnia bona continet. Omnino plus vtique laudis Cyrus, Alexander, Scipio, alij è continentia quàm è fortitudine omniū consensu adepti sunt. Xenocratem, quòd Lais in eius lectum immissa non commouit, magnum decus hodieque sequitur. Eadem laude censetur Zeno. Vnde illud, Zenone continentior. Nec planè absurdè antiquitas huius virtutis symbolum posuit partem genitalem manu contectā. Ne te morer, continentem dicimus esse illum, apud quem pars ea quæ est compos rationis, comprimit eam, quæ tanti boni expers, sine hoc fræno excurrit ad illicita. Hac virtute vt nulla est bonitati propior, ita nulla ex omnibus ad conciliādum hominum beneuolentiam est validior. Eadē prorsus est abstinentiæ ratio. Nam abstinenter vitam agere nihil aliud est quàm temperanter, innocenter, castè. Abstinētiam scientissimi & pientissimi mortalium intellexerunt esse rescissionem cupiditatum, & omissionem voluptatum, ac proinde extinctionem peccati, eam quæ totum hominem recipiendæ bonæ valetudini reddit idoneum. Et quia cibi potusque luxuries alit affectus & cupiditates, is quem vocamus abstinentem, sibi priuatim, at princeps & Senatus publicè ieiunandi necessitatem indicunt, vt ieiunio corpus leuati, mens defœcari, totus homo puritati & castitati asseri possit. Abstinentia corpus tenuat, ne animus superbia intumescat; id præstat, vt vultus cuique palleat, ne animus vlla inuidia liueat, demit ventri pabulum, vt animus sit ieiunus à vitiis. Christiana pietas ieiunio productiore & seueriore preces alit. Scythico regi illo die ieiunandum fuit, quo quidpiam malè iudicasset, nimirum, vt victu contractiore lasciuiens & iniustus animus ad ęquitatem reuocari posset. Traditū est, Mæonas remedio sterilitatis alternis diebus ieiunare, alternis vti cibo modico. Antiquitus

Nepha-

Nephalia Baccho sacrificari mos fuit, vt interdũ homines ipso temeto abstinere discerent, quod est inter pręcipua incentiua libidinis. Galienus imperator decimi cuiusq; diei abstinentiam, vt efficacissimam medicinam, populis indixit, vt quod diuturna voracitas sauciauerat, breue ieiunium sanaret. Sed enim saluberrima omniũ abstinentia dicitur frugalitas, quam virtutem Pythagoras veluti matrem cæterarum virtutũ omnibus ingerebat. Enimuero sic prudentes putarunt, Frugalitate tres virtutes contineri, fortitudinem, iustitiam, prudentiam. Vel sola appellatione quãta sit huius virtutis excellentia demonstratur. Nam à fruge, qua fruge nihil melius terra procreat, denominatã volunt, quasi sola fruge contentam, nec quicquam amplius desiderantem. Hæc opulentum in medijs opibus fortè suæ, certè vltimorum maiorum paupertatis admonet. Id quod huc pertinet, vt diuites facti, & ab exili atq; humili in altissimum locum euecti non semper aurũ & gemmas morentur, sed fictilibus cœnare discãt, rapis, olusculis, agresti quocunque cibo libenter vesci possint, sæpe abacũ Samio luto sibi exornari, sæpe etiam vilia fercula in ipsis aureis gemmatisq; vasis sibi ministrari patiantur, interdũ sibi ipsi propria manu è fonte infundant, aut è profluente hauriant, iniqua animi desideria, quicquid est corpori illecebrã, vt redundans, comprimãt aut resecent; ijs omnibus ęquo animo carere possint, quibus valetudinis & vitæ detrimẽta continentur. Quicquid constantia, temperantia, continentia, abstinentia docent ac suadent, id omne vna frugalitas cõplectitur. Nec enim hæc minùs quàm illæ, animi appetẽtis motus regit ac sedat, vt semper sint in potestate rationis. Ergo cæteras temperantię appellationes ad nomen frugalitatis, tanquam ad caput, rectè referri constat. Hinc homo frugi, hoc est modico contentus, probus & innocens, quemque omnia rectè facere aiunt. Quomodo contra, homo nequam inde dictus est, quòd nequicquam, id est nihil est. Quisquis morum probitate spectatissimus est, rarò iustus, prudens, fortis dicitur. Sed si frugalis audit, ipse omnium se laudum fastigium insedisse existimat. Vsque eò omnis honestas, omnisque sanctitas in vna frugalitate posita est ea, cuius effectus descripsi. Anacharsis magnus ille sapiens Hannoni scribens, è tot suis virtutibus nullam

voluptate euiratur, nulla fœditate inquinatur, nihil sui mẽbri ab quoquam pollui patitur, nullũ corpus ipse libidinosè contrectat, qui cingulo huius virtutis constringit carnem suam, ne libidinum pondere depressa cœlestia cõtingere nequeat. Quin & illud firmamus, ad huius virtutis cotem omnes alias explorari, Atque adeò quisquis hac destituitur, hunc nequicquam aliis gloriari. Contra, ei qui sit continens, nullam virtutem deesse censemus. Enimverò continens ita quoque dicitur quòd is in se omnia bona continet. Omnino plus vtique laudis Cyrus, Alexander, Scipio, alij è continentia quàm è fortitudine omniũ consensu adepti sunt. Xenocratem, quòd Lais in eius lectum immissa non commouit, magnum decus hodieque sequitur. Eadem laude censetur Zeno. Vnde illud, Zenone continentior. Nec planè absurdè antiquitas huius virtutis symbolum posuit partem genitalem manu contectã. Ne te morer, continentem dicimus esse illum, apud quem pars ea quæ est compos rationis, comprimit eam, quæ tanti boni expers, sine hoc fræno excurrit ad illicita Hac virtute vt nulla est bonitati propior, ita nulla ex omnibus ad conciliãdum hominum beneuolentiam est validior. Eadẽ prorsus est abstinentiæ ratio. Nam abstinenter vitam agere nihil aliud est quàm temperanter, innocenter, castè. Abstinẽtiam scientissimi & pientissimi mortalium intellexerunt esse rescissionem cupiditatum, & omissionem voluptatum, ac proinde extinctionem peccati, eam quæ totum hominem recipiendæ bonæ valetudini reddit idoneum. Et quia cibi potusque luxuries alit affectus & cupiditates, is quem vocamus abstinentem, sibi priuatim, at princeps & Senatus publicè ieiunandi necessitatem indicunt, vt ieiunio corpus leuari, mens defœcari, totus homo puritati & castitati asseri possit. Abstinentia corpus tenuat, ne animus superbia intumescat; id præstat, vt vultus cuique palleat, ne animus vlla inuidia liueat, demit ventri pabulum, vt animus sit ieiunus à vitiis. Christiana pietas ieiunio productiore & seueriore preces alit. Scythico regi illo die ieiunandum fuit, quo quidpiam malè iudicasset, nimirum, vt victu contractiore lasciuiens & iniustus animus ad æquitatem reuocari posset. Traditũ est, Mæonas remedio sterilitatis alternis diebus ieiunare, alternis vti cibo modico Antiquitus

Nepha-

Nephalia Baccho sacrificari mos fuit, vt interdũ homines ipso temeto abstinere discerent, quod est inter præcipua incentiua libidinis. Galienus imperator decimi cuiusq; diei abstinentiam, vt efficacissimam medicinam, populis indixit, vt quod diuturna voracitas sauciauerat, breue ieiunium sanaret. Sed enim saluberrima omniũ abstinentia dicitur frugalitas, quam virtutem Pythagoras veluti matrem cæterarum virtutũ omnibus ingerebat. Enimuero sic prudentes putarunt, Frugalitate tres virtutes contineri, fortitudinem, iustitiam, prudentiam. Vel sola appellatione quãta sit huius virtutis excellentia demonstratur. Nam à fruge, qua fruge nihil melius terra procreat, denominatã volunt, quasi sola fruge contentam, nec quicquam amplius desiderantem. Hæc opulentum in medijs opibus fortè suæ, certè vltimorum maiorum paupertatis admonet. Id quod huc pertinet, vt diuites facti, & ab exili atq; humili in altissimum locum euecti non semper aurũ & gemmas morentur, sed fictilibus cœnare discãt, rapis, olusculis, agresti quecunque cibo libenter vesci possint, sæpe abacũ Samio luto sibi exornari, sæpe etiam vilia fercula in ipsis aureis gemmatisq; vasis sibi ministrari patiantur, interdũ sibi ipsi propria manu è fonte infundant, aut è profluente hauriant, iniqua animi desideria, quicquid est corpori illecebrá, vt redundans, comprimãt aut resecent; ijs omnibus æquo animo carere possint, quibus valetudinis & vitæ detrimẽta continentur. Quicquid constantia, temperantia, continentia, abstinentia docent ac suadent, id omne vna frugalitas cõplectitur. Nec enim hæc minùs quàm illæ, animi appetẽtis motus regit ac sedat, vt semper sint in potestate rationis. Ergo cæteras temperantiæ appellationes ad nomen frugalitatis, tanquam ad caput, rectè referri constat. Hinc homo frugi, hoc est modico contentus, probus & innocens, quemque omnia rectè facere aiunt. Quomodo contra, homo nequam inde dictus est, quòd nequicquam, id est nihil est. Quisquis morum probitate spectatissimus est, raro iustus, prudens, fortis dicitur. Sed si frugalis audit, ipse omnium se laudum fastigium insedisse existimat. Vsque eò omnis honestas, omnisque sanctitas in vna frugalitate posita est ea, cuius effectus descripsi. Anacharsis magnus ille sapiens Hannoni scribens, è tot suis virtutibus nullam

commemorat aut describit, nisi vnam frugalitatem, hanc ostentat vt certissimum documentum omnium virtutum. Mihi,inquit, amictus est Scythicum tegmen,calciamentum solorum callum, cubile terra, pulpamentum esuries. Lacte, caseo, carnibus vescor.Quapropter tibi licet venire ad me planè quietum.Num potuit sui sedationem animi efficaciùs commendare, quàm repræsentanda ratione victus tam facilis, tamque parabilis? Simili propemodum ratione & oratione rex quidam Indicus Apollonium Tyaneum,rapuit in admirationem sui. Tantum,inquit,vini bibo quantum soli libo.Quicquid venatione quæsiui, is alijs est pastus.Mihi certè satis est venando corpus exercere.Escę meę sunt herbæ vulgares,summæ palmæ earumque fructus, & oluscula quæ mihi hortus fluminis alluuione irrigatus abundè suppeditat.Interdum epulæ meæ sunt ab arborum exuuijs, quarum cultrices sunt hæ manus.Priscis heroibus illa celebratissima frugalitas adscribitur sicuti omniũ virtutum absolutio.Certè Nestori, Alcinoo, Menelao, Telemacho bubulæ carnes apponuntur, Dijs nihil præter ambrosiam & nectar.Non cœnæ Hecales tenuitatem Theseus est aspernatus.Nullum horum,aut his similium fame enectum audimus.Omnes tamen in media rerum abundantia frugalitatis seruantissimi fuerunt.Mensę regum Ægyptiorũ nihil præter vitulum & anserem inferri solitum.Tantis regibus is fuit epularum modus,quæ neque farcirent ventrẽ, neque cerebrum tangerent.Neochabis,ac Bocchoris reges tanquam è pręscripto medici, atque adeò ex lege & consuetudine vitæ non regiæ sed priuatæ rationem instituisse dicuntur.Quicquid ibi paratus fuit,veriùs mundiciei quàm magnificentiæ affinis fuit, ac quotidianæ necessariæ rei præbitor, non vllius rei luxus ostentator. Quæ laus tanti apud omnes homines fuit, vt de hac virtute libri extiterint, qualis is, quem Alexis de frugalitate sua sorte contenta scripsisse dicitur. Maluerunt Romani eam moribus repræsentare,quàm de ea vbertim scribere. Cuius rei exstant perillustria exempla priscorum hominum Q.Cincinnati,C.Fabricij,Manij Curij Dentati aliorum. Quisquis apud tales cœnaret,nõ solùm in præsentem,sed in plurimos dies epulari dicebatur,vt Platoni Timotheus Cononis filius dixit.Nimirum in Academico Platonis conuiuio conuiuæ

ideo

ideo lautè & eleganter accipiebantur, quòd ibi non infarciebatur epulatum abundantia, sed spectabatur musica illa concinnitas, quæ omnis boni moris magistra fuit. Et verò talia conuiuia dici poterant communiones studiorum, regula omnis disciplinæ, lautities doctorum sermonum, specimen actionum præclarissimarum. Ab omni frugalitatis commercio excludo sordes, squalorem, pęnulas nescio quas laceras, & olentia centumcula, quibus quędam mendicabula hominum genera amiciri solent, tum escas ostiatim aut vicatim mendicatas, alimenta illorum quos turpis egestas premit, mendicitas circumagit. Frugalitas è copia secernit paucula, è lautitia id quod simplex & necessarium. Nec aliter hęc virtus esset filia temperantiæ. Nec verò frugalitas & splendor siue magnificentia, ac cætera decora opulentitati ac potentiæ seposita sunt res insociabiles. Prudentes frugalitatem & magnificentiam præclarè copulant. Qua laude M. Antonius philosophus disertim censetur. Nec in cibis tantùm, sed & in ijs omnibus quę pertinent ad cultum, frugalitas frequenter eminet, nimirum, vbicunque omnis luxus, omnisque nimietas amputatur. Huius generis illud est, quod Romæ vetusto more in cœna fictilibus vtebantur. Quo certè exemplo Massanissa rex Libyæ cùm cœnam fictilibus instruxisset, omnibus conuiuis vtenda dedit argentea. Hanc quoque dicimus fuisse si non frugalitatem, at frugalitatis imitationem, simulationem, ostentationem. Ille quoque Attila tam ferox & ferus præsentibus legatis Romanis, lignea suppellectile sibi ministrari voluit, cùm alijs apponeretur argentea. Cui paratui corporis cultus fuit simillimus, vestis, videlicet, non pretiosa, sed nitida, nihilq; quod esset auro, lapillisúe distinctum, sed omnia simplicia, & militarem in modum adornata. Porrò nulla frugalitas est sine modestia, quod est inter præclarissima dona diuinæ bonitatis. Modestia est voluntarius quidam recessus ab eo quo quisque maximè commendari potest. Hunc sequitur decorus corporis motus, cæteræque actiones quę proficiscuntur à mente casta. Modestus est is, qui cùm de se parcè sentiat, eâdē sese & sua metitur eo pede & modulo, qui rationi consentaneus est. Hominē modestū non dotes ingenij, nō honores, non opes inflant, non de se magnificentiùs sentit, quàm iubetur à cōscientia. Nec tamē stupi

dum dicimus, eumque qui nesciat quid sibi in hac vitæ communione ab aliis tribui æquum sit. Verùm hoc se modestũ probat, quod si modica & sueta meretur, non appetit magna & insolita. A conuenientia nunquam discedit. Non pedi aptat calceũ pede maiorem. Etsi est Olympionicus, nõ sibi cupit sua statura statuas maiores erigi. Si nauta, non cymbę imponit velum quinqueremis, sed cõtractius & cymbæ conuenientius. Cyrus modestiam à verecundia sic distinxit, vt hæc quicquid palam turpe est, palam deuitet, modestia etiam illa quæ clam fieri possunt. Modestia ergo versatur circa præclaram conscientiam propriæ dotis, cui nihil quidẽ illi qui modestus est, detrahit, ne ipse sibi sit inimicus, verum id præcipuè cauet, ne inde intumescat. In primis homo modestus, nõ expectato legis aut magistratus imperio, sibi ipse ius dicit. Ipse sibi monitor & præmõstrator adest. Satis intelligit, nullum esse firmiorem ad veram gloriam, magnamque claritatem gradum, quàm animo in tempore moderari. Modestiæ decus vt sit proprium omniũ hominum, tum præcipuè adolescentium peculiaris dos est. Fœminis quoque nulla est forma commendatior illa, cui comes est mens modesta. Ipsi imperitiores, dummodo modesti, multò sunt tolerabiliores & commodiores homines, quàm nescio qui supercilio si versutiores & elatiores. Cęterùm modestia nulla intelligitur sine modo & moderatione, qui est habitus inter defectũ nimiæ sui depressionis, & excessum nimiæ elationis medius. Quicquid est infra aut supra hunc modũ, id lubrico & instabili loco est. Ipsa certè moderatio à modo dicta est, hoc est, modico. Vis huius virtutis tanta est, vt inuidiam, horribile portentũ, nõ alius faciliùs comprimat, quàm is, qui rerùm prosperitatem moderatè ferre potest. Moderationis symbolum antiquitas voluit esse alas Dædali. Cùm enim hæ essent cereæ, vtique Dædalo satis fuit, si talis ope remigij extaret supra fluctus, non etiam peteret connexa cœli. Ipse Dædalus voluit eas, ne arefactæ soluerentur, interdum vuescere, nec semper ardori solis exponi. Quæ sanè ratio est inter maximos effectus prudentiæ, cui cum modo & moderatione multa affinitas est. Dicimus ergo, Modum & moderationẽ esse frænum procurrentium cupiditatum, & exclusionem eius quod nimium est. Quippe ea quæ sunt nimia homini

mul-

multò plus exhibent negotij quàm ipsa egestas. Porrò cùm perfectio consistat in eo quod satis est, quicquid nimium est nihil minùs quàm perfectio est. Nullus item cuiusq; rei artifex æstimatorque dicitur, nisi is vnus qui sentit quid in quaque re sit satis, vt de pictore Apelles dixit. Quid illustrius est, quàm laboribus & periculis summos honores mereri, meritos consequi: Atqui honorum amplitudinem tẽperare apud prudẽtes haud minor, ausim dicere maior laus est, quàm eos meruisse. Rebus gestis, & laudibus quamlibet maximis, permultum deest, si non ex moderationis gloria cumulantur. Quid item apud omnes homines cõmendatius, quàm in egenos beneficia spargere? Liberalitatis tamen haud exiguum in modo momentum est. Num quicquam humanæ dignitati repræsentandæ aptius, quàm sermo sensuum interpres? At vnus fandi tacendique modus hanc dignitatem asserit. Quid in vita magis expetendum quàm diuitijs abundare? tamen inuerecundus diuitiarum vsus est ipsissima arx vitij Tum nimiæ ac plus quàm ciuiles opes, ea verò est pernicies possidentis. Quid item speciósiùs quàm priuatam dignitatem lautitia tueri? Tamen sine modo lautitiam luxus deformitas continuò excipit. Quid honestati conuenientius quàm bonam famam expetere? Non tamen desunt, qui dum se bonos dici nimiùm studẽt, euadunt inepti, atque adeò mali, quia regulam omnium rerum, qui modus est, ignorant. Num quicquam cursu rerum secundarum cuiquam accidere potest optatius? Verùm si in hoc cursu nullum est temperamentum, si ei acriùs insistis quàm consideratiùs, tu verò diligenter vide ne deferaris ad exitus infelicissimos. Denique quicquid per se bonum est, suum sine modo vsum gratiamq; perdit. In solo modo & moderatione est æquitas, æqualitas, omnium rerum æquilibritas. Ipsius scientiæ, quæ est rerũ cognitio, quam nonnulli sapientiam nuncuparunt, nimia auiditas quæ monstra non peperit? Ea re à prudentioribus in primis cõmendatur ex ipsa sapientia modus. Philosophia inquit Plato, est negotium elegans & venustum, obiter scilicet, arrepta. Quod si quis in illa plus æquo moretur, ei perniciẽ affert. Vnius tantùm virtutis, id est innocẽtię & bonitatis sine modo cupiditas laudatur. Huic, inquã, nullũ modum, nullum terminum pono. Quo quisque hinc locuple-

tior est, hoc Deo gratior, hoc hominibus acceptior est. Neque enim periculum est, vt id possit esse nimium, quod omnes optare debent vt sit maximum.

Cap. LX.

Summi loci homines monentur vt hanc virtutem potissimum colant.



VT hæc virtus interiùs pacat hominem, vt victũ cultumque corporis, luxu exploso, redigit ad sanum modum, vt est inimica libidinum, & conseruatrix bonæ valetudinis, vt voluptatum disiicit illecebras, vt nihil cupit eorum quę vulgus hominum suspicit, vt ipsa nec delicata est nec putida, sed semper censoria, semper in se seuera, vt vnamquamque rem naturæ, rationisq; terminis definit, & hinc ei modum statuit, vt est cautissima custos eius conuenientiæ, sine qua homo sit mera deformitas, vt superbiam & lasciuiam, & appetentiam comprimit, vt se egregiè contenta est, ita fatendum est esse bonum summorum hominum maximè proprium. Eccui obsecro, hians cupiditas plus insidietur & noceat, ecquem auiditas & rapacitas periculosiùs trahat, eccui fall ces bonorũ species frequentiùs illudant, quàm illi, qui habet ad manum omnes occasiones lasciuiendi, libidinãdi, omnes moderationis & continentiæ fines excedendi? Si omnium hominum, cuiuscunque sortis lócique sint, maximè interest, vt hoc tanto decore niteant, quid ipsos rerum dominos? Vsquamne reperiantur alij, à quibus plus temperantiæ & moderationis exigatur, quàm ab ijs, qui in summa potestate summam habent licentiam? Hos ergo etiam atque etiam admonitos volo, vt quantum se, suaque amant, tantùm huic virtuti litent, hac se tam pretiosa, tamque venerabili prætexta totos conuestiant. Sic putent, eos qui in alijs sunt næui, in ipsorum personis esse magnas, turpesque maculas. Quò magis in sublime euecti sunt, hoc magis ab ipsis exigi vt hoc tanto decore nitescant & emineant. Qui inter medias cupiditatum & libidinum occasiones versantur,

tur, has vegeta & se digna ratione refrænant, suum quisque sæculum, suumque nomen hac laude nobilitent, hanc victoriam, hunc triumphum expetant. Si magna ditionis accessio facta est, si qua ingenti præda, alioue successu ærariū vberius redditum, aut fisci locupletiores & ponderosiores facti sunt, hæc porrò felicitas tributorum, vectigalium, aliorumq; onerum temperationem adferat. Ipsi nihil ex ea tanta gaza priuatim seponant, rei gestæ laude contenti, & sui nominis memoria sempiterna. Rempublicam ex ea copia subleuare ornare, ditare malint, quàm inde suos penates implere. Hunc sibi vberrimum quæstum, has sibi firmas & mansuras opes parent. Nulla in vniuersa principis ditione tanta res est, qua is æquè lætari, ac prope dixerim, gloriari possit, atque hac pulcherrima cupiditatum & libidinū continentia. Quippe hoc est excelsi animi specimen, ea sibi negare quæ concupiscere nefas est, neque manum inijcere illis quæ in alios potiùs contulisse regium est. Denique hac ratione bene meritorum commoda proprijs & solatijs & vtilitatibus anteponere. Hoc demum est iustitiam colere, ac proinde & suo & modico esse contentum, nec tam tribuere opibus quàm bonis moribus, id est, moderationi, quæ est ipsa rerum æquitas. Hæc est illa quæ principem reddit suspiciendum, omnibusque gentibus appetendum. Hinc quoque illud princeps adsequitur, vt dū non omnia illa capit quæ sibi licent, maiora consequatur, quàm ea quæ sperare ausus esset. Quin ipse donare censetur illa à quibus abstinet, eoque magis quò sunt maiora, & flagrantioribus votis ab omnibus expetuntur. Quapropter principi laus hinc duplici ratione surgit. Quippe illius benignitas qui auferre & rapere potest, tunc est conspectissima, cùm eam subleuandis hominibus impendit. Nec etiam paucioribus aut minoribus laudibus celebratur, cùm nemini quicquam adimit. Vtraque ratione, nimirum beneficentiam & innocentiam profitēdo principi pronum est omni tempore liberalem & munificum esse. Cæterùm ita natura rerum fert, vt vix quisquam sit abstinens alieni, qui idem non sit benignus ac promptus largitor sui, potissimùm procliuis ad opitulandum egenis. Sūma hæc est, eos principes non optimè vixisse qui lautissimè, sed eos qui modestissimè. At hanc laudem nemo sine huius virtutis ope asse-

quitur. Temperantia illa eſt, quæ & principi aufert neceſſitatem latrocinandi, eique abundè & frequenter ſubminiſtrat materiam benignè faciendi. Non deſunt principes, qui cùm ſciant, quæ laus moderationem ſequatur, hanc malunt affectare veriùs quàm acquirere. Cùm enim ſuperbiam & crudelitatem expleuerunt, tunc falſis argumentis famam continentiæ conſectantur. Nec intelligunt, hanc virtutem diu, ac ſumma ope elaborari debere, vt euadat vera & ſolida, & vbique ſui ſimilis. Alij tunc ſimulant modeſtiam, cùm ipſorum immodeſtiæ locum vident eſſe nullum. Quod ſe aſſequi poſſe deſperant, ab eo ſe modeſtia & probitate abſtinere videri volunt. Falsò. Vbi enim vis ſuperat, ibi tantùm iabſtinentia, temperantia, continentia, modeſtia & moderatio ſunt nomina illius qui plus poteſt. Quidam, vt mulieres impudicæ, amatores repellendo, eos plus pluſque accendunt, recuſando aut remittendo ea, quæ flagrantiſſimè cupiunt. Nimirum, dum moderationem ſimulant, malum ijs minitantur & machinantur, qui acumine ingenij intimos, eóſdemque prauiſſimos ipſorum ſenſus introſpicere poſſunt. Qui, ſcilicet, ipſis nimiùm intelligere videntur. Iſti arrogante & falſa ſpecie moderationis & modeſtiæ omnem ſuperbiam excedunt. At ſummæ poteſtatis nulla verior laus eſt, quàm reiectis ſimulachris & imaginibus virtutum, omni, inquam, fuco & inanitate excluſa, veris ac ſolidis virtutibus pectus imbuere. Alij, quibus nihil eſt inertius, negligentius, diſſolutius, dum toti torpent, modeſtiam & abſtinentiam ſimulant, prorſus infelix ac vecors hominum ſecta. Poſtremò hoc principibus idemtidem ſubiicio, flagratiores eſſe populorum amores erga modeſtiam & moderationem regnatoris, quàm erga animi eius excelſitatem, ipſamque adeò rerum geſtarum magnitudinem.

CAP.

CAP. LXI.

Supradictas virtutes proximo interuallo sequitur mansuetudo.



NVLLA temperantia siue modestia retundit aut deprimit humani ingenij sublimitatem eam, sine quâ nulla est hominis dignitas, nulla maiestas, nulla eius inter res creatas eminentia. Quin huius tantæ prærogatiuæ autor est optima conscientia. Hæc quotiescunque suis bonis nititur, hinc homo fit erectior, hinc sibimet ipsi ob proprias dotes commendatior. Sibi tamen hactenus præfidit, vt non vltra mortale tumeat, sed quò meritis est maior, hoc se ipse depressiorem facit, & erga quoscunque comem, facilem, officiosum. Pauca aut nulla sibi, plura & maiora alijs tribuit, nusquam se cupidè venditat, nunquam suam sapientiam aut potentiam ambitiosè ostentat. Sed alienæ libenter assurgit. Hunc vocamus hominem mansuetum, eum qui se vel infimis probat obsequiorum frequentia, conuersatione placida, morum ingenuitate suspicienda. Est quidem mansuetudo temperantiæ affinis virtus, iisq; omnibus virtutibus quæ temperantiæ adhærent, sed tamen ab illis proprio numine & nomine discreta. Est enim sui depressio, omnisque arrogantiæ extinctio, planè diuina facultas, quæ in homine comprimit opinionem sui, tota potiùs occupatur in alienæ virtutis admiratione, veneratione, imitatione. Hæc est à Deo hominum generi cõcessa virtus, veluti quoddam specimen omnium virtutum, & illustre exemplar omnis perfectionis. Quò magis is qui eam profitetur, consistit infimo loco, hoc magis occupat cœlestia. Quò infensiùs Deus exturbat feritatem, hoc benigniùs extollit mansuetudinem, eamque quodãmodo sibi contubernalem facit. Salsè & verè Æsopus poëta interroganti Chiloni, Quidnã Iupiter agat, Alta, inquit, deprimit, humilia extollit. Est ergo mansuetudo non quidem modus vllius iræ,

tumoris, arrogantiæ, sed mediocritas inter arrogantiam, id est, nimiam elationem sui, & stuporem, quæ est omnimoda ignoratio sui. Mansuetus est is, cuius animus vsque eò sedatus est, vt se nemini præponat, omnes sibi. Mansuetus item nunquam se contemni aut irrideri putat. Si tamẽ contemnitur, aut irridetur, id non solùm æquo, sed & magno animo fert. Hinc fit seuerior in se quæsitor, nimirum, vt si quid veri dicitur, id seriò emendet. Si falsum est, nec acerbè queritur, nec grauiùs expostulat, sed sibi impensiùs imperat nullo studio vltionis efferri. Semper est mitis, quietus, placidus, iusti & iniusti tolerans, contumeliæ patiens, omnis internæ seditionis abstinens. Nunquam inflatur iis quæ habet, sed se ipse deprimit propter ea quæ non habet. Huius virtutis pretiosissimo sale omnes præclaræ actiones condiuntur. Hæc est illa cui Christiana pietas nomen indidit Humilitas; qua dictione illa excellentia demonstratur quæ omnium virtutum vnitate continetur; certè est virtus ita depressa, vt sit altior omni fastigio. Quisquis sine hac alias sectatur, is frustra est. Hæc vsq; eò est cumulus aliarum, vt nulla ibi sit vera virtus vbi ipsa non cōparet. Est ergo ipsa quamlibet sui minimè ostentatrix, in hoc quidem augusto virtutum consessu maximè conspicua & apud cæteras omnes venerabilis cui scilicet, Deus id omne quod ipsa sibi detrahit cumulatissimè reddit. Mansueti preces neutiquam sunt euanidæ aut inualidæ, sed vt sagitta nubes penetrant, & cœlum perrumpunt. Hominũ quoque eadem ratio. Nam quanto sibi quisque est vilior, tantò alijs fit charior & pretiosior. Mirum tamen est, circa hanc virtutem esse tantam solitudinem. Nullam homines plus auersantur, qui scilicet, ita putant, si eò se, quo ipsa suadet, demittant, id verò sibi esse & opprobrium & iniuriam. Qua opinione nihil est neque absurdius, neque deprauatius. Nã quid homo de se tam magnificè sentiat, quo homine nulla res creata est infirmior, nulla ad præcipites quoscunque casus patentior, nulla deiectu facilior? quà corpus est, quid miserius? Quid aliud hominem esse dicas, nisi humum, maceratam, & animatam? Quà anima est, quid imperitius? quid ad omnem errorem, vanitatem, vilitatemque proiectius? Quemcumque veritas ad hanc suæ infirmitatis confessionem adigit, is iam sibi multùm præstitit. Nã per hunc

so-

ſolum deſcenſum itur ad eum aſcenſum qui ducit ad celſiſſima. Bonus euadit is, qui ſe priùs non bonum agnoſcit. Is è cœno imperitiæ pedem extrahit, qui cùm ſe hinc ſorditatum nouerit totus elui cupit; totus id agit vt admittatur ad adyta doctrinæ. Hac ratione prorſus fit alius. Quippe è putri & ſubacta humo naſcitur germen nitidiſſimum, ab infimis ſordibus euehitur ad cœleſtia decora, ab vltima infelicitate traducitur ad ſummum bonum: Hæc eſt illa ſalutaris perſuaſio, & illa nobilis conſcientia qua hic virtutũ apex meritò cenſetur. Vt omnium virtutum, ſic huius potiſſimum radices fateor eſſe multa amaritudine merſas, & humano palato mirè ingratas. Non enim abſque magno ſenſu doloris detrahitur arrogantia præcordijs hærens. Id quod huius virtutis proprium & admirabile facinus eſt. Verùm fructus qui hinc ſunt, omnium ſuauiſſimi ſunt. Nam pulſis deniq; falſis & inanibus, in eorum locum ſubſtituuntur vera & ſolida bona ea quæ ducunt ad faſtigium felicitatis. Qui ſe priùs inuulnerabilem & inſuperabilem gloriabatur, huic cùm palam factum eſt, quàm ad omnes ictus pateſcat, tum demum ijs ſe munimentis circumuallat quæ omnium tutiſſima ſunt. Qui erat ſortis comploratæ, ſtatim vt ſe improbitate merſum intelligit, derepente incipit ſuſpicere innocentiam, & ad hanc omni ope niti, totus in virtutem verſus huius ſacris initiari cupit. Pro homine nullius frugi incipit fieri bonus, pro cæco perſpicax, pro ſtipite omnis bonæ rei callens, pro eo qui eſt ab omni ope deſertus, ab omni bono inſtrumento paratiſſimus, denique ex infelici fortunatiſſimus. Sic mutatus non ideo reflectit oculos à ſuis principijs. Potius identidem reminiſcitur illas ſuas primæuas ſordes. Hinc omnem illum arrogantiæ tumorem magis magiſque pertundit. Abit omnis cæcitas, & adeſt lumen ſcientiæ. Abit ineptia & oſtentatio ſui, omnis malignitas & inuidia, omnis obtrectatio; & euadit ingenuus, bonorum laudator, & alienæ virtutis, vbicunque ea eſt, prõptus facilíſq; fautor. Et cùm hominem tanta animi tranquillitate præditum delineamus, nihil in eo iners, abiectũ, ſordidis moribus inquinatum cogitamus. Omnia de ipſo ſentimus magna, alta, magnifica, hunc eſſe omnium virtutum alumnum nos quidem audacter firmamus. Contra qui hac virtute deſtitutus ſit, hunc Deus ignorat, homi-

nes oderunt;huic nullam virtutem attribuimus,sola virtutum simulachra relinquimus, quæ obuio quoque obiectu vanescunt. Hic semper reptat per infima, semper hæret in luto. At noster semper est altus & sublimis. Animosus it per cœlestes tramites,in rebus arduis & magnis exerit vires suas,in eum admirationis locum euehitur,qui est supra omnia dignitatum culmina. Huius placabilitas rigida flectit,huius obsequium imperat. Hic dum cedit,vincit. Ipsismet regibus,hoc est verius decus,quam purpura,sceptrum, diadema,aliaque regij culminis insignia. Hæc tot tantaq; bona præstat illa virtus, quæ spei luxuriantis vanitates compescit,de vana persuasione sui, de tumidis spiritibus, de arrogantia & superbia verissimum & gloriosissimum triumphum agit.

Cap. LXII.

Temperantiæ cæterisque virtutibus, quæ sunt in comitatu eius, aduersatur Intemperantia, siue immodestia, & incontinentia, quæ sese potissimum prodit in luxu siue luxuria.


Emperantiæ, continentiæ, abstinentiæ,frugalitati,modestiæ,modo & moderationi, ipsi etiam mansuetudini contraria est intemperantia, siue immodestia,vitium eius animæ partis, cuius est continere cupiditates,Intemperantia est à tota ratione defectio, quæ efficit vt appetitiones animi nec regi nec contineri queant. Intemperans siue incontinens & immodestus est is qui noxias ac turpes voluptates honestati præponit, ac præter has nullum aliud bonum agnoscit,ideoque omnem animi prauitatem ad eas consequendas confert. Vt in contubernio temperantiæ degunt ordo, decorum, pudor, ita intemperantiam sequitur libido, confusio, impudentia, omnis ludificatio, omnis dissolutio, quæ sese prodit risu immodico, gestu lasciuo &

impudico, dicacitate & ſcommatibus, verſutia, fallacia, iniuria. Intemperantia eſt veluti quædam virulenta & latens in animo radix, è qua ſtatim vt quidpiam datur occaſionis, incontinentia pullulat. Illius ſedes eſt in cupiditate, hæc ſe aperit in actionibus. Nemo eſt incontinens qui non priùs ſit intemperans & inſolens. Intemperantia it præ, incontinentia ſequitur. Illa nunquam reſipit, pêrſtat in prauo propoſito, eſt prorſus inſanabilis. At incontinentia, quamuis ſit quædam aſſuetudo rationi contraria tamen, deſinere & ſanari poteſt. Intemperantia hæret præcordijs, & eſt intemperanti congenita quædam & perpetua improbitas. At incontinentia emergit inter plurima interualla. Intemperantes quoque vocantur ij, qui in eas voluptates, quæ ſunt guſtatus, tactuſque propriæ, ſemper ſunt procliues, qui linguæ moderari, riſum tenere, ſcurrilitatem compeſcere, meliorum deriſione abſtinere nequeunt, quibus ſunt motus corporis inſolentes, impudici, impudentes. Denique intemperantia omnem animi ſtatum conuellit. Vt corporis ægritudines oriuntur è redundantia & corruptione ſanguinis, pituitæ, bilis, ita animi perturbationibus intemperantiæ & immodeſtiæ adhæret luxus, ſiue luxuria, id eſt, id genus inſaniæ, quæ opum abundantia ad delicias, ad voluptates, ad inanem gloriolam abutitur ſpecie magnificentiæ. Ea re vnus ille qui eſt virtutum, vitiorumque intelligens, luxuriam à magnificentia ſecernere poteſt. Luxum ſiue luxuriam eſſe inſaniam, ipſum vocabulum documento eſt. Nam luxum priſca latinitas nuncupauit illud quod vulſum eſt, id eſt, loco motum, quaſi dicas luxatum, & à recta viuendi ratione exorbitans. Nec abſurdè dici poteſt, inde eſſe luſtrare, id quod valet ſcortari, & luſtra loca latebroſa & obſcœna. Nec inſcitè quidam luxurioſi vocati ſunt ἐπιμανεῖς insani, cuiuſmodi Antiochus ille proprio cognomine Epiphanes, & paruula mutatione, ſiue adgnominatione Epimanes. Luxum ergo ſiue luxuriam dicimus eſſe vitium hominis deſipientis, diſſoluti, indomiti, eius qui non parcit pudori, qui in ſolam fertur temeritatem cupiditatum, cui & neceſſaria ſordēt, & vtilia ſunt vilia, qui cùm ſit nihili, in ipſo totum animi robur frangitur, qui totus patet libidi-

ni, effuſeque quà illa præit, ſequitur. Homini luxurioſo, vbi de luxuria quidpiam remittendum eſt, confeſtim malè eſſe incipit. Huic ipſi haud ſecus quàm immundæ ſui, nuſquam niſi in ſuo volutabro melius eſt. Luxus multorum vitiorum autor, multorum fœtus eſt. Omnia, quotquot ſunt, animi probra cognatione complectitur. Omnes eum prauitates, vt ſatellites, circumſiſtunt. In primis deſidiam amplectitur, mox huius ſuaſu ad rapinas conuertitur. Poſtremò nullum dedecus non in ſeſe concipit. Quicquid vbique portentoſi eſt, id anxiè conquiſitum facit materiam improbitatis ſuæ. Luxurioſus ad omnia cupiditates extendit, licita, illicita, ad omnia voluptatum inſtrumenta eſt ingenij ſagacis & prompti, omnibus rebus audaces manus admolitur, impuris pedibus omnia calcat, vbique edit opera immania. Dum ſecundis rebus nimis exultat, dum inuſitata libidine impellitur, quicquid apud honeſtiſſimum quemque lautum eſt, huic ſic ut lutum eſt, ſolis gaudet peruerſis, inſolitis, enormibus. Quæ ſtatis temporibus natura præbet, ea luxurioſus ſua libidine antecapit. Quin & in ipſam naturam vix vnquam nō eſt iniurioſus, quam ſcilicet peruerſa imitatione mentitur, aut ſumptu inſano ſuperare nititur. Siquid quiſpiam qui ſanè ſapiat, probat, hoc illud eſt, ad quod luxus nauſeat. Ea ſibi ſeponere amat quæ nonniſi enormi pretio commendantur. Semper eſt ſuperbiæ & faſtidij plenus, ſemper iracundiam in promptu habet. Quotidie aliquid comminiſcitur quo fiat deprauatior. Hæc eſt labes ſingulorum hoc ſæpe adoleſcentiæ, hoc fœminarum, hoc totarum vrbium, totorum exercituum dedecus eſt. Potiſſimum hæc eſt illa quorumdam ſummi loci hominum demens, prodiga, perdita, humani generis depopulatrix, in magni cuiuſlibet imperij euerſionem nata luxuria, quam ipſi magnificentiam vocant. Hinc Sardanapali, Ninix, Antiochi, illa Perſicorum regum portenta, illa Romanæ maieſtatis dehoneſtamenta, quorum luxus abominabilis prorſus eſt indignus quem caſtæ aures audiant. Hoc certè immane portentum è victis gentibus primus Lucullus Romā intuliſſe dicitur, quod denique vrbem victricem ac dominā perdomuit, Catone, illo virtutis ſacrario, nequicquam clamitante. Cæterùm ſi è ſolo corporis habitu libet æſtimare luxurio-

luxuriosum, primò aspectu qualis sit, cognoscitur. Statim sciri potest, quàm sit in omnem teneritudinem mollitiemque resolutus, quàm sit omnis virilitatis perfuga, quàm omne animi robur proiecerit, quàm sit totus & deliciarum blanditij; & voluptatum illecebris circumretitus. Nihil aliud loquitur capillus vnguentatus, parum abest quin mitratus & coronatus, sæpe vulsus, vox fracta, facies meretricijs coloribus insignita, nunquam ingenua, sed opulēter ficta, habitus, risus, mores fictitij & coacti, incessus perfluus, delicatus & languidus, ipse totus pro nitido putidus, nunquam ornatus, sed calamistratus, sui, vt alter Narcissus, ineptus ac perpetuus contemplator. Videre est matronas & ipsas falsa forma, & perpetuas speculorum imagines, nec vultum, sed personam ostentantes. Opulentioribus, vt reginis, suæ sunt Næreræ, suæ Carminæ, illæ à capillis, hę ab vnguibus, omnes à voluptatibus ac delicijs. Incedunt per plateas, vt quidam ait, in phaleris pelagijs indomitæ, tollentesque pedes in strato extraneo. Cultui tam effœminato prorsus conueniens est supellex, viris ambitiosa, fœminis nugax ac tumidæ ceruiculæ testis, vtrobique totam luxuriem redolens. Nullus item luxuriosus sibi placet, si non gemmis & magaritis vsquequaque illudit. Vult omnia sibi vndique surgere nobilibus gazis, formis nouis, operibus barbaricis. Quiescit ac discumbit in lectis non æratis, sed auratis; amat degere in veste stragula. Vsque eò luxuriosus delirat, vt quandoque necesse fuerit edicere, nequis priuatus, nisi ad sacrificia, vteretur aurea suppellectile. Omitto agmina familiarium, equorum, plaustrorum, lecticarum, rhedarum, argumenta mentis corruptæ, ac luxu diffluentis. Pari insania ædificia consurgunt. Non placent tecta sani moris, necessitati, scilicet, & honestati inuenta. Tota ferme regio, quaqua patet, iam est ipsis angustū domicilium. Inquies animus nihil quod sit vna forma & cūsueta, contentus esse potest. Omnia dilatantur, & in vicina porriguntur, vbi terra est, huc aquæ immittuntur, vbi aquæ, ibi omnia exsiccantur & solidantur. Fluuiorum naturales aluei commutantur, locis voluptarijs nouæ figuræ induntur. Hîc diruitur, hîc ædificium iam in aliquam altitudinem surgit, nec dum perfectum est, cùm iam ædificari piget. Sublimia deprimuntur, plana sublimantur, angu-

ni, effuſeque quà illa præit, ſequitur. Homini luxurioſo, vbi de luxuria quidpiam remittendum eſt, confeſtim malè eſſe incipit. Huic ipſi haud ſecus quàm immundæ ſui, nuſquam niſi in ſuo volutabro melius eſt. Luxus multorum vitiorum autor, multorum fœtus eſt. Omnia, quotquot ſunt, animi probra cognatione complectitur. Omnes eum prauitates, vt ſatellites, circumſiſtunt. In primis deſidiam amplectitur, mox huius ſuaſu ad rapinas conuertitur. Poſtremò nullum dedecus non in ſeſe concipit. Quicquid vbique portentoſi eſt, id anxiè conquiſitum facit materiam improbitatis ſuæ. Luxurioſus ad omnia cupiditates extendit, licita, illicita, ad omnia voluptatum inſtrumenta eſt ingenij ſagacis & prompti, omnibus rebus audaces manus admolitur, impuris pedibus omnia calcat, vbique edit opera immania. Dum ſecundis rebus nimis exultat, dum inuſitata libidine impellitur, quicquid apud honeſtiſſimum quemque lautum eſt, huic ſic ti lutum eſt, ſolis gaudet peruerſis, inſolitis, enormibus. Quæ ſtatis temporibus natura præbet, ea luxurioſus ſua libidine antecapit. Quin & in ipſam naturam vix vnquam nō eſt iniurioſus, quam ſcilicet peruerſa imitatione mentitur, aut ſumptu inſano ſuperare nititur. Siquid quiſpiam qui ſanè ſapiat, probat, hoc illud eſt, ad quod luxus nauſeat. Ea ſibi ſeponere amat quæ nonniſi enormi pretio commendantur. Semper eſt ſuperbiæ & faſtidij plenus, ſemper iracundiam in promptu habet. Quotidie aliquid comminiſcitur quo fiat deprauatior. Hæc eſt labes ſingulorum hoc ſæpe adoleſcentiæ, hoc fœminarum, hoc totarum vrbium, totorum exercituum dedecus eſt. Potiſſimum hæc eſt illa quorumdam ſummi loci hominum demens, prodiga, perdita, humani generis depopulatrix, in magni cuiuſlibet imperij euerſionem nata luxuria, quam ipſi magnificentiam vocant. Hinc Sardanapali, Niniæ, Antiochi, illa Perſicorum regum portenta, illa Romanæ maieſtatis dehoneſtamenta, quorum luxus abominabilis prorſus eſt indignus quem caſtæ aures audiant. Hoc certè immane portentum è victis gentibus primus Lucullus Romā intuliſſe dicitur, quod denique vrbem victricem ac dominā perdomuit, Catone, illo virtutis ſacrario, nequicquam clamitante. Cæterùm ſi è ſolo corporis habitu libet æſtimare

luxuriosum, primò aspectu qualis sit, cognoscitur. Statim sciri potest, quàm sit in omnem teneritudinem mollitiemque resolutus, quàm sit omnis virilitatis perfuga, quàm omne animi robur proiecerit, quàm sit totus & deliciarum blanditij; & voluptatum illecebris circumretitus. Nihil aliud loquitur capillus vnguentatus, parum abest quin mitratus & coronatus, sæpe vulsus, vox fracta, facies meretricijs coloribus insignita, nunquam ingenua, sed opulenter ficta, habitus, risus, mores fictitij & coacti, incessus perfluus, delicatus & languidus, ipse totus pro nitido putidus, nunquam ornatus, sed calamistratus, sui, vt alter Narcissus, ineptus ac perpetuus contemplator. Videre est matronas & ipsas falsa forma, & perpetuas speculorum imagines, nec vultum, sed personam ostentantes. Opulentioribus, vt reginis, suæ sunt Næeræ, suæ Carminæ, illæ à capillis, hę ab vnguibus, omnes à voluptatibus ac delicijs. Incedunt per plateas, vt quidam ait, in phaleris pelagijs indomitæ, tollentesque pedes in strato extraneo. Cultui tam effœminato prorsus conueniens est supellex, viris ambitiosa, fœminis nugax ac tumidæ ceruiculæ testis, vtrobique totam luxuriem redolens. Nullus item luxuriosus sibi placet, si non gemmis & magaritis vsquequaque illudit. Vult omnia sibi vndique surgere nobilibus gazis, formis nouis, operibus barbar cis. Quiescit ac discumbit in lectis non æratis, sed auratis; amat degere in veste stragula. Vsque eò luxuriosus delirat, vt quandoque necesse fuerit edicere, nequis priuatus, nisi ad sacrificia, vteretur aurea suppellectile. Omitto agmina familiarium, equorum, plaustrorum, lecticarum, rhedarum, argumenta mentis corruptæ, ac luxu diffluentis. Pari insania ædificia consurgunt. Non placent tecta sani moris, necessitati, scilicet, & honestati inuenta. Tota ferme regio, quaqua patet, iam est ipsis angustũ domicilium. Inquies animus nihil quod sit vna forma & cũsueta, contentus esse potest. Omnia dilatantur, & in vicina porriguntur, vbi terra est, huc aquæ immittuntur, vbi aquæ, ibi omnia exsiccantur & solidantur. Fluuiorum naturales aluei commutantur, locis voluptarijs nouæ figuræ induntur. Hîc diruitur, hîc ædificium iam in aliquam altitudinem surgit, nec dum perfectum est, cùm iam ædificari piget. Sublimia deprimuntur, plana sublimantur, angu-

sta dilatantur, noua & nondum visa artificia in iniuriam naturæ ostentantur. Medijs æstibus frigora inseruntur. Lasciuæ tabulæ, statuarum vel impudicarum ordines, multa inertia, superuacua, pudori inimica spectantur. Super vestibulo multæ mendaces inscriptiones leguntur, in atriis, in ambulacris, super sepulchris. E spectatoribus ille materiam, hic artificium, ille vetustatem sicuti talium intelligẽs, ac supercilium nunc subducens, nunc deprimens admiratur, stultitiam quisque domini collaudando augent, hominem magis, magisque infatuant. Quid memorem mensarum luxuriem, ferculorum varietatem, cibos repertu difficiles, non qui vllam esuriem compescant, sed qui libidinem incendant; languentem gulam, & solita fastidientem irritent? Ne multa; hic vnum deest lac auium. Quod siquis inter tot hodiernos Mardonios, inter tot nouos Apicios, tam multos gulæ proceres, tot nouæ luxuriæ interpretes exsurgat nouus Cato, talia conspicatus iterum exclamet, eam vrbem seruari non posse, in qua chariùs emitur piscis quam bos. Id quod vehementiùs intonasset, si id vidisset quod accidit sub Caligula, piscem emi octo millibus nũmũm. Hæc omnia è vestigio sequuntur impurissimę & importunissimæ libidines. Quippe, luxuriæ face semel excitata fiunt sui sexus perfugæ, sequioris infames hospites, nõnunquam in sermonibus non quidem casti, sed impudicitię dissimulatores, at in cubiculis salacissimi & in cubilibus impudicissimi. Horũ similj, quamuis opibus disparibus, & longo prorsus interuallo, sunt nimio plures ex vrbana & promiscua multitudine, quibus hoc vnũ pẽsi est, viuere vitam planè Medicam, planè Persicam; si tamen hoc est viuere, suum cadauer quemque trahere in hoc vnum animatum vt fœdè ætatem exigat. Istis quoque luxus ablanditur & mentem oblimat. Certè videre est quàm plurimos, omni probitate relicta, & re familiari neglecta, diurnis, nocturnisque potationibus & epulis marcentes; saltationum immodestiæ, studijs indecoris, & occupationibus flagitiosis vacantes, deniq; affluente rerum copia nequiter abutentes. Istis quoque nihil turmale placet. Nam solas gallorum gallinaceorum cristas, ac rienes siue nefrendines, auiumque linguas comesse possunt. Omnia sunt nepotum plena. In eduliorum officinis omnis frequentia, in tẽplis,

plis, in scholis, in palæstris omnis infrequentia. In media plebe quotidie noua reperiuntur & gulæ irritamenta, & perditæ cuiusdam luxuriæ instrumenta, vnde & alimentorum pretia intenduntur, & adest vltimum rei, viribus, valetudini, moribus exitium. In codicibus iacent & latent sumptuariæ leges, tantam intemperantiam metuentes, nō vindicantes. Ipse magistratus nusquam audet consurgere in eos, quos tantus furor agitat. Hanc quoque popularem luxuriem æstuans libido sequitur non eorum tantum quibus sanguis efferuescit, sed quod mirere, sæpe eorum qui senecto corpore, dum Curios simulant, Corinthiacam sapientiam audacter profitentur. De omnibus luxuriosis scitè illud dictum est, Similes esse equis talorum, siue scaccorum, qui ad perdendam pecuniam dominum inuitant, sed eum nulli periculo eripiunt. Quid, quod ipsos mendicos hoc portentum corripit? Certè & istos suis sordibus non parum calere cernimus. De quo portento exstitit libet Aristophanis, cui titulus Mendicus luxuriosus. Vsque eò & ipsi egestati tanta se nequitia comitem addit At vos tandem expergiscimini, quorum hæc curatio est. Tandem in hoc incumbite, vt mores tam prostrati erigantur.

CAP. LXIII.

Supradicta vitia sequitur voluptas, de qua hîc, & de eo quod est esse hominem voluptarium.



VOLVPTATIS vocabulo dupliciter vtimur. Nam & modicam & permissam iucunditatem, sæpe etiam prauam & illicitam hoc nomine signamus. Illam velle excludere, quod est quoddam naturæ blandimentum, naturæ iniuria fit. Est enim ea delectatio, quæ per sensus in animos liquefacta multa eos dulcedine, multaque suauitate perfundit. Huic voluptati subiicio omnis doloris, omnisque tristitiæ amotionem, lætitiam animi, suauitatem & iucunditatem sensuum, omnem illam hilaritatem, quam in homine progenerat com-

motio & varietas, id est, lenis quidam sensuum à tristitia ad lætitiam motus, quem vnà cum Cyrenaicis voco placidum & iucundum, cùm ille alter, nimirum dolor, sit vehemens, asper, implacidus. Hanc voluptatem à natura humanæ imbecillitati concessam vt adiutricem, nos quidem libẽter agnoscimus. Hac ipsa, quòd est multis illecebris potens, non solùm adolescentia, verùm & iam corroborata, & senilis ętas capitur. Mœstas curas, qui sunt importuni mẽtis carnifices, hæc vna lenit, temperat, abigit, animos labore fessos haud mediocriter reficit, vitæ hominum sese officiosa interponit, vt inter seria ludum iocumque. Ea re non vltra anxia est, quàm quatenus naturali desiderio satisfacere potest, interdum paulò fortè indulgentiùs. Cur nõ, dummodo innocenter? dummodo ex obuiis, nec operosè quæsitis illa gaudia captet, quæ homini natura concedit? Huius suasu voluptatis studia omnis generis ita condiri constat, vt eorum subinde maior oriatur appetitio. De cętero, vt innocens est & pudica, ita quoque est erudita, eámque soli eruditi ab sese, vt Socrates aiebat, venantur. Hanc ergo studiosi accersunt, vt eius ope animum literis intẽtum subinde laxent, dum corpus ludo, & saluberrimis exercitationibus agitant. Huc referuntur ambulationes, confabulationes, conuictus, taliaque quibus quo quis rariùs & modestiùs vtitur, eò vehementiùs commendantur. Quapropter quocunque nomine hæ voluptates demonstrentur, ea appellatio non minùs quàm ipsa res est honesta, & probissimo cuique accepta. Et nos eam contra Zenonis sententiam & sectam malis, & iis quæ indifferentia vocantur, detractam inter ea referimus, quæ hoc ipso possunt videri bona, quòd sunt bonorum quædam veluti additamenta. Quòd si quando hæc voluptas maior & excelsior est, eaq; quam labores pro Repul. proque omni re honesta suscepti magnis meritis tribuunt, tunc verò non solùm tolerabilis, sed vt vera & syncera omnino expetenda est. Consistit enim in magnitudine nominis, honoris, laudis, cuius desiderio & adeptione ipsi mortalium optimi nõ parum commouentur. Nec enim paucis funiculis, ac ne decem quidẽ, quod aiunt, Lesbiis capitur, sed vsurpanda duritie, multorum laborum susceptione, parique molestiarum & periculorum contemptione. Quippe hæc probant, adesse electionem

nem eius vitæ quæ sit optima. In hac perstare ac perdurare est in contemptu voluptatum inuenire eam, quæ & maxima & vera voluptas est. Postremò vt mali viri nonnisi malæ, ita boni nonnisi bonæ possunt esse voluptates. Nosque eum voluptate frui dicimus, non qui in vniuersum reicit voluptates, sed eum qui non se ab voluptate circumagi patitur. Altero huius vocabuli significatu ea voluptas demõstratur, quam docta vetustas Cupidine & Anima prognatam dixit. Hæc est crebrior quędam titillatio sensuum, qui eo mouentur quod bonum putatur, nec est. Ex hoc frequenti motu fit animi quædam sublatio quæ pascitur & oblectatur triplici spectro, falsaque specie earum rerũ quæ putantur optabiles & expetendæ. Hos antiquitas vocauit Genios, nempe ambitionis, auaritiæ, voluptatis, quæ sunt perditis hominibus bona prorsus iis digna qui ea consectantur. Ex his nullum insidiosius, neque humano generi infestius est quàm voluptas, quę animo & corpori tale bonum est, quale sanguini prurigo & scabies est. Non esse animi bonum, hinc liquet, quòd omnes animi partes prius labefactatas à virtute detorquet. Eam solam oblectat quæ potius cum bestia, quàm cum homine stat. Hinc fit, vt sub huius feralis reginæ impuro dominatu nullus virtuti locus esse possit. Altera alteram excludit. His accedunt effectus eius, & quidem efferatissimi, quorum nullus non documento est, nullam hac humanę menti pestem esse capitaliorem. Certè si nullus apud hominem esset voluptati, vix quoque vllus peccato locus esset. Maximam enim flagitiorum partem hæc voluptas ambitioni & auaritiæ ereptam sui iuris facit, vsque eò blanditiis & palpo valida, vt ipsi persæpe probi sese ei vinctos tradant, prius illecebrosis eius cassibus inuoluti. Tam veteratoriè hoc ferale monstrum sese sensibus insinuat, vix vt vlla cautio huic non sit incauta, parens & intecta. Ambitio & auaritia non paucas suæ deformitatis notas præ se ferunt, quibus conspectis, ab homine probo vitari possunt. At voluptas adultero se capite spectandam præbet. Vix quisquam è tot millibus non ei obuiam venit, non aduenientem cupidissimè excipit. Vsque eò est blanda quidem, sed pręceptrix & persuástrix eorum omnium quæ virtuti aduersantur. Mox intelligitur, quæ sese in exordiis tam speciosam obtulit, quã

denique sit tetra ac ferens in præceps. Et primo quidem incursu animum, vt è virili fiat mollis ac delicatus, concutit. Deinde eum rationi ereptum, liquefactum & fluentem reddit perfugam virtutis, omne eius lumen obscurat & extinguit, mentis aciem præstringit, prudentiæ notas oblitterat, omne ei consilium adimit, postremò, hominem transformat in pecudem. Quem animus ad cœlestia erigere potuit, hunc in impurissimum quodque cœnum voluptas demergit. Meritò ergo omnium malorum esca, omnium calamitatum mater, omnium turpitudinum metropolis vocata est. Qui nec multitudine copiarum, nec virtute militum, ac ne vllo quidem tenore felicitatis vinci potuerũt, hos voluptas ludibunda expugnat, expugnatos ac prostratos contemptui exponit ac derisui. Vt animum voluptas eneruat, ita corpori turpissimas maculas aspergit, vtrique feram & inutilem pœnitentiam relinquit, vtrique imprimit dedecus indelebile, vtrumque afficit morbis insanabilibus. Neque sectari voluptates aliud est, quàm venari dolores, molestias, infamiam. Huic tamen damnosissimo mõstro pleraque mortalitas certatim & effusè nomen dat, Illi præcipuè, quibus est multa facultas abutendi opibus suis, cuiusmodi sunt non pauci tyranni, non pauci reges, qui, postquam omnia sunt experti, plerunque voluptatem virtuti præferunt, & quidem plaudentibus poëtis, & collaudantibus oratoribus mercede conductis, atque adeò instingantibus philosophis, Eudoxo, Epicuro, & similibus. Istis omnibus per me quidem licet hoc summum malum, quo digni sunt, habere pro summo, vt ipsi putant, bono. Nimirum hæc sunt Epicuri verba, Ego, inquit, non intelligo quid sit bonum, si vnam demas palati, Venerisque voluptatem, illumque omnem motum, qui me totum iucundissimo pulcherrimarum rerum aspectu titillat. Quibus verbis non dissimulanter profitetur, summum homini bonum esse gulæ, ventrisque voluptatem, ad hanc vnam omnia, quæcunque à sapientibus de summo bono magnis hinc inde rationibus disseruntur, referri oportere, Nihil esse tam optandum, quàm illi genio acceptissimum esse, qui huius turpissimæ Deæ orgia præfert, eiusque vexilla sequi, cùm tamen illo genio nihil sit spurcius, impurius, flagitiosius. Hunc nos ita describimus, vt colore sit albus, oculis

oculis vuidis & humentibus, intuitu meretricio, corpore fluxo, totus tam trepidus & sollicitus, quàm totus est nihili. De huius patria Sybaris, Crotona, Tarentum, Massilia ambigunt, singulis ad se eius originis gloriam trahentibus. Sagdam eructat, vinum exhalat, crocota induitur immoderato risu, perpetua ebrietate fœdus, crapula fœtidus, marcidis coronis & caput & ceruicem coronatus, incessu nunc perfluo fœminam mentiens, nunc tortuoso fanaticis æmulus, saltationibus immodicus, muliebribus hîc cantibus, illic vlulatibus, & perpetua intemperantia prodens quàm sit solutus in omne genus flagitij. Hunc, vt nouam nuptam, ducunt mulierculæ petulantes, impudentes & impudicæ, quibus nomen est libidinibus, quæ illum vltro citroque trudunt, singulæ arbitratu suo. Huius fœdissimi genij nulla est imago verior quàm ille ex cœno nescio quo, atque è tenebris nescio quis rex, qui stipatus agmine concubinarum totos dies domi delitescit, osor castrorum, & honesti cuiuslibet negotij fugitans. Præeunt anteambulones, inter quos eminet error persuadendo & fallendo validus, falsò præsumens felicitatem, cùm eum in proximo barathrum expectet. Si nos genium voluptatis effingimus. At ipsam voluptatem facimus alatam, quòd homines reddit leues, serpētem quòd fraudulentos, iubatam quòd feros. Damus ei rostrum suis, quòd hominis voluptarij proprium est volutari inter fœditates omnis generis, rictum & hiatum lupi, quòd hoc homine nihil rapacius & crudelius. Verè eum assimiles felibus Ægyptiis, qui fœtus felium semel enixarum correptos perimunt, vt matribus, quæ vno conceptu contentæ abhorrebant à maribus, indant amorem iterum se copulandi compari suo. Non minùs ergo vitandæ voluptates, quàm sirenæ, sub quarū nominibus poëtæ hoc malum tam blandum quàm pestilens scitè demonstrarūt; ne quis eius dulcedine captus imprudens calamitatum scopulis illidatur. Neque hîc audiēda Thetis stulta mater, quæ Achilli filio ausa est suadere vsum voluptatum. Enimuero quodam interrogante, Qua tandem re leges Lycurgi rem Spartanam iuuissent, Contemptu, inquit alter, voluptatum. Perinde ac si legum hic debeat esse scopus, vt voluptatem exsecent, veluti pestem

aliquam aut strumam ciuitatis. Quapropter nescio an ridendi, an deflendi sint illi principes, qui officia instituere non erubescunt, quibus nomen est à voluptatibus, vt iis paratissimis quotidie fruantur. Prorsus digni, qui, quòd se libidinibus, & libidinum magistris constringendos tradiderunt, mancipio & nexu impurissimorum dominorum proprij sint. Vtinam aliquid potiùs comminisci possent, quo ab hoc tanto dedecore auocati ad pudorem, pudicitiam, innocentiam perduci possent.

Cap. LXIV.

Voluptatis ministra est libido, de qua hîc, & de eo quod est esse hominem libidinosum.



QVIA temperantiæ proprium est illicitas compescere voluptates, quarum libido radix est, quid hæc sit, quid item sit esse hominem libidinosum, mihi exequendum intelligo. Huius dictionis, vt de voluptate dixi, significatus duplex est. Nam quandoque signat quamcunque voluptatem. Sępiùs illam, quæ ratione repugnante, vehementiùs incitatur, ac præcipuè nimiam rei Venereæ appetentiam, hoc est sanguinis æstuantis incontinentiam, cui scopus non alius est quàm delectatio. Qui tamen significatus eôdem coeũt, etsi prior ille est paulò diffusior, vt qui omnem voluntatem, tam errantem quàm constantem amplectitur. Dicimus ergo, libidinem esse quandam præsumptionẽ voluptatis, siue motum mentis, & propensionem ad id quod volupe est. Hoc volupe est occultus quidã igniculus, quo pectus semel afflatum ita æstuat, vt eâdem rigetur nescio qua dulcedine, cuius statim vt stillæ, sicuti oleum, in hunc igniculũ deciderunt, ardere non cessat donec potiatur eius quod cõcupiscit. Ille ipsus est, quẽ Cupidinem, quẽ Amorẽ vocãt, qui est ipso Vulcano ardentior, quippe cuius origo est ignea, siue flammea, processus errans, exitus anceps. Vt verè dici possit, Libidinem esse amorem nascentem, ac procurrẽtem & incurrentem in cupita, hactenus licitum quatenus intra

naturæ

naturæ terminos coërcetur. Hæc, scilicet, libido est propagatrix generis, semper illicita, quoties est instrumentum irritandæ ac perficiendæ voluptatis. Eadem ratione dicimus. Amorem, qui est quidam animæ appetitus, esse medium inter virtutem & vitium, sed prout incliuat, figurari ad similitudinem alterutrius, Virtutis, si ratio est rectrix, si ipse hinc frænatur, si se tradit in disciplinam pudoris, si se totum temperantiæ submittit. Quòd si solam voluptatem sectatur, tunc est negotium plenum fœditatis. Voluptas ergo sicuti domina, vtitur ministerio libidinis vt hami, quo hamo captos ad se trahit. Propius vero est, ipsam huic se hamo escam addere, quam qui semel vorauit, vix dici potest quot denique intemperiis agatur, quarum exitus est mœsta pœnitētia, ac dolor nullo fine. Libido hiat ad id, cuius gaudia voluptas præbet. Falsò ergo dicitur, hanc aut illam voluptatē capi, cùm voluptatis captorem priùs à voluptate capi necesse sit. Præda prædam ducit. Vt vt est, mutuas sibi operas libido & voluptas tradūt, vsque eò, vt qui illam dixerit, prius hanc præsumpserit. Sed voluptas obscœnitates malæ libidinis opinione iucunditatis operit, cùm tamen ipsa, omni dimoto spatio, sese homini libidinoso non vereatur ostendere, oculis, scilicet, iam ab libidine effascinatis. Quòd si vtramque homines, potissimùm lubrica adolescentiū ætas, cuiusmodi sunt, videre possent, enimuero ad vtriusque conspectùm sicuti monstrificæ quilibet conterritus exanimaretur. Verùm fallax illa præsumpta iucunditas quam voluptas primo intuitu præ se fert, homines ei tam obuios, tamque promptos reddit. Nam libidinandi appetitus est humano macerata sanguine, carnique congenita cupiditas. Vbicunque homo, quod est structum carnis animatum, constitit, tantum olet carnis, quantum in ipso est libidinis. Neque ferè quisquam tanta temperantia præditus incedit, qui non intimè sentiat se fodicari ab illa parte libidinis, cui nullus modus. Hoc docuit illud figmentum Ægyptiorum quo Iupiter repræsentabatur vultu arietino, Mercurius facie canina, Pan totus hircus. Hinc, videlicet, vim libidinis demonstrabant, quæ & ipsa maiora numina prius expugnata in animalia salacissima transformaret. Hoc tamen monstrum libidinis, quamuis tam validum, tamque insidiosum, vincibile est, sed vni

illi, qui intentissima cura carnem suam non cessat pertundere, donec eam cogat sub iugum rationis. Nec intestina hominis seditio, illa quæ hominis ingenium contra rationem acuit, aliter compescitur, quàm si sensus rationi subiiciatur, membra sensibus. Tunc totus homo concors agit, tunc totus agit impollutus. Cæterùm vt libido ancillatur voluptati, ita vtriusq; nutricula desidia est, cuius præcipuũ opus est pelliculã curare, & huic tam fœdo negotio materiam suggetere vt inexplebili. Fatigari enim libido sæpissimè potest, satiari nunquam. Nihil item libidine audacius, nihil impudentius, nihil acrioribus stimulis animũ explorat. Nec item ab homine libidinoso quicquam tutum dixeris. Libido nobilissimam humanæ compaginis partem, nẽpe caput subiicit imperio ventris. Ergo hominem dominat, quem quoties dicimus, eam partem dicimus quæ est supra vmbilicum, illam quæ est contemplatrix, admiratrix, adoratrix Dei. Nam inferiora sunt infra dignitatem superiorũ, & bestię magis affinia quàm homini. Est enim homo animal naturæ mistæ inter Deum & pecudem, inter virtutes & vitia, inter bona & mala. Ergo postrema hominis pars est domiciliũ, siue latebra libidinis. Certè à veteribus doctè inuentum est, Mineruam Ioue prognatam minimè fuisse altam in tenebris abdominis, sed in nobilissima parte. Verùm vt dolor pedis afficit altissima, ita libido, licet infimum sortita locum, occultè serpit ad animum. Ibi omne eius robur emollit, totumque corpus euirat. Ac proinde homo libidinosus nihil agitat alti & generosi, nihil non seruile, pudendum, flagitij probrique plenum. Libido & voluptas id enixè cauent, ne quà pateant. Vtraque flagitiis integumẽta quærere, ac latere sub fornicibus amat, ne deprehendi qua facie, quibusque moribus sit, possit. Quomodo libido est res fœda, ita, voluptas est mendax, fugax, fallax. Hominem libido spe voluptatis permulcet. Vt ignauia voluptatem, ita voluptas libidinem parit, libido flagitiũ suadet. Sed voluptarius hanc, qualiscunque & quatulacunque est, voluptatem prius prope fugientem aspicit, quàm aduenientem sentiat. Ita vt pro sperata & expectata delectatione iam se in ipso aditu ludificatum intelligat. Cùm se omnibus lætitiis lætum putauit, derepente habuit mille causas pœnitendi, totidem dolendi ac lugendi. Volucre &

falsum

falsum gaudium auolat, curæ remanent, & quidem obscœnitatis exprobratrices, edaces, feruidæ, quarúque æstus nulla refrigeratione minui potest. Tunc verò homini libidinoso nullus est reliquus in sensibus vigor. Hi enim libidinibus hebetati inertes torpent & inutiles. Apud hūc cessant officia mentis, cessant monitus rationis. Vltimum malorū accedit infamia, quæ hinc scelere & flagitio cōtrahitur. Vt enim libidini obscœnitas hæret, ita voluptatem comitātur omnis generis ludibria, quæ momento pœnæ & cruciatus excipiunt. Itaque vt libidinem sequitur illa volatica voluptas, & vmbratile gaudium, ita vtramque denique amplectitur calamitas. Hinc ipsa regia culmina dissici, sceptra, frangi, diademata proteri constat. Plena exemplorum est antiquitas, ne hodierni diei monumenta tester, quibus fides fit libidinem & voluptatem esse maximarum cladium emissarias, & inuentas machinas omni felicitati subruendæ. Semper enim exitus amarissimus manet dulcedinem illicitam. Vt omni ætati vtraque est abominabile dehonestamentum, certè senectuti potissimùm cui non castitas mentis adest, sed cui impotentia Veneris est pro castitate. Tune homo Acheru nticus cum libidine ac voluptate vllam dignitatem senectutis, ordinis, honoris retineri posse putas? Tu isthac demum ætate nouus amator fias? deficientes vnà cum viribus libidines exsuscites cibis, imaginatione, lasciuis aspectibus, omni genere nequitiæ? hinc sciri velis quàm sis homo fœdus, & non dicam verno passere, aut gallo gallinaceo, sed veruece fallacior? Illa quoque anus, illa soror Hecubæ, & proxima Orci præda, tota pruriat, fortè etiam ad libidinem nubat, deserat liberos, & sicuti sus immunda, succensa agatur quocunque eam flagrans insania rapit? Nam de adolescente ætate quid attinet dicere, quæ importunissimæ libidinis impulsu vitam eneruem & maculosam amplectitur, nec hinnitare cessat, donec cupitis amplexibus illigetur? Ita est, in compitis, in triuiis, in foro, in ipsa æde sacra plus est eorum qui comas alunt, plus alphestarum, scarorū, delphinorum, quàm aliorū in Oceani immensitate piscium. Omnes agminatim eunt ad potādas aquas fontis Salmacidis. O importunum libidinis igniculum, quem non maturitas senectutis, non verecundia sequioris sexus, non flos adolescentiæ, nō vllius ordinis ho-

nestas, nulla dignitas, nulla interior erubescentia, nullus hominum respectus consopire potest! Quid dico? Nullum tam malum facinus est quod non libido suadeat, imperet, cogat. Hinc Thyestis illæ detestabiles cœnæ. Hinc Assyria Theantis, quæ irata Venere venit in amplexus patris. Hinc Oedipi concubitus. Hinc liberi incesti, flagitiosissima parentibus probra. Ergo inquis, homo omnium vitiorum domitor huic vni succumbit? Prorsus ita esset, si non vigilantissimæ virtutis ope aliquando à magnę constantię viris identidem eliminatum esset. Præclarissimis talium exemplis fides fit, vinci hoc quoque portentum posse ab eo qui totus in id incumbit, vt hac se laurea insigniat. Instandum, pugnandum, perseueranter agendum donec viceris. Præclarè viceris, si nascenti, nec dum adultæ libidini non fueris obsequutus, si pullulare incipientem animosè represseris. Si è prima hac velitatione haud inglorius redieris, si in hoc proposito constanter perseueraueris, nulla tibi amplius futura est cum voluptate concertatio, tibi ipse multam securitatem confeceris, magnum tuo nomini decus pepereris, super omnia militaria ac triumphalia decora tu quidem ascenderis. Hanc quoque tibi tam præclaram victoriam improbus & assiduus labor magna ex parte dederit. Vt enim libido est mancipata voluptati, ita labor est virtuti promus & condus. Libidinem & voluptatem labori dissimillimas acerrimi dolores excipiunt. At laborem vtrique aduersarium sequuntur præmia & fructus dulcissimus, quæ est felicissima conditio, benefactorum fidissima comes. Cupidinis tela aiunt ictu irrito contorqueri in Mineruam, Dianam, Musas. Cur censes? Nimirum, quod hæc numina ignauiæ & intemperantiæ inimica continuis & laboriosis exercitationibus asserunt diuinitatem suam, Et hìc quidem humano generi viam monstrant.

CAP. LXV.

Libidinem impudentia sequitur.



X intemperãtia, luxu, libidine & voluptate formatur impudicitia, non solum vitium duorum, sed quoddam coagulum multorum vitiorum, atque adeò crimen flagitiosissimum, quod olim in

in iis seruis qui dominorum libidines exciperent, nequitet officium est appellatum, & illi officiosi dicti, qui se(auribus honorem præfamur)emasculatoribus suis ad omnia infanda morigeros præberent. Impudicitia est vsu & consuetudine roborata salacitas. Si mauis, est illa animi prauitas, quæ omni protrito pudore, corpus adigit ad omne genus flagitij. Impudicus est is, quem mens à libidine & voluptate contaminata transuersum agit. Cuius criminis sola voluntas, & ipsum citra effectum prudentibus digna visa est quæ legibus pœnas daret. Documento est M. ille Lectorius, qui, quòd corniculatium suum stupri causa appellasset, etiam fato functus vniuersæ Romanæ plebis sententia crimine impudicitiæ damnatus est. Alicubi impudicus tanto cunctis odio fuit, vt etiam concione prohiberetur. Nam qui domi turpis esset, hunc in publico nihilo mundiorem & honestiorem existimarunt. Est enim impudicitia perpetuus habitus libidinis inconcessæ, quæ sibi voluptatis causa omnia vbique licere existimat. Impudicitia nihil est callidius, laboriosius, confidentius. Hæc transcendit montes, transnatat flumina & freta, ingentia terrarum spatia ingenti celeritate contrahit, occlusissima reserat, munitissima perrumpit. In primis est contumeliosa in illud, quicquid est, quod eius furorem moratur. Ipsi soli audet maledicere, qui nunquam cursu tam incitato fertur, vt homini afflictæ pudicitiæ noctis aduentum satis maturet. Huius diritatis multæ sunt facies, sed omnes mirè deformes, etsi multis blanditiis, multoque illecebrarum velamine occuluntur. Hinc quisquis decipitur, is pro pulchro & fausto quicquid portentosum & ominosum est, amplectitur, His dies noctesque inhiat. Certè quicquid impudicitia ostentat est simile templis Ægyptiis pulcherrimè & sumptuosissimè ædificatis, quorum tamen si numen requisieris, reperies esse simiam, ciconiam, hircum, felem. Ad impudicitiæ effectus ducunt primùm intuitus lasciui, mox nutus & annutus impudentes, & loquaces digitorum significationes. Quæ omnes libidinis illecebræ in Persicis conuiuiis à duobus eunuchis ita coërcebantur, vt alter eorum obseruaret, siquis alienam pellicem oculis venaretur, alter arcum tensum manu teneret, qui huius venatoris malam ia-

culo transfigeret. Sequuntur salutationes insidiosæ, gestus obscœni, dicta blanda, captiosa, procacia, illota, osca, tactus ac motus impudici, oscula virulenta, nundinæ delirantium, saltationes bacchantium, irritamenta malarum libidinum. Hinc stupris pollutæ domus: totæ familiæ contaminatæ, totæ vrbes omni fœditatum genere infames. Indidem tot raptus, inimicitiæ, cædes, clades. Tum tot corpora euirata tot morbi pudendi, denique tot homines per amarissimas dulcedines corrupti, Hinc tot victimæ publicæ libidinis, tot lupæ, suique pudoris interfectrices, dehonestamenta familiarum. Ex hoc impurissimo cœtu alij apertiùs, hoc est impudentiùs, alij occultiùs, hoc est, sceleratiùs agunt. Vtrique plus furunt in venerem quam vllus nequam satyrus, vllus spado euiratus, vllus equus admissarius. Hinc tot populi prostibula, nomen suum apud Ædiles profitentia, tot amores meretricij, tot hostes pudicitiæ, tot propudiosa monstra, tot genera vitæ inquinatæ, tot flagitiosæ iuuentutis ac pudendæ notæ. Hinc tot Timarchi, tot domi tantùm mariti, foris viri, mercenarii & vnguentati adulteri, propera prurientis alienæ cutis auxilia, qui nihil credunt interesse, suas an alienas vxores contrectent. Nempe istis perfidarum matronarum cubicula quàm coniugibus frequentiùs patent, quas nullus porphyrio obseruet, vsque eò impudicitiam versutia tegunt, vsque eò corpus turpissimæ cupiditati addicunt, à peregrina libidine sæpe vsque ad furorem auersæ. Hinc partus suppositi, & commutationes masculorum in fœminas. Hinc noua genera incognitarum (nam consuetæ fastidiuntur) & plusquam ferinarum voluptatum. Hinc incestus, alijque concubitus nefandi & portentosi. Hinc illa omnia quæ sine pudore & venia nominari non possunt. Sæpe liberi parentibus, sæpe fratres fratribus riuales fiunt. Vbique flos venustatis & pulchritudinis ab indomita libidine decerpitur. Hinc tot illa portenta, quæ sub nominibus principum omnia per suos emissarios libidinosa diligentia speculantur & perscrutantur. Hinc quicquid sibi complacitum est nullo pudore excerpunt, quasi decimam alienæ pudicitię suis impuritatibus debitam. Vtinam (ô dictu fœdum!) non ipsas nunc filias, nunc sorores, vtinam non ipsos mares haberent ad omnem fœditatem venales,

quorum-

quorundam adlubescente hisce monstris modestia, in alijs electa forma corporis, in alijs decore ingenij: in quibusdam longiùs repetita nobilitate familiæ, & antiquitate stemmatis, vt præcipuo stimulo ac vehemente incitamento cupiditatis. Indidem propriæ vxores potentiorum libidini commodatæ, apiscendæ, scilicet, infami potentię. Ex his qui non castiùs agunt, sed occultiùs peccant, illi sunt, qui honesta præscriptione suas impurissimas libidines tegunt, aut tegere, se posse putant. Huius generis sunt matrimonia incesta, non dico illorum, qui liberis stupro cum matribus coire, vt lege patria cautum, sibi permiserunt. Nam hos quidem nos vnà cum suis legislatoribus, vt naturæ propudia, suæ impuritati relinquimus. Illos dicimus, qui in oculis vniuersæ mortalitatis sub cōiugij velamine ipsas sobrinorum, sororumque filias in proprios penates deducere, in earum manus conuenire, hinc liberos suscipere non sunt veriti. Cùm tamen tam spurca matrimonia ipsis infamibus omnibus omni libidine sæculis, legum seueritate prohibita fuerint. Nec ista tantùm, verùm & ipsæ sobrinarum nuptiæ principum edictis punirentur vt reatus. Vnde hæc tam scelesta cogitatu, tā portētosa effectu, tā fœda & horribilia memoratu nisi ab abominādā & impudentissima impudicitia? Nimirum, vbi libido & impudicitia coniunctim sedem elegerunt, ibi coniunctim ac certatim obliterant omnia vestigia pudoris & pudicitiæ, Ibi omnia fœditas occupat. Ne multa, Quisquis hisce aut aliis rationibus impudicitiam profitetur, hic tibi sit homo fortis comploratæ. Puta eum potiùs exturbandum quàm in ciuitate retinendum. Si fœmina est, puta eam, quæ, quòd suum corpus prostituit, impudica iudicatur, veneficij quoque damnatam existimari. Hoc impurissimo cœno nunquam mergetur is, qui ita statuet, Nihil cuiquam esse licitum, nisi id quod Deus, natura, lex, honestas, mos probat. Ipse nonnunquam licitis abstineat, vt illicita cautiùs euitet.

Cap. LXVI.

Impudicitiæ adhæret vitium palati, gutturis, ventris cui nomen gula.



Itiis libidinis, voluptatis, impudicitiæ affinia sunt multa non mediocria vitia, quæ duabus dictionibus comprehenduntur, gulę & ebrietatis, quorum vtroque nullum est vitium obscœnius. Gula in quibusdã est quædã quęsitior, sed peruersa & præpostera ratio vtendi pastu & potu, In quibusdã est edendi immoderatio. Illi palato, hi ventri dant operam vt satisfaciant. Vtrique naturæ & honestati illudunt, illi dum delectationis & voluptatis, hi dum necessitatis fines improbè transcendunt. Ita demonstratur hoc vitiũ, quòd gula in humano corpore est locus quà meat cibus & potus, priusquam demittatur in ventrem. In aditu gulæ & fauciũ sedet lingua, cuius pars anterior blãditur palato, qui locus continet gustatum. Gustatus est sensus saporis eius, quo omnia esculenta & poculenta discernuntur. Eaque re, vt ex omnibus est maximè voluptarius, ita quæ ex eo est voluptas est omnium expugnatu difficillima. Cæterùm hæc hominis carnea compago singulis propemodum momentis inibi fit vt dissoluatur & collabascat, si non inditus homini vigor per omnes artus subinde reparetur. Hoc tã necessarium munus cibus exequitur ore mansus & commolitus, & inde stomacho ad concoquendum concreditus Ibi exæquatus cunctis partibus æqualiter diuiditur. Ergo refici cibo est suffulciri, integrari, nouari. Nimirum id Deus ita statuit, vt quotiescunque homo esurit, aut sitit, admoneatur fragilitatis, interitusque sui. Hinc expergiscatur ad munia pietatis. Et cùm intelligit, sibi in se nihil esse opis, totum se tradat in tutelam conditoris sui. Porrò cibum natura homini facilem præbet & parabilem, vt omnia necessaria. Necessitati subuentum dicimus, non tantùm cùm homo ab interitu vindicatur, verùm etiam quoties ad valetudinem, ad robur, ad alacritatem promouetur. Hic vnus primarum ætatũ hominibus vsus fuit cibi

bi. Satis erat illis si qualicunq; re, quæ modò cibus esse posset, edendi amorem obturarent. Rebus animatis abstinebant, & inanimis vescebantur. Et qui sequenti ætate, cùm iam deliciæ pollerent, hanc sectam, rationémque vitæ amplexi sunt, qui, videlicet, intelligebant, virtutem non esse in ventre, sed in animo, ij in summa apud omnes admiratione fuerunt, vt de Hyppolito traditum. Syluestrium arborum glandibus, arbutorum baccis, spoliis campestribus, & crudis oleribus affatim quisque rumen implebat. Hic illis pastus. Sitim aut aqua fluuiatili, aut fontana sedabant. Dura, inquis, & aspera pabula, & potus insipidus. Fateor sæculis corruptis, qualia sunt hodierna, contra quàm fuit simplicibus illis & innocentibus. Tunc enim cibi nō tam gustabantur, quàm mandebantur, nec tam consulebatur erudito palato, quam stomacho ieiuno, hoc est, vitæ quocunque victu propagandę. Proxima huic ętas cœpit nosse siquid mitioris cibatus terra sua sponte aut subacta suppeditaret, nēpe hoc illúdve genus frugis, & si quid frugi proximum aut simile. Nam igne reperto, eóq; monitore multi congreges & comessatores facti, escarum durities molliri cœpta, panes cocti, polenta esitata, mensæ qualibuscunque ferculis oneratæ, licentius epulæ structæ. Vite etiam reperta, non vltra inuinij esse, sed temeto pantices madefacere, nulla tamen adhuc escarum abundantia & varietate, nondum delectu ac fastidio peccare. Certè Herculi pucro, quamuis Ioue prognato, tunc quidem satis fuit comesse magnum panem. Mansuetioribus animalibus iam consuescebant pabula congerere, horum velleribus obtegi, iam penora & penarios habere, iam sese lacte & caseo saturare. Hos vt mortalium frugalissimos, Homerus vocauit γαλακτοφάγες lacte victitantes. Saltus quoque cœperunt pererrare, cum obuiis feris colluctari, victarum carnes assare & mandere, quod fuit solatium laboris, vltio superati discriminis, prēmium victoriæ. Latiùs deinde ventris imperiū extendere, aërem iaculo verberare, sagittarum aucupio vitam propagare, flumina ingredi, ipsa terræ viscera audere perscrutari, sensim discedere ab horrida illa & inculta vita, mundiorem & cultiorem amplecti, aspera & ferina pabula mitioribus commutare, iam oculos in cœlum tollere, temporum vicissitudines, & anni curricula intelligere, victi-

mas mactare;hinc epulas instaurare dapticas,solennes,anniuersarias, nō esse incallidi?neque tamen vsque adhuc primæuæ illius simplicitatis & innocētię planè desertores fieri,sed eam qualibuscunque moribus repræsentare, honestum ab vtili,vtile ab vtiliori discernere, amplecti ius æquabile,pueritiam docere,senectutem reuereri, necessariis contētū esse,superflua emittere,noxia vitare, turpia odisse. Exin humana corpora priùs cornea ab illo primo robore longiùs recesserunt,factaque sunt infirmiora,languidiora, delicatiora. Ergo leniores cibos reperiri necesse fuit, ac stomacho obsequentiores, sed eosdem vt inuentu rariores,ita paratu difficiliores,tum mistura & varietate artificiosiores.Pauca necessitati data,multa voluptati,plura fastidio indulta. Prisca illa eduliorum simplicitas multa cōfusione illico obliterata,Acria dulcibus, acuta hebetibus, frigida calidis commisceri cœpta, Quotidiana & exposita longinquorū affinitatibus nobilitata. Hinc esuries mediocriter sedata veriùs quam extincta, sæpe quoque excitata, sæpe languescens irritata. Ad has res coquorum secta, & quidem solertior,inducta. Ab istis coquis omnia gulosiùs condita,luxuriosiùs instructa, sumptuosiùs ingesta. Apud luxuriosos isti coqui in dies pluris esse,eorúmq; pluris emi obsonia,quā acer ille & bellator equus. Denîq; eò vētū, vt iā viui nō possit sine ingeniosis istis gulæ ministris,nouarū deliciarū repertorib⁹,quorū,vt de musica,ac de arte medēdi,extant de re culinaria commentarij,vt Simi,Apicij,aliorum. Hinc tot salsamentorum, iusculorum, liquamentorum officinæ iamdiu apertæ. Quod malum è focis & lare familiari cuiusque ganeonis prodiit in publicum, vbi se ostētat vt populare.Ergo omnia hodie sunt plena popinonum,catillonum,lurconū.Vix cuiquam illud est satis quod domi paratur. Non estur si non hianti ingluuiei aliquid vnctius apponitur. Noui vbique existunt Melanthij, noui Eicadistæ,noui Apicij,Nerones, Rufi nepotum omnium altissimi gurgites, repertores earum quas vocant Helenas,quarum se ipsi Parides esse profitentur. Iam verò cana & peritior gula iuniores erudit iis omnibus quibus luxuria acui & instrui potest. Certè adolescētes, deficiēte crumena & crescente ingluuie,parentes paulò parciores ac tenaciores argento audacter emungunt, vt sit vnde huic generi

generi sumptuum suppeditari possit. Nam receptantur in cauponis, luxuriæ & gulæ diuersoriis. In locis tenebricosioribus statuuntur clandestinæ mensæ, vbi homines saginæ mancipari receptantur, vbi sedent noui Batulei, phagones, milui glutientes, vrsi vorantes, harpyiæ ex ore Phinei, & ex ipso igne cibum eripientes, certè curiosius & intentiùs in patinas inspicientes, quam vlla formosa in speculū, vllus amator in dominam, vllus literatus in libros, vllus auarus in aceruos auri & argenti. Propemodum præterij gnatonas gula plorante, vultu renidente, ore hiante, qui diuitis fatui & insolentis conuicium sustinere possunt. Quibus annumero aulicos τριχεδιίους, qui vnius prandij aut cœnæ gratia totam vrbem peruenantur. Qui si non plagas, vt olim parasitastri, certè coguntur pati scommata & contumelias. Alij ad cauponam matutini aut pomeridiani adueniunt, sæpe immemores vxorum ac liberorum, quos interim domi fames enecat. Prandij principium quidem, sed finis nullus. Sæpe isti gulones malè feriati deficiunt, sæpe redintegrantur. Hos nulla quidem Thalia lætificat, sed noua aliqua Circe, quamuis occulta, miris modis agitat, dum totas vrbes facit haras suum. Vnus tantùm deest Cambletes voracitatis exemplar vnicum, qui noctu dictus est vxorem in frusta dissectam vorasse, aut Ægon ille Theocriti, qui solus glutiebat octoginta placentas, aut Briareus is, qui centum manibus suppeditabat cibum quinquaginta ventribus. Omnes isti prorsus sunt digni, qui insigniantur infulis sacerdotalibus in sacris voracitatis, cui ædes fuit in Sicilia dedicata. Vtinam numen tam fœdum nusquam alibi coleretur. Nam quotidie hæc propudia aspiciuntur hic illic, vt in aliqua cruenta pugna, à propria edacitate prosterni. Talium symbolum potest esse noctua piscis, qui in sua voracitate exitium inuenit. Et verò cùm plerunque morbi sint a putredine, & nimium cibum constet putrescere, nequaquam mirum est, edacitatem multis esse causam morborum & mortis. Et plebem quidem hodierna cibi & potus intemperantia sic habet, nullis vt legibus coërceri possit, quomodo ne illa quidem quę inibi oriuntur, scommata mordentia, iurgia petulantia, conuicia infamia, ioci turpiculi, strepitus minaces, audacia plusquam gladiatoria. Ergo scitè Gręci vt θυλακίζειν dicunt mo-

destè comessari, & vino haud immodestè, sed hilariùs vti, cui rei nomen est θαλία, vna è Musis, ita vocabulo ἀθαλαλίας signant improbitatem, scelus, flagitium, propria Centaurorum & Lapitharum, quòd ἐν ταῖς θαλίαις in conuiuiis nata est audacia, & effrænis quædam licentia nunc opponendi cubitum proximo conuiuæ, nunc præripiendi illi obsonium, vnde cruenta sæpe certamina & cædes. At qui se honestiores profitentur, quique propter diuitias sunt loco eminentiore, domi instituunt vitam nouo quodam modo luxuriosam. Et quasi regibus æmuli adhibent apparatum singularem & epulas quæsitiores. Nihil sibi apponi volunt, quod non idem excedat omnem caritatem. Istis quoque patent suæ cauponæ solis locupletibus & prodigis instructæ, in quibus singula prandia, aut cœnæ nemini stant minùs decem nummis aureis. Istis omnia sunt vilia præter delicias per omnia elementa partas. Nulla res est suo secreto, suaque raritate tuta. Vbicunque latet, huc penetrat gula lurconis. Ipsa natura portentosis artibus cogitur fructuum præcoces partus, an abortus? edere. Nam solita iacent, patria sordent, exposita ridentur. Ibi portentosa gula ad omnes prope cibos fastidit, nisi fortè, imitatione veterum gulonum, ad calcanea camelorum, ad cristas viuis gallinaceis demptas, ad linguas pauonum & lusciniarum, ad cerebrum Iouis & regis, ad inexpectatas eduliorum formas, ad inusitatas ferculorum pompas. Nefas est ibi quicquam conspici non peregrinum. Id simulacque est cupidè edi cœptum, subducitur. Pro eo aliud quidpiam vnctius ac recentius succenturiatur. Ad talium scitamentorum conspectum illa subinde deficiens identidem excitatur orexis, cui isti Philoxeni non explendæ sed extendendæ optant sibi gulam tricubitalem. Hinc quoque quidam non principes, sed ventres collatiui intolerabilibus populorum tributis saginantur. Quid moror? Ad summum improbitatis omnis loci homines ab gulæ improbitate perduci constat.

***

CAP.

Cap. LXVII.

Gulæ adhæret ebrietas.



GVLA & ebrietas vitia sunt vsque eò affinia, vt vix vllus gulo non idem sit bibo. Quod vitium quam sit luculentum liquidò constabit, vbi dixerimus ,tria esse bibendi genera, necessarium, hilarans, fœdum & furens. Necessitate quisquis bibit, is vtitur potu modico ac temperato. Is potus facilem cibo transitum aperit, eumque æqualiter diuidit. Ex eo cibo manat lenis quædam & suauis aspergo cerebrum irrorans. Hinc somnus, Musis, omnibusque numinibus amicum numen. Est enim somnus institium labori lenimen, solatium curarum, quotidianus vitæ portus. Somnus omnium vitæ partium facit vnam, eandémque sensibilem voluptatem , dum eas omnes pariter recreat, pariter lætificat & roborat. Hoc præstant pocula sobrietatis, in quibus, quòd mensura definitè seruatur, nulla menti iniuria fit. Et hic quidem iis omnibus est bibendi modus, apud quos est potissima sanitatis & honestatis ratio. Alterum bibendi genus est paulò liberiùs & laxiùs, quod tamen intra continentiæ terminos coërcitum nequaquam excurrit ad ea dehonestamenta, quæ sunt famosæ vinolentiæ congenita. Nam & robustiori ætati, tùm verò prouectiori vinum mirificè conducit. Hinc iuuenes hilarantur, seniorum morositas lenitur, vires intenduntur. Vtrumque Bacchi loquitur effigies, qui ideo & adolescens & senex fingitur. Vtrique ætati is gratiam addit, vnde dictus χαριτοδότης, dum omnem tetricitatem animis expellit. Nullus paulò se hilariùs in cœna inuitat , qui non confestim, posito tunc quidem ad exiguum tempus onere paupertatis aut mœstitiæ, ab his traducatur ad gaudia. Nam omnis vitæ hæ sunt vices dolor & gaudium. Pauci in medio consistunt, hoc est in animi sedatione. Cæterùm vt mandragoras sopit dolores, ita vinum finit mœrores , & quicquid mœrori causam dedit. Quippe vinum est illud pharmacum, quod animo sollicito curam eximit. Nemo tunc perdit litem, neminem non spes adiuuat, nemo nō se

ſua ſimplicitate inuoluit. Nihil tunc vetat in menſa naſci argutiolas, ſententiolas, conſultatiunculas, omnia bellula. Ipſi Stoici, tetrica ſecta, vt de Zenone eius principe traditum, fiunt placidiores. Ille ipſe tam toruus, támque vaſtus Cyclops ibi mitia verba profari, ibi cantillare, & Galateam inuitare incipit. Hoc liberaliori potu omnibus calor internus excitatur. Hinc ſe naturales dotes faciliùs ac feliciùs produnt. Ipſum potantis os neſcio quid incipit fari fatidicum. Ea re in Liberi certaminibus præmium victori dari ſolitum tripos. Nam fatidicos è tripode loqui aiunt. Et apud Euripidem pleni Baccho dicuntur diuinare. In modico vino argutus eſt argutior, benignus benignior, facundus haud dubiè euadit facundior. Quale eſt hominis ingenium tale eſt ei vinum, quod verè Chæremon dicebat miſceri moribus bibentium. Perſæ, gens quamplurimis virtutibus commendata, vbi pluſculum bibiſſent, tunc conſultabant. Poëtæ, diuinum genus, vino ingenium acuunt. Nec erubeſcit Æſchylus eo quod ſibi Sophocles obiecit, nonniſi potum ad ſcribendas tragœdias accedere, qui quidem ſolo Bacchi nutu repente prodiit poëta. Ac ne Ennium quidem, alioſque non paucos huius probri pudeat. Hæc bibendi ratio principio fuit reſecatior, ac, prope dixerim, neſcio quid venerabile præ ſe tulit. Nec ferè vini repertores alibi eo vſos conſtat, quàm in ſacrificiis. Vetuſtiſſimo more eæ pateræ, quibus in re diuina Diis libabant in æde ſacra ſuſpendebantur. Neque cuiquam priuato fas fuit iis ad priuatum miniſterium abuti, quòd in priuato nullus vini vſus eſſet. Sequutis temporibus, vt priſca fabularum figmenta docent, heroës cœperunt vti vino. Ipſe Hercules Ioue editus perhibetur fuiſſe cuſtos & gerulus vini odorati. Huius florem ex aperto cado cùm in proximo Centauri naribus hauſiſſent, concurſu ad antrum, in quo is cadus erat, facto, eum aſportarunt. Hercules, re comperta, impetu in raptores iit, eoſque interemit. Ergo ab altaribus Deorum temetum ad epulas hominum præclariſſimorum ſenſim transferri cœptum, eiuſque vſus, blandiente dulcedine, ſenſim vulgatus, in ſolennibus potiſſimùm conuiuiis, hoſpitiûmque ſuſceptionibus. Et hoc quoque, vt plurima alia, Deorum imitatione. Et verò apud ſummum

poë-

poëtarum omnia numina Iunoni assurgentia eam poculis excipiunt. Huius generis est priscum illud, Primum craterem esse Iouis Olympij, Deorumque Olympicorum, alterum heroum, tertium Iouis seruatoris. Indidem fluxit mos venerandi honoratissimum quemque & maiores amicos poculis capacioribus. Ratio est, quòd qui ex ampliori patera bibunt, hos minus inebriari doctorum secta tradit; Siue quòd ea poculi magnitudine potor admonetur moderationis & modestiæ, qui in media facultate ampliter bibendi tamen parcius bibat, Siue, quòd hoc veluti præmio donantur ij, quorum virtus suo quodammodo iure poscit, vt ipsorum extra ordinem ratio habeatur, ne vnà cum multitudine censeri existimentur. Aliis. Idomenæo inquit Agamemnon, datur vinum cum modo & mensura. At mihi ac tibi quantum vterque concupiscit. Hæc quoque consuetudo honestandi eos, qui amplissimis honoribus digni habentur, aliquo maiori poculo, vsurpata est ab ipsis Diis antequam ab hominibus. Iupiter Alcumenam trinoctiali concubitu prægnantem factam donauit carchesio, hoc est aureo poculo. Iis omnibus, in quorum virtute vniuersi nituntur, magnum poculum porrigebatur, primùm vt ob res feliciter gestas inde Diis litarent. Deinde vt, si liberet, ea qualicunque vini copia pondera curarum consopire possent. Erat ergo in talibus poculis prærogatiua illi haudquaquam absimilis, quæ quorumdam regum Indicorum propria fuit. Scilicet istis regibus fiebat vasculum vnde biberent, ex eo cornu, quæ erat cuspis in fronte quorumdam asinorum agrestium, qui hoc cornu, sicuti tauri haudquaquam degeneres, contra alias feras hostibant. Quippe ex eo corneo poculo qui biberet, huic nec illo die malè esse, nec eum è vulnere dolere, ac ne vllo quidem veneno intercipi posse aiebant. Tanta dignitate poculum vni regi seponebatur, hæc vni regi fera capiebatur. Apud columen Poëtarum aduerti sanè potest, eximium quemque virum honorari sede, carnibus, poculis maioribus. Amphitryo se à rege Pterela aurea patera donatum dicit ob virtutem. Nestori Hecamede apponit insignem pateram. Alcinous Vlyssi donat poculum ad libandum Ioui. Priamus poculo vtraque manu sublato

Memnonem excipit. Fuit cyathus aureus, opus Vulcani, quod Deus Dardano dedit, a quo per multas ætates, perque multos successores peruenit ad Priamum. Telemacho Menelaus dicit se ei daturum donum, quod apud se κάλλιστον καὶ τιμηέστατόν ἐστι optimum & honoratissimum est, nempe crateiem, Vulcani opus, quod ipse à rege Sidoniorum acceperit. Soloni in conuiuio sapientium magnum poculum seponi video. Ipse Hercules capacibus poculis gauisus dicitur. Vnde orta Poëtarum facetia, qui eum in poculo, veluti in cymba nauigasse memorant. Nec verò in hisce poculis, vt sequenti ætate, cælabantur libidines, non per obscœnitates bibebatur, sed hoc totum negotium non tam erat voluptatis, quàm præcipui cuiusdam amoris, respectus, honoris argumentum. Non ergo honestioris notæ hominibus denegatum erat, vt interdum vino liberalius indulgerent. Atque adeo credibile est, eius mentis, quæ sua firmitate niteretur, hoc fuisse experimentum indubitabile. Nulla vnquam tam censoria, obstinata, & seuera sobrietas extitit, quæ non hinc aliquid licitè voluptatis humanæ sorti permiserit. Socrates, summum illud virtutis exemplar, in Platonis conuiuio & vino & sermonibus sufficit. Tertius bibendi vsus, seu potiùs abusus est ab intemperantia & immodestia potus, quam vocant ebrietatem. Ebrietas est à nimio vini vsu sponte accersita deliratio, iustitiæ, prudentiæ, pudori, honestati, rationi inimica, ministra iniuriæ. Hinc quicquid est in homine vitij protrahitur, intenditur, duratur. Huius fœditatis ministerio omnis humani ingenij improbitas conduplicatur. Huic ipsi inditum nomen est temulentia, nempe à temeto, quod hinc nuncupatum volunt, quòd teneret mentem, eamque labefaciat ac minuat. Nec enim fieri potest, vt qui totus vino madet, huic mens non sit naufraga, & ratio vacillans. Ebrietas siue temulentia est nefas iucundum, & blandiria mali ingenij, qui se tam nequiter propitiari vult, dum in vino reperit dulcedinem venenatam, & perniciem voluntariam, quam homini affert hic teterrimus hostis, & quidem quæsitus, inuitatus, præcordiis penitissimis exceptus. Hæc enim primò efferantur, postea totus homo brutescit. Statuæ

Bacchi

Bacchi addita cornua vim vini demonstrabant. Et verò dolium vini circulis constrictum quercinis, atque adeò ferreis feruente huius laticis æstu rumpitur, nulla vi vinum coërceri quin inde erumpat, potest. Quicquid in imo abditum est in summum eiectatur. Et cerebrum, rem tenerrimam, non suo loco moueat? Quin & solo odore ei vim affert, hoc est, aura illâ mustulenta, quam emittunt cellæ vinariæ. Nec etiam noua aut inaudita res est, odore homines inebriari. E Massagetis, quæ gens nihil potat nisi aquam, qui cupiebant mentem hilarem, fortè & lasciuientem capere, in ignem luculentum coniiciebant herbas odoratas, easque flammas circumsistebant. Hinc hausto naribus odore, ebriulabantur, atque ibi multos orbes cantilenis & omni saltationum genere peragebant. Si vinum odore nocet, quid strenuè potatum, ac præcordiis traditum, indeque, vt è proxima, in ipsam arcem admissum? Qua re factum putas, vt liber effœminatus ac mulierosus Lydiam, Tmolum, Thracas, Indos, gentes acerrimas suæ ditionis fecerit? Nimirum, impletis crateribus, atque ante hos populos statutis, vt qui nulla armorum vi vinci poterant, hos vnus vini furor prosterneret. Et iste quidem liber circumfunditur Bacchis hederatis, in quibus eminent quatuor, quæ aliis præeunt. Primæ nomen est Ἰνώ, qua voce signatur ipsa bacchandi, furendique materia, illa quæ omnem mentis calorem obruit. Alteram vocant Autonoen, quæ est obliuio sui, ipsissima insania. Tertia est Semele, quasi dicas quidpiam σῶμα λύον, quod corpus dissoluit, ac totum hominem euitat, mancipatque libidini & impudicitiæ. Quarto loco est Agaue, & ipsa mœnas, & quasi altera mater Pentheu, quæ hominem è vinolento facit crudelem. Quorum obscuritate vocabulorum quòd res per se manifestæ velantur, nos eas in apertum proferemus.

Cap. LXVIII.

Ebrietas describitur vnà cum suis effectibus.



ERGO ebrietatis effectus ad quatuor quodammodo species referuntur. Et in ipso quidem aditu offert se obscœnitas potatoris, qui, (vt de Diotimo Atheniense vulgatum,) dici potest infundibulum, aut, (quod de Xenocrate Rhodio dictum,) amphora potiùs quam homo. Hæc obscœnitas est insignis in toto habitu corporis, qui est index affectuum animi, cuius omnem nobilitatem hæc bibendi intemperantia deterit, totum hominem effœminat, famam obruit, sæculum, totas ciuitates, totas prouincias dehonestat. Nec tamen ad hanc tantam deformitatem itur impetu, sed bibendi sunt quædam veluti prælúdia, & præcursiones. Hac homines ad hoc flagitium deferuntur. Primùm isti nec benignè nec lautè accipiuntur vbi vinum non probè temperatur, vbi non, vt olim Romæ, miscetur Hymettio, aut Falerno vetulo, aut Thasio, aut Coo edentulo, vbi veterana vina non per suas gentes, per suos sapores, ætatesque disponuntur, vbi non se isti dapsiliùs inuitant, vbi non est vnde egregiè celocem onerent. At etiam ineunte conuiuio videntur esse pulchrè sobrij. Temetum scienter olfaciunt, ne sine aliquo delectu bibant. Mox, priusquam bibant, pitissant, quasi virgunculæ bibere verecundantes. Sequuntur pocula pauxillula, breuiculi haustus. Modestis inuitationibus & summissis sermonibus res agitur. Vsque adhuc nihil illo conuiuio tranquilliùs. Sed vbi adsunt secundæ tertiæue mensæ, tunc verò in ipsis interuallis edendi existit initium potandi. Qui erant sestantes iam fiunt trientes. Pro vino languidiore aut plumbeo in capaciores pateras infunditur alienigenum, generosius & pretiosiùs. Parum abest etiam quin sit, vt quondam in Græcia, vnguento mistum, quale fuit myrrhinites, quo magis conuiuæ calescant & pruriant. Quid tunc non agitatur? Quid non suscipitur? Nullum ibi quisquam sibi fidum amicum putat, qui non se omnibus potationibus paratum præbeat. Quisquis ibi sedet, hic omnes alios esse eodem ingenio,

eodemque

eodemque flagitio confcelerari æquum cenfet. In hoc virtus confiftit, vt ibi Herculanei fcyphi exantlentur. Neque enim ibi quifquam non fe fortibus factis tunc quidem æquipatat Herculi. Nullus eft qui non videri velit leo, qui tamen cum inde furgit nihil aliud eft quàm fimia. Inuitationes, & intemperantiffimæ perpotationes crebrefcunt. Quifque fe ad hoc certamen, quifque confidentes excitat. Volant potiones meracæ, commeant fcyphi. Nec illud vfurpatur prifcorum combibonum, Bibamus, moriendum eft, fed enixè ac certatim bibamus, vt cras acrius inftauremus hanc pugnam. Verbis inuocant fibi fanitatem propitiam, quam hauftibus immanibus profligant. Iam enim ftomachus æftuare, iam præcordia torreri incipiunt, cùm æftui frangendo remedium adeft fcyphus capacior, & vinum copiofius. Seriò res agitur, & nulla fallacia, fed optima, fi vfpiam fide. Ne enim cuiquam aut bibiffe, aut non bibiffe fraudi fit, vices poculorum diligenter numerantur. Hic nomina fiunt, hic expunguntur. Bene, inquam, eft quod ibi potiffimùm æquitati locus eft. Siquid item iurgij inter potandum, ob has ipfas potationes oritur, id a cōpotoribus multa æquitate aufertur. Spōfiones fiunt in hoc, vt grandiffimus quifque calix vno hauftu exficcetur. Hinc redintegrantur inuitationes & propinationes, hinc refponfiones & fatisfactiones. Nec tamē vllæ, quamuis magnæ menfuræ vaforum animatorum incendia extingunt. Quin acrius vaporant per fpiritus tuctuofos, qui in triclinio denfantur nitore & fœtore intolerabili, vnde aër acefcit & craffefcit. Defluunt etiam inibi, ac fubter menfam qua fuperfluis natura exoneratur. Omnibus turpiffimè perbacchantibus natant pauimenta vomitionibus fimul & lotio. Omnia perfonant vocibus ebriofōrum. His vertigine agitur, illi caput moratur. Atque adeò ex vno capite incipiunt fieri plura. Vident duos foles vident duas Thebas. Omnibus oculi funt incerti, nantes, lachrymantes. Quibufdam hebetantur, vt accidit Dionyfio iuniori propter nonaginta dies continuis perpotationibus tranfactos. Vox quoque fpiffatur, vultus turbantur, crura præpediuntur, veftigia titubant, gradus vacillant. Dum hic agit fcytham, alius faltat cardacem, alius cyathum effundit in veftem aut in finum proximi conuiuæ.

Pluribus lingua ita soluitur vt blæsis & mutilatis. Certè verbis parum exploratis inuicem arcana miscet. Quicquid sobrijs commissum fuit, blaterant, prorsus licenter & effusè, ne non Libero nomen dedisse videantur, quem à nimia libertate, hoc est, licentia sic dici aiunt. Quidam angina vinaria ita suffocantur, vt planè ipsis lingua vinciatur. Conticinio, aut paulò ante diurnam stellam matutinam maxima pars sicuti prælio erepti auferuntur. Istis vt cuidam Pacuuio ad symphoniam cani potest, vixit, vixit. Nam etsi nondum fato functi tamen sepeliuntur in lectulis marcidi, semisomni, & inquieto quodam sopore cruciati. Nec enim molem pectori impositam mens cibo vinoque sopita facilè ac statim excutit. Nec absurdè quidam vino indidit nomen crucio, quòd stomachum cruditatibus vexat, ac viscera distendit. Qui huic pugnæ superstes fuerit, qui omnibus conuiuis deturbatis, dolium exhauserit, hic apud omnes compotores est inclytus, vt terror temeti, hunc virum, hunc fortem celebrant. Hos triumphos, hæc trophæa, has tot, tantasque deformitates Spartani volebant conspici in Eilotis mancipijs, quos vino se ingurgitare, & popinam secum circumferre cogebant, vt essent iuuentuti documento, & horrori. Porrò ebrietatem esse dementiæ contubernalem, ipsumque Liberum esse furiosum, docent choreæ ac thyrsigeri quibus is circumfunditur, fanatica multitudo, & bacchans. Certè Indos memorant, epotis Bacchi crateribus, duplo quàm cæteros insanire occœpisse. Verè ergo aiunt, primum poculum esse sanitatis, alterum voluptatis, tertium iniuriæ, quartum dementiæ. Quot sunt ebrij conuiuæ, tot aspiciuntur lapithæ digladiantes cum centauris. Hi se contemni, alij se derideri, alij sibi contumeliam fieri putant. Vndique consurgitur hinc in derisores & contumeliosos, hinc in contemptores. Tunc verè sciri potest, ebrietatem esse parentem iurgiorum, altricem petulantiæ, magistram furoris, autorem cædis. Lacedæmonij negabant Cleomenem ab vllo dæmone ad insaniam redactum, sed Scytharum conuersatione factum esse vinosissimum, ac sensim furiosum. Id quod minimè mirum illi accidit, qui intelligit, in ipsas quoque feras summum esse vini imperium. Quippe si simius & elephas vinum biberint, huic robur defluit, illa versutia.

Insa-

Insaniam proximo interuallo sequitur Semele, corpus eneruans, & animi viribus illudens. Certè ebrioso peculiare est, vt sit pauidus & meticulosus. Cui rei argumento sunt lynces, quæ currum Bacchi trahunt, qua fera nihil timidius. Est & laborum fugitans, & voluptatum appetens, prorsus molle, ignauum & eneruе germen. Pulchrè poëtæ finxerunt, Cyclopem, quod vitigeno latice esset probè onustus ab homuncione occisum, tum Eurytionem, aliosque centauros, genus prius inseparabile, à Baccho domitos, & letho datos, Appositè Græci dicunt. οἶνον vinum deriuari ab ea dictione, quæ Græcè signat palma, id est a vincēdo, quia naribus, cerebro, toti homini vim affert. Illi ipsi Græci tragædiam quæ nihil continet nisi casus infaustos ac mortes, dici volunt ἀπὸ τῆς τρυγῆς à vindemia. Ille Icarus, cui primò Iupiter palmitem donauit, à compotoribus, vt impar, occisus est. Quibus omnibus fides fit, ebrium eò redigi, vt ne inter fœminas quidem possit esse strenuus. Porrò cùm vinum largius sumptum sit emissarius Cupidinis, & pabulum impudicitiæ, vterque sponsorum seriò olim moniti sunt, vt in nuptiis præbeant se temperantes, nimirum vt à sobriis, temperantibus, robustis par soboles procreari possit. Enimuero quòd vinum suadet salacitatem, omnes mulieres Italicas, Romanas potissimum ne seruis quidem exceptis, ac præterea patritios omnes vsque ad annum tricesimum lege in hoc lata, vino abstinuisse constat. Et quidem fœminæ publico instituto cognatione proximis osculum ferebant, integræ aut imminutæ huius abstinentiæ indicē. Nam in osculo est odor, ex odore, siue spiritu argumentū. Ergo solum vinum passum mulieribus Romanis licuit bibere. Et factum Egnatij Metelli certè atrox, tamen illius ætatis seueritati conueniens sua commendatione minimè destitutum aiunt Fuit enim in propria vxore tam animosus pudoris exactor, vt eam fuste percussam interemerit, huius vnius flagitij compertam, quòd vinum biberat, rem lege & more vetitam, non Romæ solum, sed & alibi, vt apud Massilienses, Locrenses, Milesios, vbi matronas, ob resignatos cellæ vinariæ loculos, quandoque fui inedia necarunt. Has leges, hosque mores maximè ad custodiendam pudicitiam pertinuisse fatendum est. Quæ consuetudo si hodie vigeat, non agminatim mulieres bellariis Liberi

irrigent ætatem. Annon flagitium est, videre tot merobibas & multibibas? tot matronas, quibus vinum est inter gladiatoria Veneris antecœnia præcipuum? Parentum hæc tota culpa est, qui virginibus suis haud decorè consulunt, quibus clanculum calicem tangere licet, quibus inquā hoc vnum credi potest, se non bibere aquam. Nec mirum, si processu tēporis, & factæ matronę euadūt, illa quidē altera Aglais, illa noua aliqua Mœnas, illa noua Clio, si se crapula mergūt, si Perediç & Bibesię numinibus inhonestis & infaustis perpetuò libat, si istis a Baccho facilis ad Venerē inconcessā trāsitus est. Sic omninò statuēdum, eam quę violatæ sobrietatis rea est, aut esse destinatione impudicam, aut iam sibi violatæ pudicitiæ consciam. Non paruū paterni affectus documētum filiæ suæ dedit Philadelphus, alter Ægypti rex, qui cùm eam Anticho regi Syriæ nuptum daret, curauit ad ipsam mitti aquam Nili, vt ex hoc tantū flumine puella biberet. Si fœminis loquacibus inditum est nomen cicadis, saltem hæ huius bestiolæ sobrietatem aliqua ex parte imitari animum inducant, quæ solo rore contenta, nō eget alio cibo, nec alio potu, hoc à Musis accepto præmio. Certè priscum inuentum est, vt pueris vinum subtrahatur, eiusque per esum ouorum noctuæ, perpetui osores fiant, ne ignis igni addatur. Apud Locros Zephyrios siquis iniussu medici, nec recuperandę valetudinis causa merum bibisset, capite pœnas luebat. Id quod postea à Zaleuco lege sancitum. Persæ conuiuij iucunditate sæpiùs vtebantur, sed hactenus vt suas virtutes, ac τὸ φιλότιμον honesti amorem hinc excitarent. Cæterùm seuerè in ebrietatem vindicabant. Quædam gentes memorantur, quæ quod non biberent, natura ab omni prauo affectu liberæ essent. Aliæ nō paucæ vinum ad se importari non sinebant, ne feruida ingenia vino feruidiora euaderent. Est enim vinum frigidus quidem terræ sanguis, qui tamen vix dici potest, humano corpori inditus quantum fer ueat. Certè vt senectutem modestè sumptū refouet, ita aliis ætatibus est præcipuū libidinis incentiuum. E vino immoderatiùs sūpto est nausea stomachi, & inęqualis distributio eius alimēti quod ad cæteras partes corporis peruenire æquum est. Cęterùm in madido omnis restingitur pudor, probitati ibi ianua clauditur, omnibus flagitiis ac sceleribus aperitur. Id

decoris

decoris semper in ebrietate contrahitur, cuius admissi sobrietas erubescit. Ideo Valerius Maximinus ea differri iubebat quæ ebrius asperiùs decreuisset, te, scilicet, sæpe doctus, sapiētiā ebrietate obumbrari. Quartus ebrietatis effectus est crudelitas. Quæ enim in sicco est ira, in madido est furor, omnisque humanitatis derelictio. Vt fornax probat aciem ferri, sic in vino specitur specimen mentis efferatæ. Quamobrem Præxaspes ex intima Cambysis amicitia regem vinosum ac proinde semper atrocem, semper crudelem seriò monuit vt parciùs biberet. Alexandri regiam illam indolem, illam nobilem clementiam; illam admirabilem in tot periculis cōstantiam, quantū in illo tanto rege fuit illustrium virtutum vna temulentia deformauit. Ergo ad eum Andocydes sapientia clarus ita scripsit, Vinum rex potaturus memento te bibere sāguinē terrę. M. Antonij nobile alioqui ingenium hæc ipsa temulentia ab homine Romano traduxit ad ferocissimum vniuersæ barbarię monstrum. Ciceronis filium vinolētię tam maculosum reddit, quàm patrē eminētes virtutes ad summū decus extulerat. Scriptores adnotarunt, Attilæ, qui nobilissimas Europæ prouincias victoriis lustrauerat, pudendū exitum fluxisse à temulentia. Quod vitiū quàm sit in iis ferale, quibus rerum regimen incumbit, cum Indi probè intelligerent, si qua mulier ex earum cœtu, quæ regi ministrant, eum conspexisset ebrium, & occidisset, ei mulieri præmium fuit, efferri ad nuptias eius qui ei regi occiso succederet. Et inde nati liberi ei iusti vt essent, lege cautum. Quibus ex rebus palam fit, in quo principe temulentia sedem elegit, ibi omnia esse infausta. O præposteros reges & Alexandrum & Mithridatem, eosque omnes qui hodieque horum omnia vitia, nullam virtutē imitantur! Quid sibi voluit vterque, qui compotoribus suis magna præmia proposuit? Certe hic posterior enixè id egit, vt strenuè bibendo Dionysij, siue Liberi cognomen assequeretur, cùm potiùs tigris esset aut panthera. Adest & illa impudentissima Clio, quæ non solùm cū fœminis ausa est potando certare, verùm etiam cū viris, quorū & compotrix & victrix erat. At etiā non desūt qui ebrios excusare audent, siquid flagitij fecerint, quasi ignorātes fecerint, At lex Pittaci in ebrios ita est lata, vt si quē ipsi fortè pulsauerint, seueriùs punian-

tur, quàm si sobrij fecissent. Quippe nulla est vini culpa. Omnis residet in iis, qui intemperanter vinum hauriunt, nec in hoc bibunt, quia sitiunt, sed vt magis magisque sitiant. Summa hæc est, in omnibus hominibus ebrietatẽ esse crimen, in magistratu & in principe immanitatem, in eo qui sacris est addictus, sacrilegium. Vt enim quilibet ebrius animam suam vino enecet, certè sacerdos Dei vinolentia spiritum sanctitatis extinguit.

CAP. LXIX.

Voluptati, libidini, impudicitiæ, gulæ, ebrietati extinguendæ sobrietas homini concessa est.

HASCE fœditates dictu pudendas is vnus feliciter vitat qui sibi perpetuam sobrietatem indicit. Etsi.n.temperantię, cõtinentiæ, abstinentiæ, moderationis, frugalitatis vnũ sub pluribus nominibus numen est, quod sobrietatem complecti videri potest, tamen huius quoque virtutis vt est propria appellatio, ita peculiaris quædam vis siue potentia est, quæ compescit impudicitiam, libidinem, voluptatẽ illicitam, gulã, ebrietatem, fœdissima flagitia. Ac proinde sine huius virtutis ope nullus homini ad cæteras aditus patet. Sobrietas est scientia vtendi cibo & potu, naturæ necessitatibus obsequens, & in his mediis semper honestatis retinẽs. Sobrietas id solùm stomacho indulget quod esuries, sitisque postulat. Est veluti securis quę rescindit illa omnia in quibus palatum gustusque lasciuiunt. Ergo hęc virtus in quotidiano vitæ vsu præcipuè versatur. Supervacua & redundantia ab se amouet, bene eligit, cautè vitat, prudenter vtitur iis quæ sũt ad manum. Quę facultas, præter ea quæ mensę apponuntur, extenditur ad illa omnia quibus fides fieri potest quàm sit homini salutare illud acumen quod diximus esse iudicij propriũ. Ergo sobrietas omnia humanæ maiestatis opprobria ab homine summouet, iis conterta quę eius prærogatiuam afferunt. Huius vnius videtur singulare munus esse, intelligere quid cuique non solũ in victu, sed & in

vita

vita sit satis. Potissimùm tamē versatur circa victū victus. Vt.n. victus sit altor humani generis, certè hæc est eius norma, ratio, dispensatio. Cibi potusque modū hæc vna omni ætati, omni hominum sorti præscribit. Quantum edacitas & bibacitas mentem oblimant, tantum hæc virtus eam defœcat, ac vegetat, vsque eò vt mēs sobria de nulla re deprauatè censeat. Illis pręcipuè manus iniicit inhonestis hominibus, qui in hoc tantùm videntur, nati, vt pecudum vitam agant. Sobrius ergo est is, qui cibo & potu vtitur ad præscriptum eius necessitatis quæ vitæ adiuncta est. Huic necessitati sobrietas comitem addit honestatem. Hæc honestas consistit in ea mediocritate quæ nec vllo laborat fastidio nimietatis, nec item geniū suum defraudat eo demenso quod victui natura necessariū fecit. Hanc honestatem siue decus planè ignorat is, cui gula & abdomē sunt numina. Quomodo & is qui vix audet delingere salē, sed suæ naturæ est inimicus. Sobrius in primis vtitur naturali, eoque omniū præstantissimo condimento, quæ est esuries. Deinde nequaquam auariter, sed liberaliter naturæ satisfacit. Nimia & superuacua exturbat, vt solus sit necessariis & honestis locus. Tenuem & sani moris victum anteponit copioso & lurioso. Intelligit homini cibum & potum esse indulta vt humanæ imbecillitatis fulcra, non vt sint suæ dignitatis dehonestamenta. Nunquam sobrius id totum sibi licere putat quod licet. Huic licentiæ demit potiùs quàm addit. Hoc potissimùm cauet, ne vlla vnquā satietate capiatur, è qua est fastidium, & vtrinque teterrima vitia. Vt Socrates pleraque sapienter monuit hoc præcipuè, iis alimentis esse abstinendum, quæ ab ingenio gulæ vltra esuriem compescendam, & sitim extinguendam reperta sunt, quæque non modò non extingunt, sed producunt appetentiam. Certè corpori nō necessarium cibum indere est naturæ vim facere, & ab omni honestate longo interuallo dissidere. Cęterum vt id quod in cibo & potu nimium est sobrietas auersantur, ita horum operosam & artificem cōfusionem, quicquid hîc est variatū & multiforme, vt naturæ iniuriam & valetudinis perniciem, ac sicuti ipsa morborum insanabiliū scaturiginem execratur. Nō alias escas admittit quàm simplices, parabiles, obuias. Et in his nullā voluptatem quærit, sed eorum vsu naturale desiderium finit.

Extra hunc terminum nihil ad se cibum, nihil potum pertinere putat. Id, quicquid est, non naturæ alimentum, sed helluationi pabulum ducit. Probè intelligit stomachum, qui in ventrem imperium exercet, non esse molestum creditorem, sed ita moratum & naturæ obedientem, vt paruo esse contentus, paruo absolui possit. Nec solùm ridet, sed odit & detestatur illos præposteros & flagitiosos homines, qui in abdomine saginando, potiùs quam in animo excolendo sunt occupati. Qui quàm sint ab omni ratione auersi, ipse venter documento est. Is enim circumplectitur gyros & mæandros, plurimas, inquam, flexiones intestinorum, Quas ideo natura tales fecit, vt diutiùs retineantur, ne illico alimenta inde exeant & effluant, sitque necesse ea identidem illò immittere. Sed longiuscula mora validiùs iuuant. Porrò in morem iam diu perductum est, non solùm vt bis die edatur, sed pluries. Et hæc quoque vocatur consuetudo, sed pessima, quam, scilicet, induxit otiū, gula, luxus. At homo sobrius se vnum consulit, non vllos mores vllamúe consuetudinem, & quicquid pugnat cōtra eas, quas dixi, honestatem & necessitatem. Continentia duce intelligit quantum distent naturæ alimenta à vitiorū irritamentis. Sacra mensæ ita veretur, vt ea violare, id sibi nefas esse putet. Si sæpiùs edere, sæpiùs bibere à necessitate adigitur, hinc coram Deo submissiùs agit, & in hominū conspectu circūspectiùs. Id potissimùm cauet, ne sub velamento necessitatis irrepat voluptas. Corpori quædam subtrahit, vt pluribus locupletet animum. Sibi frequentiùs ieiunia indicit quàm conuiuiis interest. Salutari quodam igne abstinentiæ ventris aruinam decoquit, vt mentem locupletet. Hinc virtutem non minus quàm corpus sobrius alit. Humana tantùm membra nutrimētis sustentat, ne animæ domicilium, sicuti putre ædificium, corruat. Non hominem mensæ, sed hanc homini datam intelligit. Aque adeò non nescit sic dici mensam, quòd ibi omnia par est esse mensa, hoc est, non aceruatim congesta, sed mensura æquata, vt sibi inde quisque definitè quod satis est, sumat, eo quod nimium est, abstineat, vt quicquid appositū est frugaliter stomacho diuisū, nō eū plus ęquo oneret, sed erga se ipse, & erga omnia membra sit iustus & æqualis. Hæc mēsæ partitio, hoc est ciborum potusque distributio,

quan-

quantùm priscis sęculis viguerit, docet locus Homeri, vbi legatis Agamemnonis Patroclus panem, Achilles carnes distribuit. Alcinous Phæacas alloquens conuiuium vocat ἐίσην, æquale, propter hanc, scilicet partitionem siue distributionem, quæ fiebat priusquam conuiuæ introirent. Et hi, scilicet, erant cibi solidiores. Nam bellariis quibus posteriores mensæ insequentibus ætatibus onerari cœptæ, nomen fuit ἐπιφόρημα, cuiusmodi fuerunt nuces, amygdalæ, taliaque. Hac scientia temperanter vtendi cibis quandoque ipsi summi loci homines conspicui fuerunt, & inde vniuersorum admirationem sunt consequuti eò maiorem quò omniũ deliciarum licentia penes ipsos est. Enimuero nescio quid suspiciendum est, cum cui adest rerum omniũ copia, in perpetua paupertatis meditatione versari, atq; intra tenuem victũ, & contemptissimas escas appetitus suos coërcere. Cyrus ille senior cùm ad hospitem delatus interrogaretur, quid sibi in mensa apponi iuberet, solum inquit, panem. Me enim prope profluentem cœnaturũ spero. Certè Persis tanta erat in illo nasturtio, quo vescebantur, voluptas, quanta fuit Sybaritis in mensis luxuriosissimis. Secũdarium panem Augustus esitasse dicitur, & pisciculos minutos, & caseum bubulum, tum ficus aridas biferas. Discant ergo illi, quorum sunt maximæ opes, non semper suæ mensæ regio more cupedias apponere, sed imitatione summorum hominum, nonnunquam cibos simplices & vulgares, sæpe frigidos & repositos, sæpe exiguam portionẽ pultis, eam quæ in castris vel ipsi gregario militi, in vrbe aut in agris cuilibet plebeio & rustico satis esse possit. Hæ scilicet, esurienti sunt voluptates, hæ deliciæ. Hinc quoque & valetudini & virium integritati, hinc vitæ diuturnitati planissimè consulitur. Nec tamen cuiquam nos quidem mœstam cibi potusque abstinentiam suademus, aut etiam versutam insidiosamq;, & alienis commodis & saluti imminentẽ, ministrã vitiorum & criminũ, cuiusmodi est illa quæ fuit exprobrata Cæsari, quem M. Cato verè dixit, ex omnibus ad euertendam Remp. sobrium accessisse. Id ipsum potuit exprobrari Commodo illi sacerrimo, qui inter tot, tãtaq; vitia fuit vigilans & sobrius. Hic ipse, vbicunque esset, panem sibi Roma afferri iubebat vt iã diuturniorẽ factum parciùs ederet. Diligenter videndũ, ne specie sobrietatis

quiſquam delabatur ad indignas hominis dignitate ſordes,turpiſque auaritiæ quiſquilias. Victu ita ſit ſobrius, vt eâdem ſit benignus. Nulla ſit ſobrietati cum ſordibus affinitas.Interdum quoque animus curis fatigatus ad hilaritatem reuocetur, benignioribus & iucundioribus inuitationibus hilarentur conuiuia,alacri illo vigore, quem vinum modeſtè ſumptum ſuppeditat, homo erigatur,dummodo id moderatè fiat,nec ſæpius quàm cuique neceſſe eſt. Hoc exemplo Solon,Arceſilaus,Cato, alij non pauci vino atque epulis ita indulſerunt,vt nullam ex eo prauam conſuetudinem traxiſſe memorentur.

Cap. LXX.

Sobrietati affinis virtus eſt pudor, ſeu verecundia.

TEmperantiæ iiſque virtutibus quæ ſunt in eius comitatu præcipuè ſobrietati affinis eſt illa,cui nomen verecundia ſiue pudor. Quibus vocibus vnus & idem ſignificatus eſt. Neutra quicquam demonſtrat ſecretum ab altera. Vtraque appellatione ſæpe ſignatur quędam particula metus ſiue trepidationis,eius quæ eſt ab opinione inſtantis ignominiæ,qui eſt timor iuſtæ reprehenſionis, Nec tamen alicuius atrocitatem euentus extrinſecus aduenientis pertimeſcens; Eſſet enim metus inſtantis pœnæ,ſed homini intimè neſcio quid commiſſum exprobrans aut per ſe turpe, aut affine turpitudini,quo percuſſus,nullo teſte aut cōſcio, ſibi ipſe quodammodo aurem vellit.Priùs enim hic pudor excitatur quàm vllus corporis ſenſus.Hic eſt ille,quē antiquitas finxit; Elenchus Deus,omnia ſciens,& nihil reticēs eorum,quorum cuique conſcius eſt,veritatis amans, & libertatis retinens, ſemper illis infenſus, qui alienæ linguæ verbera reformidant,cùm peccare nō erubeſcant, qui delicto gaudent,obiurgatione dolent.Qui dū reprehenſionem auerſantur,ſtultiſſimā arrogantiam produnt Eſt ergo hic pudor metus alieni iudicij,ſiue eſt ſingulare ſiue pluriū. Si eſt me-

est metus,nō est virtus.Hæc enim nullis affectibus permiscetur,sed est habitus mentis defœcatæ, & quidē perfectus. Si leniùs interpretere,cùm non sit virtus , est nescio quid mistum tam vitio quàm virtuti proximū. Nec moror sententiam illorum,qui illud,quicquid est , inter vitia collocant,sed vt ipsi aiunt,amabilia , vndeque virtutes facillimè progenerantur.Id quod,quia mendosissimè dicitur,nō tanti est,vt nostra confutatione dignum putemus,qui hanc rē sic definimus, Interiorem hanc erubescentiam tunc tātùm esse aditum ad virtutem,cùm id agit vt peccatū extinguat, cùm illum,qui peccauit,ita seu facti, seu propositi pudet,vt hic pudor progignat pœnitentiam eam,cuius ope denique & peccatū obliteratur & virtus expetitur. Quippe ad profliganda peccata maximè conducit aut certus amicus, aut acer hostis.Ab vtrisq; manat illa,quā dixi,reprehensio,quæ vndecunq; est,homini ingenuo vtique plus prodest, quàm seruis omnia verbera.Interdum vocabulis pudoris & verecundiæ signatur illa subrustica timiditas,quę vlcera dum celat,relinquit incurata. Qui est proprius stultorum,aut etiam miserorum morbus,eorumque omnium, qui in rebus arctis ne id quidem agunt vt se extricent.Hoc verecundiæ genus sæpe est origo desperationis. Quippe ingenia, quæ per se possent esse firma, debilitat. Huic opponitur illa fiducia,quæ hinc bona conscientia, hinc bona spe nititur. Hæc ipsa tam stulta verecundia connumeratur inter eos animi fluctus,quorum ternionem nominat, iram, mœrorē, hanc ipsam quam dicimus. Et hæc quidem homini eunti ad honesta & fortia,graue onus, magnumque impedimentum est. Nimirum hæc illa est , quæ omnia ardua cœpta reformidat,omnis magnæ præclaræque rei est prauissima interpres,nulli rei,quæ firmam frontem desideret,perficiendę est idonea.Nec enim vlla socors trepidatio,sed cōstantia boni propositi priuatam publicamque rem stabilit. Hæc ipsa tam inutilis, tamque intempestiua verecūdia bonis meritis obstat, eisq; suos processus occludit, pręclaros profectus silentio premit,eosque veluti quodam situ consumit , ignauiæ quàm vlli virtuti propior. Hanc olim vocarunt ambiguam , ancipitemque Deam, quæ homini nescio quid boni confert permixtū pluribus malis. De hac scitè dicitur,esse erroni,mēdico, vētri ieiuno, inuti-

lem. Vtinam non & alijs. Huic Græci videntur nomen fecisse δυσωπία. Et quidem vsque adhuc nihil in hisce nominibus repertum quod virtuti adscribi possit. Præclarè ergo chorus apud Euripidem ait, Pudorem esse duplicem, bonum & perniciosum. Nec par esse vt vna eademque vox idem signet. Itaque ille alter pudor est inuestigandus, siue illa est verecundia, quam diligimus & suspicimus, vt ab omni æuo in numero magnarum virtutum collocatam. Hãc dicimus esse voluntariam amotionem temeritatis, & singularem quandam animi ingenuitatem, quæ sua interna vi hominem priùs suæ dignitatis admonitum auocat à turpitudine flagitij. Hic pudor simulatque extinctus est, nunquam reuiuiscit. Vnà cum ipso pereunt mores, ius, decus, pietas, fides. Quisquis eum attriuerit, huic nulla salus opitulari potest. Huius item pudoris proprium est, obstare malis conatibus & prouidere ne vllus innocentiæ næuus inducatur. Est ergo hęc verecundia vt omnis virtutis conscia ita quoque omnis delicti mõstratrix, postremò vltrix. Dici potest cos, ad quam ingenita cuique probitas exploratur. Quin audeo dicere, hanc esse omnium virtutum regulam, quæ nec intendi nec remitti potest. Vt nullus homini stimulus conscientia vehementior est, ita bonam malamúe conscientiam nulla res citiùs denudat quàm ingenita cuique verecundia. Vbicunque hæc adest, vos verò este procul excusatio, mendax purgatio, tergiuersatio. Quemcunq; pudet, is secum circumfert authorem virtutis, dissuasorem vitij, accusatorem & vindicem peccati. Nam hæc omnia nihil aliud sunt quàm pudor. Pudor est cuique probo impressus character bonitatis, improbo malitiæ. Et hic quidẽ character tanti est, vt nulla stultæ simulationis aut mendacij spongia deleri possit. Est nota bonitatis, si peccaturum prohibuit, malitiæ si non potuit. Nam nos quidem huic virtuti tantùm tribuimus, vt vna cupiditatis germina, & natales peccati extinguere possit. Quòd si cupiditati permissæ sunt habenæ, tunc verò pudor non est virtus, sed timor nempe supplicij. At is qui se censore emendatur, huic propriè dicimus inesse pudorem eum, qui hominem sanctitati asserit. Vsque eò pudor est exactor innocentiæ, vt quãplurima fiant permissu Legis, quæ ipse fieri vetat. Atq; adeò in hoc pudor est ipsa iustitia quæsitor scrupulosior, quòd

illius

illius partes sunt,neminem facto violare,at pudoris ne cogitatione quidem. Vt vniuersis scribatur lex, certè huius virtutis arctior est quædam cum homine cognatio, omnis bonitatis præmonstratrix , quæ sæpe id præstat quod nulla verba Legis quamuis accuratissime scripta,assequi possunt. Sæpe eum pudor fregit, quem ex Lege metus ne tetigit quidem. Quòcirca magnum innocentiæ præsidium, magnum vitæ ornamentũ sustulerit quisquis ex ea hãc virtutem sustulerit. Replicetur memoria temporum,apparebit ijs quibus fuit casta mens non aliam fuisse viuendi normã, quam interius illud vereri,qui est pudor cuiq; congenitus. Rerum scriptores adnotarunt, timore nihil, pudore quicquid ipsi iniunctum esset, Agesilaum feliciter exequi solitum.Enimuero vt præfractæ mentis nullus est pudor, ita generosa ingenia semper sunt ad hunc pudorem procliuia. Quò fit, vt tanta virtus hominum summos asserat eos esse qui dicuntur. Nam qui causa nulla est cur alios timeat, huius est se ipsum vereri.Id quod de populis gentiũ dominis dicendum quoque videtur.Hoc totum Græcis est χαλθειν, hoc est, tenerrima illa pars animæ,quæ sese prodit per demissionem oculorum,quos pudor,sicut flammula,vnà cum frõte ac genis circumfluẽs leniter lambit. Hinc ille seu rubor,siue purpura hominis pudici insigne pulcherrimum. Certè quantum huius flagrat in animo pudoris, tantumdem emicat ingenui cuiusdam in frõte ruboris. Ergo rubor & ingenuitas vno plerunque, eodẽque contubernio vtuntur. Doctè Pythias Aristotelis filia interrogata quis omnium colorum sit pulcherrimus, Is, inquit,cuius è pudore,accensæ faces vultibus ingenuis illucent.Cæterùm in vitæ curriculo sæpissimè priùs peccatur quàm quis possit de peccato suspicari. In tali re, subit alter quidam pudor illi affinis quem supra dixi, facti exprobrator, & quidem comite pœnitentia, quam ipse progenerat. Quæ est homini prima admonitio , & seria quædam castigatio. Hinc odium commissi, ac proinde flagrans quoddam innocentiæ desiderium,cui animus reddi cupit. Nullo interuallo sequitur illud pigere , quod est primum supplicium illius qui peccato nequiuit obluctari. quippe pudere simul & pigere,hoc demũ est non differri,sed cõfestim premi põdere peccati.& cupere redire in viã.Hinc intelligitur quã-

ti sit prior ille salutaris pudor. Nam quemcunque quando oportuit, puditum est, qui loco ac tempore vereri cœpit, qui peccato anteuertit, hunc postea nec frustra pudet, nec inutiliter piget. Est enim pudor ratio exprobrans, moderatrix cupiditatis, assertrix innocentiæ. Eaque re pudorem à puto dici volunt, id est puro. Quæ puritas diligenter est asseruanda ne contaminetur. Similis enim est latici puro, quem siquis vel exiguo limo inficit, huic nō amplius est vnde bibat. Huic pudori doctæ illæ Athenæ aram dedicarunt vt numini. Nequaquam eiusdem dignitatis est ille alter pudor. Hic enim quòd nō in alto radices egit, sed summa in tantùm cute versatur, facilè deteritur, potissimùm siquis occultiùs peccauit; quàm vt ea res resciri possit Tunc enim se is nihil peccasse non solùm stolidè, verùm etiam nequiter & flagitiosè persuadet Non desunt quidam, in quibus omnem peccandi verecundiam abolet multitudo pecantium, perinde ac si eum multis peccare sit omnino nihil aut leuiter peccare. Vsque eò malitiosa taliū existimatio sibi eximit omnem pudorem peccandi, postquam peccata longiùs & spatiosiùs euagari cœperunt. Certè illo extincto, omnis animi dignitas pariter vanescit. Ergo ne effluat, multa cura asseruari debet. Non eadem est ratio pudoris & vestis. Hæc quò fit obsoletior, hoc incuriosiùs habetur. Pudor quò est diuturnior, hoc fit cōfirmatior, quò frequentiùs vsurpatur, hoc est nitidior. Sed nec retineri nonnisi honestis artibus potest, nec solùm continua meditatione, sed & crebra exercitatione virtutum Neque tamen nescio vtramque vocem ad pleraque alia extendi ea quæ dicta sunt. Nam pudore & verecundia signatur ingenita quædam animi siue obseruantia, siue respectus erga eos, qui autoritate cæteros antecellunt. Hunc pudorem signat Comicus in hoc tam salutari præcepto, Pudore satius esse quàm metu retinere liberos. Et hic quidem pudor est omni metu fortior, & hominem acuit ad præclara & fortia. Polydorus quidam interrogatus, Quid ita Spartiatæ se fortiter belli periculis obiectent. Quoniam, inquit, vereri duces, nō timere didicerūt. Huius generis est illud, Æstuat imo ingēs in corde pudor, qui est militi, ac totis exercitibus stimulus acerrimus. Huius pudoris vel ficta in vultu significatio oratori, supplici, omnino aliquid petēti

mirum

mirum dictu quantum faueat. Ergo quantum quisque cupit vereri se ab suis, tantum honoris pudori habet. Qui quicquid siue loquitur, siue agit, non id pudore, vt aliquãtillo sale, perspergit, huius audaciam ac temeritatem omnes oderunt. At cui verecundia est perpetua comes, hunc præcipua quædam probitatis commendatio prosequitur, hic se hominum animis vehementer insinuat. Hoc identidem subijcimus adolescentibus vtriusque sexus, qui si non hac pudoris prætexta amiciuntur, omnia eos indecorè facere necesse est. Quæcunque de pudore dicimus eò quoque pertinent, vt seipsum homo vereatur, eaque vel in proprio secreto sedulò occulat quæ in humano corpore ipsa natura abscondere voluit. Ea certè quisquis sana mente est, quamlibet necessaria, remouet ab oculis, nec aliter quàm occultissimè necessitati operam dat. Memoratur quædam Lysidice propter magnitudinem pudoris in veste lauari solita. Tum altera nomine Philotera, quæ balneum ingrediens tantùm è tunica contrahebat, quantum nudandæ illi corporis parti satis esset quę prius aqua celabatur. Inde emergentem rursus quicquid nudum fuerat sensim velasse. Aiũt Creusam Aeneæ vxorem, insignis honestatis fœminam, nequidem cum Troia caperetur, vllo metu adactam vt se detegeret, sed cùm sese incendio eriperet, mansisse opertam. Hoc ipsum præceptum sonat hic versus Ennij, Flagitij principium est, nudare inter ciues corpora. Huius pudoris ac decori Minerua vsque eò obseruans fuit vt tibiarum oblectamentum abiecerit, nimirum vt aspectus honestati consuleret. Enimuero natura hunc sexum tanto pudore perfudit, vt ei, detrita hac purpura, omnis pudicitiæ dignitas proscripta censeatur. Huc pertinet vulgatum illud, Mulier, posita tunica, pariter ponit pudorem. Ergo nulla est pudica, cui hic pudor non sit comes perpetuus & indiuiduus. Hoc est matronalis decoris insigne præcipuũ. Ipsi quidem scenici, licentior secta, hunc habent verecundiæ è vetere disciplina morem, vt in scenam sine subligaculo prodeat nemo. Verecundia omnia humana suo interuentu condecorat. Procul ergo hinc facessat fœda Cynicorum ratio, eorumque qui hodie sunt illis obscœniores, ac totum pudorẽ in omniũ faciẽ intentant. Dictis, factis, tactu, aspectu, gestu & incessu sedulò verecũdia colatur, de-

eorum vbique teneatur. Hoc enim amoto, petulãtia & obscœnitas inducuntur, nullus vspiam est honesto locus, omnia inter homines fiũt dissoluta. Postremò huius virtutis mun⁹ est, quod homines colũt se inter se, quod inter se diligunt, inter se verentur Quæ est ratio cõsociandi, & firmissimo quodã vinculo cõstringendi voluntates. ac stabiliendi amicitias, quas sine hoc pudoris & respectus pedamento statim dissolui necesse est. Ipsa diuina hic respectus & reuerentia solidat, quæ ideo throno Iouis adstare dicitur. Et prudentes censuerunt, huius pudoris & reuerentiæ tantam rationem haberi oportere, vt nec seruo coram domino, nec cuiquam coram rege aut senatu ridere liceat; ne sit erga hos minùs quàm par est, reuerens.

Cap. LXXI.

Pudori & verecundiæ contraria est impudentia siue inuerecundia, irrisio, cauillatio, scurrilitas, dicacitas, ostentatio sui.



QVAM amabilis, venerabilis & suspicienda ea virtus est, cui nomẽ pudor & verecundia, tam detestabilis & inimica huic impudentia, siue inverecundia, imputissimus fœtus mentis deprauatæ, & omnis intemperantiæ comes & ministra. Vt pudor seu verecundia est illa animi teneritudo, cui facilè virtus imprimit suos characteres, ita impudentia succedit in locũ pudoris, quoties is nullus ac detritus est, quoties animus obduxit callum, & in omnem prauitatem induratus non modò occultè, sed palàm peccare, id verò sibi & oblectamento habet & facetiæ. Cuius fœditatis facies ciueracea & cadauerosã plerunque index est. Nam cui in pectore nulla verecundia germinat, huic nullus in ore rubor efflorescit. Ergo impudentia est habitus eius animæ quæ negligit aliena iudicia, propriamque famam, nec ægrè patitur ignominiam, dummodo hac ratione eò feratur, quò eam

eam sua cupiditas trahit. Impudens is est, cui est animus inuerecundus, & os ferreum & improbum; Qui omni parte vitæ detestabilis sua flagitia non solùm factis promit, sed suo ore edictat; Qui sibi ea licere putat quæ honesto licent nemini, suasque deformitates non solùm non obtegit, sed omni exhausto rubore vltro spectandas præbet. Homo impudens est alienæ virtutis perpetuus osor & hostis, atque eádem omnis honestatis, pudoris, virtutis derisor. Aspectu est superbo, gestu contemptore, risu improbo. Vix enim ridet, quin eadem sæuum renideat. In primis vult sciri quàm sit ingratus, vel hoc vno, quod non solùm illi, à quo beneficium accepit, se ambitiosè præponit, sed & eius, quamlibet melioris, detrectator est. Illum quem cuncti laudibus extollunt vt singulare specimen virtutis, quem cùm videris, omnia præclara, atque, vt olim de Solone dictum, ipsas Athenas, ipsam Græciam videris, hunc inquam, ipsum ita laudat vt vituperet. Pôtiùs huius virtutes, qualibet arrepta occasione contumeliosiùs ludificari pergit. Hîc verò scommata accersit omnem improbitatis fœtorē redolētia. Quippe huius diritatis sunt multa genera, inter quæ restim ducit irrisio, quę iocos festiuitate aspersos, & dicta aliqua iucunditate cōdita planè ignorat. Nihil agit aut iacit nisi amarum, obscœnum, mēdax. Est enim irrisio sermo inimicus, & gestus ethologi exprobrator alienæ simplicitatis, & peruersus ac scenicus imitator alieni ingenij, non in hoc inuentus, vt is qui irridetur, in melius mutetur, sed vt ei aliqua contumeliæ nota inuratur. Si mauis, irrisio est superbia personata, quæ sub specie comitatis & mansuetudinis agit negotium crudelitatis, ac velo simplicitatis contegit improbā calliditatē, verbis & gestu officiosę similis, re iniuriosa. Huius promissa sunt fallacia, fides fucata, sinisteritas manifesta. Per plana eius sunt foueę insidiosissimę. Derisor est is, qui potiorem subsannat, non solis verbis, sed vndecunq; mendax. Dū vltionē cogitat, veniam se dare simulat, quem pessimè odit, hunc commendat; quantum in ore habet blāditiei, tantū ei est in corde amaritiei. De eo quod iam statuit, se deliberaturū ait. Irrisionem quidam vocant cauillationem, alij dicacitatem. Sed cauillatio est irrisione tolerabilior. Est enim cauillatio lepos & iocus salsus, qui facetè belleq; ridēda ridet. Si mauis, est iocatio è qua oritur

risus pudens,& liberalis.Hęc sunt Æsopica,Sybaritica,ridicula dicta;sed quæ,nisi diligenter caueris,facilè prolabũtur in scurrilitatẽ,quæ omnia ioca deuenustat.Quippe scurrilitas est iocus intępestiuus, quo sine causa quispiã lacessitur. Si mauis, est amara & mordax cauillatio, quæ hoc grauior est,quòd putatur esse meditata,& accersita.Dicacitas versatur in dictis breuibus & peracutis,siue ita aculeatis vt pũgant & vulnerent.Hæc propriè vocabãtur dicta, sc.acuminata & mordentia,etiam sine vlla amaritie,sine stomacho& morositate prolata.Nec verò à grauitate discedunt & seueritate.Ideoque etiam iis sapientes arridere possunt.At irrisio sẽper & vbique est improba & contumeliosa.Atq; adeò nullus est derisor, qui nõ ipse aliis ridendi occasionẽ præbeat,qui nõ sit scelestus,qui non abũdet impudentia.Neq; ferè vllus est improbus,qui nõ sit procliuis in derisionẽ,qui nõ superbè huic aut illi illudãt,Qui etsi caret omni sale,eũ tamẽ quẽ se habere putat, nõ in melioribus ludificãdis ipse deterior cõsumat.Quod genus hominũ quã sit cœlo ac terris inuisũ,expressit Æschylus in iis versibus qui hoc sonãt, Si quis vir pius nauẽ ingreditur cũ irrisoribus & improbis, enimuero is iam cũ inuisoDiis genere periit. Irrisori nulla est mentis sanitas. Potissimum inflatur arrogante quadã & funesta sui persuasione,quam quidam vulgato hodie vocabulo præsumptionẽ vocãt.Et hæc quidẽ est præcipua nota hominis impudentis, eius qui indies id agit vt hebetet stimulũ cõscientię,qui præ se alios cõtẽnit,sibi soli placet,sibi impẽsius abblãditur,se vnũ admiratur,se prędicat,se cuius venditat.Certè impudentiæ pars est,efflandis suis gloriis & ipsis nolentibus,&cõspectũ hominis tã importuni refugiẽtibus vsque obstrepere;huic medios sermones intercipere, illũ diutiùs & ingratiis audiendo defatigatũ odio enecare, dũ homo nihili se facit plurimi.Ergo ostẽtatio est falsorum bonorũ põpa,est mẽdax cõmemoratio earũ rerũ quæ ostẽtatori non adsunt.Ostẽtatoris est Rhodus, eiusdẽ est saltus. Cum tamen sæpiùs nihil huius sit præter vnũ os.Ostentator est instar cupressus,nullo fructu,nullo sapore,sola proceritate & specie notabilis. Ne quis putet ea esse fabulosa quæ de cynocephalis traduntur,Hic est verè κυνοκέφαλος canino capite,fronte nũc fracta,nũc tuberosa,si tamen est vt illam frõtem habeat.Qualemcumque tamẽ habet, hanc ad

quælibet flagitia expandit,contraq; omnẽ virtutem durat. Hinc est quod veretur neminẽ,ne se quidẽ. Homini impudẽti visus est acutus,oculi flãmei,quos Ægyptij sapiẽtes demõstrabãt per effigiẽ ranæ,quæ in solis oculis habet sãguinẽ. Huic lingua est ventosa & procax, prõptior alienis moribus corrodẽdis,quàm suis emẽdandis. Nasus is,quo aliena suspedũtur. Totũ os durũ,atque,vt aiunt,pugilis,turbatę mentis euidentissimum specimen. Totus est ea cute contectus quæ nescit erubescere, ac prorsus, vt alter Thrasimachus,tinctura Cizicena. Aspicitur quãdoq; totus ignitus,sicuti victor præstantiorum,quod est ipsius impudẽtiæ vexillum cunctorum oculis expositum. Huius notæ fuit Philemon is cui Menander,Bona venia dic mihi,Cũ me vincis, non erubescis? In gestu,incessu,statu,vestitu & calceatu eminet ostentatrix illa iactatio sui,sæpe audiẽtiũ,sæpius absentium contumelia. Continuus est μηχανορράφος malitiarũ sutor,& magnorum mendaciorũ consarcinator,magnidicus, vanidicus,maledicus,amarulentus cõtumeliosus exprobrator,hospes infidelitatis,ita vrbanus,vt eadem sit fraudulentus. Aliud sonat,aliud sentit. Mordet haud secus quàm edẽtata bellua. Cui quidpiam mali fecit,hunc ipsum cõtra tueri audet,atque adeò illata damna ludibriis cumulare. Sæpe conscientia flagitiorum vndique pressus nescio quid falsi& ostẽtatitij decoris habet ad manum quod obtrudit. Sed nequicquam. Nã statim & ipse totus,& omnia ipsius pellucẽt. Qui nihil intonauit nisi opes, hunc egestas vndique circũstat. Malo genere natus audet suũ stẽma per multas propagines deriuare ab aliquo celebri nomine, & suas infimas sordes inserere eminentiæ & splendori clarissimæ alicuius familiæ. Ineptus,impuratus,totus nugax,se quoque magnis nominibus annumerat. Omnem sui cõmendationem ferè inchoat ab aliquo maledicto. Hinc pinguescit. Nũc palam, nunc latenter mordet. Quarũ r rũ imperitus est,has se vnicè sciri profitetur,propemodũ vt is,qui agit in scena gestũ, & quidẽ spectante Roscio. Insigne aliquod eruditionis columẽ ipse opicus & insulsus audet probro lacessere,prorsus vt Cestius ille,de cuius corio Cicero filius parenti parentauit,aut vt is, qui M. Varronem ausus est appellare porcum sus ipse,aut siquid sit immundius est, aut certè vt Thestorides ille sola impudentia notus, qui Phocaidem Homeri,

ab se descriptam pro sua venditabat. Homo impudens, vbi tenetur, puncto temporis ab vno impudentiæ genere trāsit ad aliud. Nullus enim est insigniter impudens, qui non eâdem sit versipellis, sed ita vt in medijs versutijs sit amentiæ manifestus. Nec enim aduertit, suorum se flagitiorum, dum suas laudes debuccinat, esse proditorem ineptum. Qui nulli vnquam serio negotio adhibitus est, is nihil fatur nisi edicta, ac decreta. Qui ne remex quidem vnquā fuit, is sibi clauum poscit, & quidem eodem merito, quo asinus lyram, & sus tubam. Pertinax quoque est. Nam deprehensus id obstinatè pernegat, quod omnes manu tangunt. Denique hoc monstro nihil est versipellius, cōfidentius, desperatius. Quibuscunq; homo impudens est notus, (& quibus non est?) eius intimè pudet; cùm tamē ipsum nunquā pudeat. Semper id agit vt multitudini imponat, & simplicitatē suis improbissimis artibus ductet. Verū haud in longum. Nullū enim tegmē velandæ impudētię idoneū est. Exerto virtutis oculo figitur. Hinc eius turpitudines nudātur, totus deridēdus propinatur, tunc potissimū cùm pudorē simulare audet. Nec enim ficta frōte sed nuda veritate, & innocētia infame impudentis nomen effugitur. Fœminis præcipuè impudentia dux est ad omne genus flagitij. Virilia, publica, imperatoria munia sibi quædam desumpserunt, pardali, & alata harpyia magis effrontes. At quæcunq; & est, & vult haberi pudica, aduersus omnes incursus induit arma pudoris, & sese circūdat muro verecundię. Adolescentem quoque inuerecundum, & qui pro modestia os tantùm ostentet, audeo firmare fore senem effrænatum, & quouis causidico impudentiorem. Cæterùm huius vitij tam pestilentis proxima origo est imperitiæ mista audacia, & defectio à modestia, pudore & verecundia. Et hæc quoque sunt à praua educatione omnia. Vbi enim pueritia incuriosè, adolescentia petulanter agitur, ibi cæteram ætatem his principijs consimilem fore constat, tota enim lasciuiæ licentiæ, audaciæ relinquitur. Ibi continuò existit arrogantia, omnis impietatis, omnisq; impuritatis magistra. His cōfestim se comitem adiungit importuna & magno strepitu incedēs, de qua dixi, ostentatio sui, contemptus aliorum, odium bonorum. In horum portentorum pestilentissima officina abominandum hoc vitium sensim elaboratur, cui nomē impuden-

pudentia. quapropter pueros & adolescẽtes hîc seriò monemus, vt sibi quã maturrimè patiantur indi semina probitatis. Hęc nulla vnquam proteruia extinguat. Sedulò quisque det operã, vt & germinẽt & grandescant, denique; ad solidam frugẽ perducantur. Vetus est verbum, vt sementem feceris, adde & alueris, ita messem metes.

Cap. LXXII.

Temperantiam & virtutes temperantiæ comites, præcipuè pudorem nullo interuallo sequitur pudicitia siue castitas.

A Pvdore pudicitia dicitur. Qua re palam fit, hoc par virtutum arctissimo vinculo colligari, atq; adeò nullã esse absque pudore pudicitiam, haud magis quàm absq; luce solẽ. Est enim pudor nobilissima & verissima pudicitiæ nota, id est illa teneritudo frontis, illa oculorum verecundia, illa ingenuitas quæ hominem pudicum, siue mas est, siue fœmina, totum conuenustat, atque ita pudentẽm monstrat, vt eâdem pudicum castumque prædicet. Vt inuerecundia est præmonstratrix impudicitiæ, ita cui verecundiæ fax illucet, hunc audacter firmamus esse hominem pudicum, præcipuè fœminam, cui nec pulchritudo, nec vestis, sed hic vnus, de quo agimus, pudor singularę ornamentum est. Quin illa est vera & perfecta pulchritudo, quæ constat ex anima virtutibus exculta, ex ea præstante forma qua corpus honestatur. Si mauis, pulchritudo est flos virtutis congenitus decori vultus & membrorum. Non desunt qui pudorem non discernunt à rusticitate, ij, scilicet, quibus nihil est vrbanum & festiuum, quod non idem merum rus oboleat. Nos vt istos nihil moramur, ita fatemur eam, quæ est pudica, præoptare se haberi subrusticam & subagrestem, quàm censeri ea vrbanitate, quæ vergit in impudicitiam. Nam erga assiduos formæ spectatores, nimisque officiosos

salutatores blãdiùs agere, est prorsus incipere obliuisci pudoris. Casta & pudica, si quem fortè transeundo commouit, prior, quasi pudorem violauerit, erubescit, nec plus est com s quàm pudicam decet. Fœminæ nimia comitas à vilitate vulgati corporis haud multùm abesse existimatur. Ergo quæ est diligens custos suæ pudicitiæ id potissimùm cauet, ne fortè & nesciens sese alicuius improbæ spei obtulisse, atque hinc suam ipsa pudicitiam læsisse videatur. Quin & in ipsa necessaria reddendæ salutis vice tota tremit, tota aspicitur in pudorem composita. Ac ne licentiore quidem cuiusquam aspectu se contrectandam præbet. Apud Euripidem Hecuba alloquens Polymnestorem, meminit eius legis, qua cautum est ne fœminæ spectent viros aduersos. Viro enim fœminæ aspectus est iaculum, cuius ictu castitas incipit l bare. Virilis & fœminei oculi concursus iam est ipsa concertatio, qua id cernitur, an pudicitiam impudicitia lethaliter vulneret. Cui periculo vitando pudica nusquam suos oculos facit emissitios, haud magis quàm admittit alienos, nusquam suam faciem prostituit. Eiusdem in fœmina virtutis est, videre & videri nolle. Eadem lex dici debet auribus, quarum castitas est oculorum castitati proxima. In fœmina nihil est tenerius pudicitia, cui facilè per ipsos oculos, ac per ipsas aures adrepi potest. Iphigenia illa Euripidæa dicit, se ne fratri quidem ausam esse dare osculum. Annon hęc vi go oscula impudica continuò despueret, quę licita reformidauit? Apud eundem Phædra ait, ex se casta parente nascituram eam prolem, quæ alto vultu per vrbem incedat. Fatuam Varro scribit tantæ pudicitiæ fuisse, vt nemo eam, quoad vixit, præter virum suum mas viderit. Hæc illa est quàm postea vocarunt Bonam Deam. Censoria Catonis nota afflictus est Manilius is, ac Senatu motus, qui præsente filia vxorem osculari ausus fuerat. Certè Africanę Cereris sacerdotes nę proprios quidem filios osculabantur. Posthumia Virgo Vestalis propter cultum amœniorem, ingeniumque liberius quam virginem decet, de incestu causam dixit. Absolutam Pontifex Maximus abstinere iocis, & sanctè potiùs quam scitè coli iussit. Virginem Romanam aspicere conuersantem cum viris, par illi probrum fuit quod admittebant Græcæ mulieres quæ stupro se cum eo, qui sacris addictus esset, coinquinassent. Neuter coniugum,

iugum, si verè sunt casti, conscias manus admouet tactui libidinoso, Vtrique tam in secreto quàm in publico antistes est pudicitia. Neuter lasciue laudat quidpiam sui membri. Pulcher, inquit illa matrona, cubitus, sed non publicus. Pulchræ suræ, sed mei viri. Pulchra facies, sed vnius illius, cuius in manum conueni. Neuter comparem aspicit vt aliquod signum libidinis, sed sese inuicem verentur vt domicilia honestatis & pudicitiæ Certè pulchritudo, dempta pudicitia, illud ipsum mulieri est quod sui inauris. Nec aliter Veneris forma in matrona laudari potest, quàm si pulchritudini coniuncti sint mores Iunonis. At etiam illa cui est forma non bona dummodo ei adsit pudicitia, cum aurea Venere atque adeò cum ipsa Minerua de felicitate contendere potest. Quæcumque animo & corpore est incorrupta hãc suam integritatem toto ore, toto gestu, singulis verbis testatam facit. Pudor & verecundia sunt ei claustra pudicitiæ, quę donec sunt infracta, pudicitia quoque est impenetrabilis. Nec tamen pudicitiæ laude florere est profiteri horridam ac tristem nescio quam asperitatem. Laudetur filiæ illius Fauni ingenium, quæ se ab omni conspectu, ab ipsa prope luce præfractè abstrahebat. Nos dicimus, comitatem & hilaritatem non modò repugnare honestati, sed ei adesse gratissimas comites. Seruetur modò pudor & verecundia, quæ vbicunque habitant, de huius pudicitia mihi quidem est compertum. Pudor incolumis est incolumis pudicitiæ testis locupletissimus. At eam quæ sit ambiguæ pudicitiæ, inuerecundam & impudentem nominasse vtique satis fuerit. Non flamma flammæ propius admota citius coalescit, quàm ab inuerecundia transcenditur in impudicitiam. Pudicitia ergo est animi firmitas & constantia aduersus omnem obscœnam cupiditatem. Est sui alienique corporis integritas aliena ab omni illicita cõtrectatione. Quapropter is est libidinosus & impudicus, quem cupiditas traxit in amorem illicitum, etsi adamato corpore non potitur. Animo concepta libido illa est quæ totum hominem inquinat. Contra, corpus quandoque corrumpitur, animo illæso. Nec semper, oppresso per alienam libidinem corpore, pudicitia amittitur. Nulli, inquam corpori, aufert sanctitatem violentia cupiditatis oppugnatricis quam seruat intactam perpetuum propositum, temperãtię,

Tanti ergo est mens pudica, vt corpus, etsi fuit iniuriæ obnoxium, ab infamia, ea quæ impudicitiam consequitur, vindicet. Itaque in congressu duorum quandoque ab altero tantùm committitur stuprum aut adulterium. In ea vi quæ Lucretiæ facta est, etsi duo fuerunt, vnus tamen fuit adulter, non vterque. Contra, illum qui propter solam Veneris impotentiam suum corpus intactum seruat, vereor dicere pudicum, vt nec illam, quæ amatorem repellendo incendit, & dum stuprum verbis negat, animo iam tota est in stupro, quod ipsa non aufert, sed differt, vt quò longior dilatio est, hoc vberiorem quæstum faciat. Nulli precaria hæc, temporaria, & planè mendax species honestæ mentis in argumentum pudicitiæ prodest, qui destinatione, & libidinis pruritu iam totus est impudicus. Nullum corpus est castum cui inest mens adultera. Cęterùm hæc virtus castitatis vocabulo frequentissimè demonstratur. Sed qui pressiùs rem spectat, reperit, castitatis laude non solùm ab omni libidine custodiam corporis contineri, verùm etiam temperantiam siue abstinentiam ab omni re nefaria, cuiuscunque modi illa sit. Certè sæpe castitas signat cumulum omnium virtutum. Est enim castitas animi & corporis simul incorrupti non fucatus, sed verus quidam nitor. Est abstinentia omnium animi corporisque sordium. Qui significatus multò latiùs patet quàm pudicitiæ, etsi frequentissimè confunduntur, illudque vtrinq; demonstratur, quo pudor violari, & morum honestas maculari potest. Hoc monuisse contentus, dein vtramque vocem impromiscuè vsurpabo. Quocunque nomine censeatur, huius tantæ virtutis decus, tanti sane est, vt nihil Deo placeat, quod non idem castitatis laude commendetur. Castitas est quicquid in moribus defæcatum & optimũ est, quicquid illud est quod humanũ corpus honestat. Est gloria vtriusque sexus, est dignitas sanguinis & carnis, pignus veri germinis, verum specimen sanctitatis. Cunctus hic virtutum consessus, si castitas absit, suo decore viduetur. Nihil hisce augustissimis sedibus excipitur, quod nõ idẽ sit ex omni parte castũ, id est, ab omni mũdanę fęcis cõtagione purgatũ. Vt enim Dei summa & perfecta castitas est, ita quicquid est in cẽsu cęlesti eadẽ castitate cẽseatur necesse est. Qui cultui diuino in terris præsunt,

sunt, ab his potissimùm exigitur, vt sint inpoluti, hoc est, & animis & corporib. castis, & in suas personas fidem faciāt hāc virtutem cœlo delapsam. Et verò monasteriū antiquitas vocauit σεμνεῖον, quasi dicas honestatis grauitatisque, & addictum pudicitiæ locum. Eadem est ratio regalis fastigij, cuius præcipuum decus & solidamentum castitas est. Verum vbi aulicis & regiis adulteriis omnia loca fœtent, ibi totis regnis funestissimæ tragediæ excitantur. Nec iis, qui rerum culmina insident hæc virtus contenta, vt quisque regiæ sublimitati proximus est, ab hoc maximè excipi se & coli æquum censet. Quid hos dico? Nullus omnino mortalium est à quo Deus non hanc virtutem scrupulosè exigat. Cuiuscumque persona non hoc niueo puroque tegmine amicitur, hunc Deus ignorat. Hoc ideò sic loquor, quod maiorem partem hanc virtutem nihil ad se pertinere, sed fœminis tantùm delegatam putant. Hæc æquum censent esse perpetua domicilia pudoris & pudicitiæ, quam ipsi non sibi, non vxori, non Deo præstant, domi quidem nomine coniuges, verùm destinatione, & in alienis cubiculis adulteri. Quid? eò ventum est, vt fas suspicere, genialem suum & alienum totum veteri, denique appetitum naturalem intra coniugis charitatem clausum tenere, eius esse ducant qui parum vir sit. Quo fit, vt paucissimi dici possint verè pudici, omnibusque corporis partibus puri. Plerique nec proposito, nec re casti callidè suas impuritates obtegunt, iis rationibus quarum nonnullas supra memoraui, nec parciùs peccant, sed callidiùs & occultiùs. Hos omnes sacrosanctum pudicitiæ numen à suis sacris procul arcet. Falsò alias virtutes Deo offert quisquis non huic egregiè litauerit. At hæc vbicunque conspicua est, consurgentia vitæ decora celsiùs extollit, ea propemodum ratione, qua egregius pictor pulchram faciem puris coloribus, & arte quæsitiore reddit effectiorem.

* * *

X

CAP. LXXIII.

Monentur fœminæ vt hanc virtutem sedulo colant.



SI huius virtutis insigniis non solùm sexus virilis ornatur, sed & censetur, quid existimandum est fœminas? Vt enim impudica nihil est immundius, ita illi quæ sit spectatæ pudicitiæ matrona, omnes, prope dixerim, res creatæ assurgunt. Nec sanè mirum, si ipsa quodammodo, vt ita dicam, est contumax, hoc est, si pro se aduersus obtrectatores suos audet confidenter loqui. Quippe inuiolata pudicitia est laudum muliebrium altissimum fastigium, sicut violata & polluta est labes indelebilis, qua eos, quos pessimè odit, maculari Nemesis æquum censet. Apud Homerum imprecatio qua periuri petuntur, est vt ipsorum coniuges fiant adulteræ, quasi hæc sit omnium calamitatum vltima. Matrem familias forma exuperante, moribus comem & compositam, frugalem, domestici laris gubernatricem nequicquam laudaueris. Quo plura talia decora inieceris, hoc ei maiores infamiæ notas inusseris, si ei deest hoc pudicitiæ specimen, quod & diuina agnoscunt, & humana reuerentur. Neque verò à fœmina qualiscunque species castitatis exigitur, non qualem lex, metus, fama monstrant, sed quam & conscientia, & mens casta, & ingenitus isti sexui pudor sibi vindicant. Si tibi, mulier natura eam formam concessit quæ sit spectatu digna, noli titillari aspectu', aut digitis monstrantium & prætereuntium, hæc te non aliter delectet, quàm si eam cumulant præconia pudicitiæ non in speciem quæsitæ, sed ab ingenito pudore inductæ, à moribus elaboratæ, abs te perenni virtutis exercitatione cultæ. Quò magis forma honesto proposito repugnat, hoc tu fortiùs propugna. Hoc inprimis habeto, formæ & pudicitiæ pulcherrimam esse concordiam, ac tunc demum illam esse eminentem, si huic sit obsequens & morigera. Pulchritudini mundus sint vela sanctitatis, rosæ verecundię, violę pudoris, lilia castitatis. Si tibi forma mala est, etiam atque etiam vide ne & illud dici possit, hanc tibi solã esse occasionem

nem pudicitiæ, potiùs quàm rectum & castum animi propositum. Fac fidem, te, etsi non adest corruptor, nihilominus esse incorruptam. Ostende deformitatem non esse tibi pudicitiam, sed hanc in tua persona occupare locum deformitatis eius, cui nullus impudicus audeat aut possit manus incontinentes admouere. Illud ergo scito, pudicitiam matronæ esse pro forma omnium pulcherrima, nulli neque iniuriæ, neque contumeliæ obnoxiam. Si virgo es, sit tibi iste virginitatis flos & rosa recente, & lilio cadente intactior. Earum virginum vestigiis insiste, quarum hodiéque decus eminet, quòd sæpè pudicitiam præsenti exitio prætulerunt. Si es materfamilias, contine tua vota intra amorem illius, cui te vni Deus addixit. Vide ne è Penelopa, quod dici solet, fias Helena. Signo Morphûs Tyndareus addidit compedes, vt hoc vinculorum typo innueret, fidē, qua se casta matrona viro suo deuinxit. Vtinā capiti quoque dati possent. Sed, videlicet, capiti vincula sunt ratio & victus. Si es vidua, da isti viduitati frænum castitatis, solare solitudinem tuam honestis & salutaribus cogitationibus. Ne famam tuam macula vsu deliciatum. Comprime cupiditatem gestientem. Deuita omnia irritamenta, omnes occasiones lasciuiæ, omnia studia luxuriæ. Respice gementem, si compare viduata fuerit, turturem. Hoc tibi sit exemplum continentiæ, hic typus. Te pudeat, apud te non esse tantum honorem pudicitiæ, quantus est apud castissimas auiculas. Quædam gentes memorantur apud quas solæ virgines nubebant. Laudatissimæ illæ matronæ quæ vno matrimonio contentæ fuerunt, quas corona pudicitiæ donatas constat, Chorus apud Euripidem ait, Non laudo iteratas nuptias, neque liberos diuersis parentibus genitos. Gorgona filia Persei, mortuo Periere Æoli filio, cui virgo tradita fuerat, nouo tunc quidem & parum laudabili exemplo Oebalo alteri viro nupsit, cùm antea sanctum & solenne fœminis fuisset, secundis omnino nuptiis abstinere. Ad fanum telluris, quod in Bœotia Eurister non vocabant, sacerdotium illi tantùm mulieri mandabatur, quæ vni viro fuisset materfamilias. Atque adeo priusquam hæc illius sacerdotij infulis honestaretur, castitas eius explorabatur ad hunc modum; Epoto, videlicet, sanguine taurino, si legi frau-

dem fecerat, subito interitu flagitium luebat. Simili prope ratione Dianam, (fluuij apud Camerinam nomen est) nisi habitus pudicè hauserit, non coeunt in corpus vnum latex vineus, & latex aquæ. Romanus mos fuit, in assumendis Vestalibus eas virgines aliis præferre quæ iis parentibus essent ortæ, qui vno matrimonio contenti vitam egissent. Plura coniugia malè audierunt, sicuti argumenta indomitæ libidinis, eius qui sibi fucum accerseret. Quæ macula hodieque hæret nomini Thargeliæ Milesiæ, quam memorant nupsisse quatuordecim viris. Ergo eius quæ esset vniuira, præcipua quædam erat veneratio. Et verò virginibus legitimè nubentibus vniuira pronuba adhibebatur. Flaminia nonnisi fuit vniuira. Fortunæ muliebri coronam non imponebat nisi vniuira, sicut nec Matri Matutę. Illæ quoque nuptiæ, quamlibet nuptię, censentur esse maculosæ, quæ stupro comparantur, vt Iasonis & Medeæ. Vir enim prius est prædo fœminei corporis quàm maritus. Et sic nupta nonnisi per labem stupri peruenit ad honestatem coniugij. Quæcunque & qualescunque estis, seu virgines, seu maritæ, seu coniugiali nexu solutæ, post Deum & conscientiam veremini venenatos morsus famæ. Tanta sit vestri pudoris & pudicitiæ custodia, vt, ne minima quidem probri suspicio vestra culpa quicquam anceps in cuiusquam animo relinquat. Quippe nulla quod satis est existimatur esse pudica de qua ambigitur. Ipsa dubitatio pudicitiæ næuus est. Atque adeò famosam esse, culpæ affinis conditio est. Vestra ergo scrupulositas hic potissimùm commendetur. Quacunque tandem ratione fama pudicitiæ lædatur, certè est irremediabilis. Contra, singularis exempli matronæ, quarum sublimia castitatis exempla suis ætatibus affulserunt, vel ipsis malignæ famæ telis fuerunt impenetrabiles. Tales sunt in sacris annalibus Sara & Susanna, in priscis fabulis Penelope, in Romana historia Cornelia mater Gracchorum, Porcia vxor Bruti, Antonia mater Germanici, aliæ Tam casta capita in Thesmophoriis festis sola Cereri sacrificabant. Solæ dignæ erant quæ Cereris vittas contingerent De his mentiri ipse rumor veritus est. Nullæ hoc ingenio præditæ in otiosorum, & curiosorum hominum fabulas incidunt. Hoc est imperruptæ pudicitiæ specimen vnicum. Ad hoc tam sublime decus

illæ

illæ perueniunt, quarum in ore sessitat sobrietas sermonis & cibi, in quarum oculis habitat verecundia, præsertim in publico, in incessu modestia, in gestu pudor, in toto habitu puritas. Hæ ipsæ vino, nisi valetudini conducat, abstinent, hæ cum alienis viris neque clam loquuntur, nec rident. Harum cultus & ornatus in tantum eminet, in quantum ne sint incultæ & immundæ. Quæ præter hæc sunt, omnia sunt pudicis inconcessa. Hæc sola fidem faciunt, ipsarum lectulos esse locupletes gemmis castitatis, & suas personas esse præcinctas baltheo sanctitatis, Quod est præclarissimum insigne eius fortitudinis, quæ sola fluxam carnis concidit ignauiam, quæ disiicit insidias libidinis, infringit conatus Cupidinis, quod est omnium præclarissimum certamen, quo profligatur ille quandoque blandus & subdolus, sæpius rabiosus & sęuus hostis existimationis vestræ. Vos verò hac ratione spei & pretij pellacias, omnes voluptatum illecebras, omnes impudicitiæ machinas fortiter euerteris. Prospera fama, prope dixerim, gloriosæ, certè luminosæ incedetis. Vos denique debellatrices ac triumphatrices manent præmia pudicitiæ in conscientia, in fama, in cœlestibus sedibus. Cæterùm pudicitiæ pars est, vt matrona nunquam discedat à pudore & modestia. Agnoscat se, si non sub imperio viri, at certè sub custodia ac tutela eius esse. Id quod eò pertinet, vt nunquam cum suo viro argutari audeat aut rixari, ne sua proteruia & obstinata malitia vllam rumpendis tabulis nuptialibus causam præbeat. Ne vnquam egrediatur fines eius obsequij, cuius perpetuo interuentu coniugum concordia, & mutua charitas alitur. Semper sibi maritum anteponat, huic vni sit morigera. Non sit Gorgona, sed grata, placens, obsequens. Vtrique coniugi sit, vt ita dicam, vna in duobus corporibus anima. Ipsa materfamilias potissimum caueat, ne, vt olim, alibi quàm domi suæ habeat sacellum Deæ viri placæ, vt ibi posita animi contentione, vterque coniugum illico in mutuam gratiam reuertatur.

Cap. LXXIV.

Pudicitiæ maximum specimen est virginitas.



SANCTVM & venerabile apud omnes gentes esse nomen virginitatis, nemo sanus ambigit. Atque adeò ei inter virtutes honoratum locum assignatum esse cœlestis hic docet omnium virtutum consessus. Virginitatem vocamus integram animi & corporis, intactamque puritatem. Si mauis, virginitas est in humano corpore domicilium puritatis, omni impuritati, omnique impudicitiæ clausum. Animum hìc desidero, quia si corporis vitio, siue alio aliquo coactu impudicitiæ opera dari non potest, minimè id quidem dicitur esse decus virginale. Nulla virtus non animi proposito censetur. Eaque re is, cui non voluntas, sed facultas peccandi deest, etsi peccato abstinet, est corpore innocens, animo noxam gerit. Virginitas est virtus paucissimis concessa: Sed quò rarior, hoc est eminentior. Non minùs virilem, quàm muliebrem virtutem esse, ad viros maximè pertinet. Quippe ab omni amatoria cogitatione, ab omni impudico aspectu, ab omni fœdo contactu, ab omni corporum congressu summa cura seruare se intactum, viuere in spolio carnis, & nulla carnis immunditia contingi, hoc planè est virginitatem colere. Id quod non magis fœmineæ castitatis opus, quàm virilis dignitatis specimen est. Virginitas est duplex, temporaria & perpetua. Temporaria est decus illius, qui nulla se sponsali pactione compediuit, sed naturali desiderio animosè vim facit. Cui compescendo cùm non vltra est idoneus, tum verò, hoc certamine omisso, hoc decus vsque adhuc intactum legitimi thalami gaudiis commutat. Bene enim & feliciter virginalis integritas terminatur societate coniugiali. Vt illa quodammodo virtutum, ita hæc hominum stirps est. Perpetua est illa quæ vsque durat, nec se vnquam ab vlla cupiditate vinci patitur, nec nisi vnà cum corpore extinguitur. Vt nunc agam de temporaria, Florem ætatis suæ intactum custodire, sæpe titillari, neque tamen corrumpi, quanta sit laus, quamque in arduo posita, illi vni sciunt,

qui

qui in se non perfunctoriè, sed seueriùs & scrupulosiùs inquirũt. Quapropter virginitas non solùm illud est, innuptũ esse, atque interim lasciuos oculos, omnia membra, omnia illicitæ cupiditatis flabella in partem libidinis aduocare, hoc perpetuo stimulo libenter efferari, incontinentiæ, vbi quid datur occasionis, frænos laxare, illicitis amplexibus illigari, denique professione impudicitiam occulere, eandem re profiteri. Hoc potiùs est frequentibus & iustis cõscientiæ monitis surdas aures opponere, honestati obstinatiùs reluctari, ac sese damnare impuritatis. Quod flagitium à paruo & prauo rudimento in omnem postea vitã propagatur. Vix enim est, vt vas tanto fœtore semel inquinatum pristinę puritati reddi possit. Ergo seuerę & intactę virginitatis genus vni illi assignamus, quẽ mores pudici egregiè cõmendãt, cui est animus virtutũ monilibus locupletatus, qui mẽbra operit velamento sanctitatis. Si puella est, eiusque pudorẽ naturalis flamma iam vehementiùs sollicitat, si iam matura intumuit, huic verò verecundia est pronuba, huius sponsalibus sanctitas pręest, huic coniugalis amor auspex est. Pro flammeo est ei niuea simplicitas, pro sportula decora pudoris, pro aqua & igni sui & coniugis vnitas & corporatio, pro cingulo illibatus flos ætatis, pro Herculaneo nodo nexus amoris indiuidui. Hęc deniq; illa est quę nuptura zonã intrepidè Mineruę suspẽdit. Nec ipsi votũ est irritum, sed decerptã sibi virginitatem fœcunditate mutat. Ad hanc tã excellẽtẽ conditionẽ, super bonã indolem, sensim vterque sponsorũ rectà ducitur à proba educatione, quæ prohibet inuestes quicquam aspicere non pudico intuitu dignum, nihil auribus instillare, quo non illa teneritas ætatis ad pudicitiam informari queat, nihil agitare aut contrectare, quo quisquam nequior fiat, denique quæ eos ab omni licentiori consuetudine seorsim ac procul habet, labori potiùs ac duritiæ, qui sunt assidui formatores probitatis, maturè assuefacit. Vterque sponsus tam accuratè, ac tam castè eductus sese mutuo, eoque pulcherrimo munere donabunt, nempe integra animi indole, intacto pudicitiæ flore, impolluto corporis decore. Alter alteri nunc præsidio, nunc ornamento futurus est. Ille castorum coniugum castæ pudicæque deliciæ vtriusque puritatem asserunt. Vterque sic as-

fectus comparari placere ſtudet, & quidem ſine vlla deformitate licentiæ,ſine vllo probro luxuriç,ſine vlla deliciarũ laſciuia. Neuter habet viuendi rationes ab altero ſeiunctas. Nulla inſolentia eos auocare à mutuis communis reſpectus officiis poteſt.Inuicem certant amore,inuicem iuuant. In hoc vnum intenti ſunt, vt, ne quid in pudiciſſimos lares impudicum,flagitioſum, infauſtum intromittatur. Caſtas animas, & caſta corpora caſti lecti fœcunditas excipit.Hanc neuter omnibus omnium regum gazis commutatam velit. Vterque fidem facit, tam felicis coniugij non tam oculos corporis, quàm diuinitatem mentis iudicem fuiſſe. Et hæc quidem eſt læta illa maritalis pudicitiæ meſſis,quæ,fauente Deo,eam virginitatem,quam temporariam vocaui, nullo interuallo ſequitur. Quæ certè omnibus rebus dotalibus,quamlibet ampliſſimis antecellit,atque hinc eſt pretioſior, quod ſemel data, ſemel accepta in integrum reſtitui non poteſt. Ne recenſeam honores, & quidem ſingulares, qui huic tam excelſo decori apud omnes gentes ſemper ſunt habiti. Perpetua virginitas eſt votiua,ac plerunq; Deo dicata,ſacris intenta, publicæ incolumitati addicta.Verùm ſi illa temporaria eſt humanæ fragilitati tã ardua, ſi inſuperabilibus prope difficultatibus circumuenitur,quas tandem legitima copula terminat, quid hanc alteram eſſe putandum eſt, quæ non aliis,quàm totius vitæ terminis eſt circumſcripta? Huius illibatæ virginitatis cœleſte exemplar eſt ſacroſancta illa virgo,per cuius ſacratiſſimum conceptum & partum data eſt humano generi ſalus.Hanc tam excellentem dotem Deus ex voto inuiolatam, res ſacræ ſanctitate inuiolabilem, ipſa profeſſio perpetuam,homines ex admiratione diuinitati prope dixerim haud abſimilẽ exigunt.Vt hæc meritò dici queat ipſiſſimus flos pudicitiæ, excelſiſſimus titulus pudoris,eius vitæ excellentia,non qualem maxima pars agit, ſed eam cui eſt perpetuum in cœlo commercium. Quapropter monẽdi ſunt vt etiam atque etiam quid agant, circumſpiciant illi, qui huic incoactæ & voluntariæ virginitati ſe addicunt, qui tantum onus in ſe ſuſcipiunt, nimirum paulò curatiùs in ſuum propoſitum inſpiciant. Id ſi fiat enimuero non tot greges aſpiciantur eorum,qui huic tam duræ militiæ nomen dant.Iidem ſint multò lectiores, huiuſque

que tam seueri propositi custodes acriores. Equidem non mihi persuadere possum, eum qui huius tanti nexus difficultates intelligit, non ad eius solam mentionem contremiscere, rei ipsius sanctitatem ante oculos habere, eius maiestatem considerare. Ab se periurium, ab hoc proposito aliquam pudendam defectionem timere. Speciosiora certè sæpius hæc vota sunt quàm synceriora, & verius ore prolata, quam in animo nata. Verbis pudicis, iisdemque solennibus peraguntur, & sancti iuriſiurandi formulis concipiuntur, sed vtinam non terminarentur factis flagitiosis. Huc hodie vix itur vllo delectu, sed promiscuè ac turmatim. Sacræ domus, quas, vt quasdam pietatis officinas veneramur, superfluunt multitudine virorum cœlibum, & virginum innuptarum. Hos omnes ea re professos vocant, quòd apud Deum nomen suum, vt qui sint virginitati sacrati, profitentur. Sed quos huius tam ardui voti non pœniteat aut tædeat, qui non animum frequente cupiditate, lectulum non aliqua impuritate conspergant, qui æternum virginitatis amorem intemerati colant, reperiuntur oppido paucissimi. Reliqua turba vtinam non interfectæ huius virginitatis, atque adeò incesti meritò arcessi possit. Quisquis es, cuius sub sacro velamine sanguis æstuat, nec compescitur, scito te non esse Deo sacrum; sed immundum strutum carnis impurissimę libidinis profluuio rigatum, à castitate penitus reuulsum, atque vt turpitudini mancipatum, ita grauissimis suppliciis reseruatum. Tãtę culpę semper vna mors leuis est existimata, nedum sola sacerdotij exautoratio. Ehò tu, qua fronte vsurpas vocabula sanctissima, cùm sis aliud nihil nisi animal salacissimum, & lutum probrosissimum, & fortassis adhuc pristinæ vitæ turpitudine defamatissimum? Qua tandem re fretus pro publica salute manus in cœlum effers obscœnis contactibus inquinatas? Quibus item oculis in ecclesia audes aspicere ac venerari effigies illorum, qui & singulari pietate in Deum, & vitæ sanctitate cunctis præluxerunt, qui in adytis tuis habeas sub sacris nominibus lasciuas tabulas, incitamenta libidinis? aut etiam impudicissimas & obscœnissimas, atque hoc vno tibi spectabiles quod sunt schematibus libidinosissimis inquinatæ? Quid mirum talia apud te esse, cùm tibi animus sit impurissimis cogitationibus conspur-

catus?Num istud os tam fœtidum sacrorum verba effabitur? Te ergo vota concipiente Deum hominibus placari posse putas?Annon potiùs irrideri & exacerbari?Te in modum supplicis composito,rebus adesse prosperitatem, hostes profligari, Remp. in tuto sisti posse putas?Enimuero quoties tuam personam aspicimus, eâdem contemplamur eum qui sit quidam velut interpres inter Deum & hominem. Nam quid aliud esse dicamus sacrorum antistitem? Tuum domicilium accipimus veluti quoddam stipendium & contubernium castitatis. Te totum credimus esse custodem ac dispensatorem eorum, quæ Deus voluit esse perpetua suæ in homines bonitatis pignora. Hoc ipso, ac vel sola virginitatis opinione es venerabilis. Propterea vel ipsæ summæ potestates, summaque imperia tam sublimi sanctitati fasces quodammodo submittunt. Talis, tantusque cùm sis, certe in id vnum intentus esse debes, vt ne ista,quam profiteris,virginitas sit ficta & ostentatitia,sed coram Deo,coram te ipso, in cunctorum conspectu omni obscœnitate abstineas, ipsæ tuæ cogitationes tibi sint interioris pudicitiæ testes, totus sis nitidus, purus & pudicus. Hac ratione assequi potes, vt primùm tibi virginitas constet, hinc Deo sis acceptus, apud homines sis magnus, sanctus ac venerabilis.

CAP. LXXV.

Temperantiæ, eique cognatis virtutibus, quæ supra sunt memoratæ,aduersaria est Auaritia.



EMPERANTIAE, cæterisque virtutibus quæ sunt in eius comitatu, auaritia planè est inimica. Hanc Paulus radicem,Democritus metropolim omnium vitiorum nuncupauit.Auaritia est perturbatio,siue commotio status animi,qui statim vt à rectæ rationis præscriptione defecit, nullæ rei alienæ appetitiones nec frænati,nec regi,nec contineri queunt.Hoc detestabile vitium,siue potiùs crimen,si mauis,morbus incurabilis cuicunque menti inhæsit, huic videtur Deus id quod satis est dedisse nemini,potissimùm sibi.At in quamplurimos

plurimos id effudisse quod nimis est. Prorsus est labes mentis imbecillæ, qualis est leuium quorundam senum, tum animi angusti, cuiusmodi est multarum muliercularum, sępissime furentis, siquidem auaritia dici potest mitis quędam furia, quales sunt Eumenides, cui finis est adeptio eius quod quisque alienũ cõcupiuit. Dici quoq; potest inexplebilis quędam sitis, qua perpetuò enecatur is, qui semper hiat ad ea quæ non habet. Auaritiæ famulantur turpis quæstus, illiberalitas, tenacitas. Turpis quæstus est vehemens de lucro opinatio, quasi & valde & vndequaque, & nullo pudore sit expetendum. Quisquis sibi lucrum proponit, is nullam rem, quæ modò sit quæstuosa, probrosam putat, ac ne vllum quidem verbum turpe, cui lucrum adhæreat. Quapropter id totum quod hæc rabies molitur est opus meræ stultitiæ, & effectus manifestæ cuiusdã deliberationis. Nam quid hominis, imò quid monstri dicas esse illum, qui insatiabiliter quęrit ea, quorum ipse vsum reformidat? Potiùs dixerim, hanc esse voracem Charybdim, vas detrusum, & fluxum, siue dolium Danaidum, in quod etsi multa ingessisti, quę & circumfluunt & superfluunt, tamen vsque hiat, quasi ibi nihil indideris. Quò plura possidet, hoc plus eget, semper ibi est, vt augeat antepartą, semper vt ærusecet. Hinc illi nomen, vt si semper sit auidus æris. Nescit quæ sit neque concupiscendi, neque habendi finis, sed est, vt Græci eleganter aiunt, μεγαλοπτώχος in magnis rebus inops. Semper ea contemnit quæ possidet, præ iis, quibus inhiat. Quo plus rei conflat, quò frequentiùs opes conduplicat, hoc sæuiùs agitatur à cupidine miserior. Dum semper victurum agit, nunquam viuit. Inter aliena & circumstantia gaudia ipse semper aspicitur mœstus & atrox, inter diuitias mendicus, in media vbertate aridus, etsi circumfusus aqua intercute, tamen arens perpetua siti, inter epulas famelicus, futura prospectans, & præsentibus carens. Tanti se ducit quantum quærit. Tantum quęrit, quãtum delirat, tamdiu delirat quamdiu viuit. Hũc multitudo monstrat vt diuitem, sed eundem nemo prædicat felicem, cuius inopiam nulla copia minuit, nedum extinguit. Cuius enim cupiditatem nulla ratio terminat, eius famem nulla abundantia explet. Sequitur illiberalitas, labes animi mi-

nuti & pusilli, quia quisquis contractus est, is in eo totus est, vt vnciarium lucrum ex re qualibet libenter odoretur, vel paruæ pecuniæ omnia postponat, hanc marsupijs arcisque conditam perpetuis tenebris addicat. Siquid forte detrimenti res eius familiaris passa est, tunc totus ringitur, queritur, eiulat. Si aucta, immoderata lætitia effertur, vix tunc quidem sui compos est. Est ergo illiberalitas mens ieiuna illius qui famam contemnit, qui sibi hoc identidem subiicit, lucrare & parce, cui pędagogi fuerunt ratio & cōputus. Angulatim quærit, & vnciatim comparcit minutissima quæque, quæ collecta extremo demum anno compareant, & in summam proficiant. His artibus rem facit, nullo honesti respectu, nullo propter auiditatem expectato tempore, nulla opportunitate. Sordida lucella vbicunque latent, captat. Cæspitem vicini suo solo affodere potest. Qualescunque suarum sordium manubias identidem ponderat, numerat, æstimat. Vno emolumento omnia metitur. Semper est pauidus, cupidus, anxius. Est nugiuenda, turpilucri cupidus, erro & circumforaneus. Est ille nescio quis homuncio, nescio quis infimæ plebis lucrio, qui sua non promouet nisi per vltimas sordes, mendacia, periuria. Nullum fœtorem auersatur, dummodo in medio fœtore sit aliquis quæsticulus. Isti aginatori omnia latibula patent. Nares enim habet patulas, quas facile afflat quælibet occasio cuiuscunque compendioli, qualiscunque odor pecuniæ qualecunque lutum, dummodo in eo luto sit lucrū. Tertia est tenacitas, hoc est parsimonia sumptuum vbi fieri debent, nō minus in damnum auari, quàm in iniuriam aliorum. Tenacem vocamus eum, qui est rebus suis veluti appositus quidam custos, ne quis eas, ac ne ipse quidem contingat. Est arca, est armarium inexorabilibus pessulis oppilatum. Fame potius pereant omnes, quàm vt homo inquinatissimus quemquā nummo subleuet. Totus est inutili & superflua cura macer. Semper quærit & cōsectatur miserias suas. Est viuum quoddam sepulchrum, in quo cōditę sunt opes inutiles & emortuę. Vt Vlysses Alcinoo dixit, ne vnam quidem micam salis cuiquam de suo dat. Opes boni æui cōtegit curis prauissimis. Vndecunque est, in aliis, vt Græci aiunt, placet ei modus Doricus. Vtitur vita sicuti gladio, vt eidem Græci loquuntur, κατὰ τὴν λαβήν, per manubrium,

brium,siue ope manubrij,id est, quicquid agendum suscipit,prima ei ratio est iniiciēdi manum rebus alienis.Quacunque ratione parta aliis, atque adeò ignotis comparcit. Quæcunque habet,ab iis habetur. Quò largiùs suas opes terra effundit,hoc iste angustiùs quicquid manuatus est, concludit. Perpetuo metalli pondere premitur.Ita prægrauatur,vt ad beneficentiam leuari nulla ratione possit: Dici potest carcer naturę,probrum diuitiarum, domi nequam, foris hostis omnium.In medio opum splēdore est sordidus, in abundantia sui anxius, nulla accessione auxior. Quò plus ditescit,hoc plus ægrescit, hoc fit pauperior. Aspicit vt nesciens,vsque circumspicit vt reus?trepidat vt nocens, stupet vt conuictus,prosternitur vt conscientia oppressus. Quicquid habet,idest simile aureo malo,quod oculis tantùm vsurpatur,non comeditur. Reddit ipse sibi id omne quod cōcipilauit,infructuosum.Apud ipsum sunt opes,sed nequaquam ipsius. Vt gryphes solo pascitur auri aspectu, Quibus feris ipse est multo deterior,nimirum crimine dirę cupiditatis accensus,prauo metu perculsus,enormi feritate elatus, laqueo,quamlibet aureo suspensus, prorsus alter Midas. Denique lucrio,illiberalis, sordidè parcus, is, quem auarum nominamus,est quoddam veluti portentū mercenarium,seruile,sordidum,ingenuitati, temperantię, liberalitati infensum, prodigalitati tantùm oppositum. Vt enim prodigalitas peccat in excessu largiendi, sic auaritia in defectu.Estque homini vitium magis congenitum, quàm prodigalitas. Nam raptus plerunquè plus iuuat raptorem, quàm propriæ rei amissio dominum conturbat. Et hæc quidem,est insania illorum,qui cùm in re componenda toti sint,composita vti nesciunt,nolunt, vetantur. Auari hominis typum antiquitas posuit coruum crocientem,vt raptoris aquilam clangentem. Huic tanto morbo compescendo nullum sanè est in officinis ellebotum. Semel cercops nihil vnquam remittit, quominus semper sit auidus,deparcus,triparcus,accipiter. Verùm si iste delirat, id verò in leui haberi posset, Nam sibi tantùm, non aliis insaniret.Vt aliqua infelix arbor præteriri posset,aut sicut trūcus inutilis.Sed,quod teterrimum & luctuosissimū est, auaritia quocunque tandem loco constitit,ibi est immanis quædam satelles iniustitiæ.Nullis hoc mōstrum,ne ip-

sius quidem iustitiæ ponderibus premitur. Semper emergit, perpetuò iactatur, in immensum rapitur. Ad hoc possidere vult, ne cuiquã possidere liceat. Quicquid animo hausit, quicquid oculis deuorauit, id omne manibus rapit, omnia improbissimè depeculatur, ad omnia scelera impudentissimè prolabitur. Nulla apud hunc sunt cognationis, amicitiæ, religionis iura. In proximos, in affines, & coniunctissimum quemque sua virulenta spicula contorquet. Pecunia est ei omnibus necessitatibus antiquior. Vt formica Indica ibi effodit, vt gallus ibi scalpurit, vbicunque aurum latitare credit. Ipsa defunctorum sepulchra scrutatur, omnia conditoria, omnia hypogea remolitur. Nec mirum, si ei omnis quies perit, si prorsus ignorat bona otij, si non modò non est securus, sed sibi ipse est supplicium. Nã quã lucrandi libido eum versat, tam metus amittendi eum excruciat. Ergo quò diutiùs viuit, hoc est infelicior. Tunc tãtùm ei bene esse incipit, cùm cæci Pluti mancipium trahitur in cæca Plutonis regna. Quippe tota vita auarus est extra omnia libertatis bona. Qui priùs fuerat sui iuris, continuo fit seruus suarum rapinarum. Auarus est vultu sæpius demisso, & plerunque glabro. Ipse ferè est ater, macer, fronte rugis exarata, capillamento recto & subnigro. Fauces ei sunt hiantes & arentes, oculi cupidi, manus vncinatæ. Cæterùm priuatæ sortis hominis hanc tam diram cupiditatem verisimili excusatione velare, verborumque artificio concinnare solent. Nam si quæras, quid ita ille omni vigilia rem exaggeret, cur ei nullæ opes satisfaciant, continuo respondebit, diuitiarum cupiditatem apud se quidem spectare gratificandi facultatem. Florens ætate dicet, illa quæ quærit se suæ senectuti seponere. Sic obscuri suæ ignobilitati, egentes inopiæ, parentes suis liberis prospicere solent. At principum, remque publicam gubernantium tam præceps auaritia quò pertinet? Vnde euolant tot in æthere vultures, qui minutissima quæque oculis singnt, vt ea vnguibus inuncent? Nam quid aliud esse dicas tot euerricula prouinciarum, sub quorum pedibus omnia cùm sint, ipsis tamen ipsa rerum natura parum est? Summne culmen ea re insiderunt, vt quod cuique pulcherrimum est, decerptum defloratumque sibi seponant! Vt apud ipsos omnia sint venalia sacra, prophana, iudicia, honores? vt siquid

cupiunt

cupiunt,id statim vt collibitum est, capiant? vt ad aliena & lõginqua vncos porrigant? vt ipsis nihil sit petacius, rapacius, tenacius: vt huius aut illius fortunas momento diiiciant? disiectas ijs, quorum sunt crudelissimè eripiant? vt populorum patientiam ipsi facinorosi suæ voraginis pabulum faciant? vt vniuersorum imbecillitate ipsi vni valescant? vt præ sua impotentia fidem, probitatem, quantumque est bonarum artium audacissimè subuertant? interim sunt immunifici, pumicei, steriles? cùm sint soles, tamen lateant sub terra? Sint potiùs Dij quidam similes ijs quos vocabant κνισσάγους tauriuoros, qui ijs tantùm sacrificiis quæ cum nidiore fiunt, placari possunt. Certè quorum sũt amici, ne his quidem parcunt quominus prostratos deuorent. Quæ tabes ipsas summorum principum mentes vsque eò inuadit, vt illi ipsi, qui ferro fuerunt impenetrabiles, vndique pateant sordibus. Vsque eò immanis hæc furia ipsos gentium victores, ipsos triumphatores sub iugum mittit. Hinc populorum seditiones, rebelliones, interneciones. A quibus publica securitas expectari debet, ab his ipsis agri vastantur, fana sacrilegijs polluuntur, totæ vrbes euertuntur, diuina cum humanis permiscentur. Et miramur, hodie quidem ad mentionem quorundam principum plus trepidari, quàm ad ipsum ingruẽtis hostis aduentum? Nulla vnquam vox Pythij Apollinis illa verior extitit, qua palam fecit, Spartam, diuturnum illud rigidæ & inusitatæ virtutis domicilium, nulla re alia nisi auaritia esse perituram. Quamobrem & principes, & ij omnes, qui potentia & opibus excellitis, intelligite vos omniũm consensu esse validos, non vt vniuersis illudatis, non vt vestras cogitationes abijciatis in negotia sordida, non vt abundãtia fortunæ pariat vobis abundantiam insolentiæ, sed materiam moderationis, & facultatem commodandi omnibus? non vt auaritia luxuriæ quantũ cupit, suppeditet, sed vt sitis afflictis leuamini, semper spectetis ad opitulandum, & ad occasiones gratificandi, vt omnia vestra ad beneficentiam, liberalitatemque conferatis. Vt principi beneficentia est summũ decus, ita nulla plus eum res diffamat, nulla ei detestabilior nota inuri potest quã vt existimetur auarus. Achilles ex omnibus vitiis hoc vnum eligit, quod Agamemnoni impingat. Esse omnium mortalium auarissimum.

Cap. LXXVI.

Auaritiæ parſimonia eſt contraria virtus.



NOn quod habendi cupiditatem ex hominum cœtu proturbatam cupimus, idcirco parſimoniam auerſamur. Vt illa eſt omnium vitiorum radix, omniumque malorum altrix, ita hęc non ſolùm virtus eſt, ſed & ad virtutes eunti dux, atque adeò germana ſoror temperantiæ. Parſimonia eſt illa animi vis, quæ non ſolùm docet hominem rebus neceſſariis eſſe contentum, ſed præſtat vt cuique ex ſuo, quamlibet tenui vectigali, detractis ſumptibus cupiditatis, aliquid etiam redūdet. Ergo prius opus huius virtutis eò pertinet vt quiſque vitet ſumptus ſuperuacuos, & rem ſuam familiarem hinc potiùs augeat quàm minuat. Hoſce præclatos huius virtutis effectus, etſi ſupra monſtraſſe videor, cùm egi dę temperātia, frugalitate, & moderatione, tamen quod aduertendę & memorabiles ſunt huius tanti boni dotes, cui proprius locus hic eſt aſſignatus, nos quoque hanc virtutem minimè permittēdam duximus. Nec verò cùm parſimoniā dicimus, gracilem, exilem, humilem, ruſticanam & incultā aliquem virtutem monſtramus, ſed illam quę ſui cultorem hoc munere vſque eò beat, vt nihil ei deſit, nihil ſuperſit atque adeò illam, quæ ſe ſuis viribus ſuſtinet. Magnum ergo, magniq; animi bonum cōmendamus, cuiuſque ſunt ſolidæ, perennes, exuberantes vtilitates. Huius virtutis maximus quiſque vir ſemper maluit eſſe alumnus, quàm opum, quamlibet ingentium, ſectator. Parcus nequaquam is eſt qui, quod dici ſolet, edit apludam, & floces, aut gallam bibit, qui, quod aiunt, ventri ſuo rugas conducit, qui genio ſuo eſt inimicus. Eſſet enim ille ipſe ſordidus, quem deſcripſimus. Parcum vocamus eum, qui nec ſpernit opes, nec opibus abutitur, ſed eas ità tuetur, vt iiſdem vtatur ad ſanùm modum. Si diues eſt, in mediis diuitiis agit pauperem, & in media paupertate eminet vt diues. Rem ratione regit, omnis moderationis eſt intelligens, quicquid modum ſupergreditur oneri ducit, non vſui. Homo parcus probè

probè intelligit, nimia bona esse initia maximorũ malorum, nec æquum esse eos, quibus necessaria satis sunt iis immergi quę nimia sunt. Quidam ingeniosiùs quàm veriùs parsimoniam dici ab arca, aut ab arcendo voluerunt. Sed nos vnà cum Phauorino hoc nominis deriuamus ab eo quod ita paruum est, vt habenti sit satis. Ex his datur intelligi, parsimoniam tam esse retinentem rei necessariæ quàm minimè cupientem superuacuæ Enimuero qui hanc habet, non solùm grandes diuitias habet, sed vtique omnia. Quippe is habet quantum vult, qui id quod satis est, ac præterea nihil vult. Etenim si id quod cuique contigit ipsi satis esset, hoc certè contentus esse posset, quòd nihil amplius ipsi optandum esset. Vsque eò parsimonia animo continenti & moderato id suppeditat, quod ei vsquequaque satisfacit, potissimùm si tempestiua, non sera & inutilis est, Frustra enim rem maturè quærit is, qui non eam maturè parsit. Frustra is totus est in quæstu quem sumptus absumit. Cæterùm parsimonia est paruo diues & paruo potens, nullius rei indiga, inimica luxus, cultu simplici, sed nitido, victu quidem tenui, sed qui alimoniæ, viribusque sufficit. Est restricta, fateor, sed abundantior illis, quibus effusè effluunt opes denique domitrix eius, quæ est ab omni nimietate, prauitatis. Parsimonia semper est sui similis, nempe æquanimis & vnanimis, non in paupertate contracta, non in diuitiis dissoluta. Res pauperculę, modicæ & modestæ sunt ei & magnæ & veræ opes. Cur? Quia magnæ opes & veræ apud parcũ non sunt pluris, quàm innocentiæ amica paupertas. Quod luxurioso, prodigo, decoctori pauxillum est, apud parcum tanti est, quanti id quod maximum est. Parcus sua desideria nequaquam extẽdit ad plurima, superuacua, immensa. Si quid fortè tale apud ipsũ est, id intra paucula restringit & claudit, vsu paupertatis discit cõtemnere diuitias. Nã dum fit similis pauperi, assequitur vt ne vllas quidẽ diuitias extruere opus habeat. Certè quisquis intra naturalẽ sese legitimũque modum cõtinet, huic quicquid habet abundè est hunc nulla copia conficit, nulla copia corrumpit: parcè & modicè, sed æquo animo viuit: pauperem dum imitatur, industriè illudit paupertati, eiusque laqueos feliciter euadit, nullis auaritię sordibus inquinatur: necessitati obsequitur: non est sui hostis: geniũ

suum nihilominus propitiat: ac tamen gulā coërcet, ventrē coartat, libidines compescit, spem auidam, & infinitè concupiscentem comprimit. Verè Apollonius dicere solitus fuit, eos qui ex præparato nihil habent, sed ijs sunt contenti quæ sponte proueniunt, habere ea quæ non habent. Compone, si libet, auaritiam & parsimoniam. Aduertes illam esse belluam immanem, inexplebilem, vsque eò nefandam, vt crudeliter sibi necessaria deneget is, qui hinc æger incedit. Sint ei quam plurima, ei certè omnia desunt. Habet illa tantùm, quæ sibi ipse consarcinat, mala. Non modò non aliis, sed ne vnquam quidem sibi patitur esse bene. Est perpetuus hospes curarum, sollicitudinum, miseriarum. Contra parcus victu sobrio opum luxuriam contundit, paruo opulentus nullas egestatis quamuis terribiles facies pertimescit. His accedit, quod constans & perseuerans est. Nam dum cōparcendo multa grauia & amara longiùs tolerat, sæpe feliciter consequitur illa, quæ omnium sunt suauissima. Multi quoque, dum de demenso suo aliquid sibi quotidie seposuerunt, ex vnciis denique magna se ponderibus pondera cumulasse sæpe lætati sunt. Nam paruum paruo additum sensim efficitur magnum. Quapropter læta & nitida parsimonia honestis artibus id ipsum assequitur quod anxia auaritia corripit, sed iustiùs & feliciùs. Quæ enim hęc quærēdo rapit, illa parcendo quærit. Porrò si hæc virtus priuatam cuiusque rem diuitiis commutare potest, multo magis publicam. Re & experimento autore loquor. Vt luxus priuatæ sortis hominum publicam rem in medio desertā tandem euertit ita singulorum parsimonia eam è tenui ac paupertina sæpe extulit ad magnas opes. Et ita natura comparatum est, vt rescindendo sumptus superuacuos quæratur vnde necessariis abundè suppeditari possit. Vnde hæc est hodierna summorum principum, & quidem manifesta paupertas? Nimirū à nimiis ac portentosis sumptibus, quos domi faciunt. Ne multa, Parsimonia & publica felicitas vix vnquam dissociari possunt. Id quod cùm spectatissimus quisq. semper intellexerit, huic virtuti summum honorem habuit. Catoni duæ dicuntur fuisse artes acquirendi, Agricultura & Parsimonia. Quædam magnorum imperiorum culmina non dubitarunt eam sibi facere vernaculam. Hinc est, quod hæc

hæc virtus clarissimas, vetustissimas, omnium nobilissimas imagines ostentare potest. Laudatissimi & celeberrimi hodieque sunt illi, qui è tenui, sæpeque obscuro loco in amplissimum ordinem assumpti, maximis postea partis opibus domesticam & pristinam parsimoniam inseruerunt. Certè huius virtutis tota vita retinentes eam in medio rerũ splendore collocarunt, eiusque præsidio freti diuitiarum delicias humani generis exitio repertas feliciter expugnarunt. Quidam è summis principibus hoc se aduertendos & admirabiles fecerunt, quòd summo fastigio perpetuam tenuitatis meditationem intulerunt, & quidẽ exẽplis ad omnẽ posteritatẽ saluberrimis, dũ ipsis solennibus cœnis pridiana sæpe ac semesa obsonia apponi ac reponi voluerunt. Huiusmodi fuit ille dimidiatus aper Tyberij. Hinc omnis generis homines discunt, cibo & voluptatibus temperare, & appetitus suos infra modestiæ fines continere. Sordes vocet qui volet. Mihi illa est luculenta, & omni laudis genere celebranda virtus. Et verò illi ipsi qui domi tam parci erant, in suppliciis Deorum fuerunt magnifici. Qui domi parsimoniam præstabant publicas opes munificentius extollebant. Illas ipsa magnas & magnificas opes priuata parsimonia condecorabat. Postremò, parsimonia id cuique præstat, vt non sit cupidus, emax, sumptuosus. Quæ sanè non solùm est vberior pecunia, magnumque vectigal, verùm etiam ad omnia præclara pergenti gradus.

Cap. LXXVII.

Cùm omnes virtutes sint egregiè concordes, concordia dici quodammodo potest virtus eorum omnium qui virtutem profitentur, propria.



Venio ad concordiam, quæ est conuenientia, siue consensus duorum siue plurium qui pergũt vno animo, quibusq. vnus & idẽ finis est propositus, nẽpe cõmunis vtilitas, decus, salus. Cõcordes illi sũt, qui cũ huc spectẽt, eâdẽ eligũt & in iisdẽ

actionibus verſantur, inita rerum omnium ſocietate & communione. Quapropter, conſentire in iis, quæ ad communem vitæ vtilitatem nihil pertinent, ſed ſolùm ſunt in intellectu & in opinione, nulla ſequente actione, nequaquã eſt eſſe concordem. Nam concordia verſatur circa res concordibus propoſitas, eaſque omnium maximas. De cultu Dei de ſtatu Reipub. de imperio & obſequio, de vniuerſorum commodis eadem ſentire, omni ope in ea quæ cunctis conducunt, pariter incumbere, noxia pari ſtudio amouere, hæc illa eſt, quam concordiam voco; illam ipſam, quam chorus apud Æſchylum ciuitati optat; nimirum, vt vniuerſi conſenſu gaudeant, conſenſu doleant, conſenſu oderint. Hæc eſt illa muſica ſymphonia, illud temperamentum, ſine quo nulla reſpublica ſtare poteſt. Ergo concordes voco illos, qui mutua ſe charitate obſtrinxerunt, & quidem nulla impulſi priuata vtilitate, ſed publico, ad quam ipſi vniter omnes curas, cogitationeſque conferunt. Hæc ita eſt concordia vt etiam ſit amicitia. Nos eas ſic diſtinguimus, vt concordia progeneret amicitiam, non contra. Et qui ſunt concordes, hos ita neceſſe eſt eſſe amicos, vt ipſorũ nullus quidpiã ſibi priuatim ſeponat, ſed omnia cũ aliis cõmunicet, ſinguli in commune ſua conferant. Vſque eò concordia & amicitia reciprocantur. Amicitia quoque eſt duorum, aut certè pauciſſimorum. At concordia veriùs eſt multorũ, qui hoc tenaciſſimo vinculo conſtringuntur, ſicuti conſortes eiuſdem vtilitatis, damnique. In publica re concordia eſt conſenſus imperantium & obedientium. Certè cœtibus, ciuitatibus, regnis concordibus omnia proſperè feliciterque eueniunt; ibi firmum imperium manet. Vbi imperantes & vniuerſi diſcordes agunt, ibi verò omnia ſunt imbecilla, & mutationibus obnoxia. Vt in periculo ſpelunca & ſuffugium feræ ſeruo ãra, ita homini homo, ciuitati, ciuitas. Itaque concordia eſt illa συμφορτὴ ἀρετὴ collata virtus vel ipſorum infirmorum, propter multiplicem æmulationem, diſcordi ſimilis, ſed propoſito, intuitu, ſine concors, & publicè vtilis Huic ſalutari diſcordiæ principes palam fauere æquum eſſet, non regnare inter verè diſcordes ac animis diſſidentes, & vitia primorum ponere fundamentum ſuæ potentiæ. Hos verè dixeris eſſe ſimias Agamemnonis, qui apud ſummum poëtã lætatur proceribus diſcordibus.

Cæte-

Cæterùm quæ in rebus est naturalis appetitio, eadem inter homines est concordia, cui sæpe sola natura author est. Huius exemplum dici possunt Polystratus & Hippoclides philosophi eodem die nati, eamdem sectam professi, alendæ scholæ communione coniuncti, eodem momento vltima senectute extincti. Huic naturæ alij effectus accedunt, nimirum similitudo ingenij & morum, & cuncta similiũ cum similibus conuenientia. Nullus enim est bonus, qui non amet omnes bonos, quandoquidem bonitas bonitati, virtus virtuti facillimè copulatur. Quę sanè copula quodammodo transit in pignus sanguinis. Nec errabit quisquis dicet, huius tantæ virtutis originem esse bonam mẽtem, quæ nonnisi in iis esse potest qui boni sunt. Isti illi sũt quos dixi, eadem velle, eadem nolle, eadem habere sacra & prophana, prospera & aduersa, damna & compendia. Isti æqualiter patiuntur curas & gaudia, eodem spectant, easdem viuendi rationes habent, quas vna dirigit æquatio iuris. Atque adeò dici potest, vix ibi iustitiæ locum esse vbi concordia dominatur, quæ iustitiæ partes agit. Nam iustum esse & concordem esse, vna eademque res est. Quapropter his eripere quod aliis condones, hos deprimere vt alios extollas, nihil est aliud, quàm concordiam conuellere, & Reipub. fundamenta labefactare. At vbicunque quod cuique contigit id ipsi satis est, vbi luxuriantes cupiditates rescinduntur, vbi seuerè aduertitur in istos tot Possidonios, Possidippos, Possifundos, Possidoros, quorum propria professio est, ab infimis sordibus euehi ad summas opes, ibi verò optimus reipublicæ status est. Hinc perspicuè palam est, non alibi, quàm inter bonos esse concordiam, nec nisi alicuius boni adipiscendi gratia hanc virtutem hominibus esse concessam. Nullus enim bonus vnquam litigat cum suo corde, sed habet voluntatem cõstantem. Verùm destinata improborum trãsfluunt sicut euripus. Ratiò est, quod boni iusta volunt, eaque quæ cõmuniter prosunt. At aleatorum, nebulonum, latronum, improborum illa in flagitiis & sceleribus conspiratio, qualis fuit funestissimi illius Triũviratus, non est concordia, sed coniuratió. Ne illæ quidem mercatorum & fœneratorum societates concordiæ nomẽ obtinent, sed negotiationis. Omnes istos quos dixi proprij instinctus ad hanc, aut ad illam cupiditatem impellũt.

Et ideo quicquid eligunt sibi eligunt. Hinc rixæ & certamina, quæ nunquam existunt inter bonos. Nequitiæ & iniuriæ cum concordia nullum est neq; consortium, neque commercium. Communis salus, & commune decus est vltimus & vnicus concordiæ finis. Ergo concordia dici põt parens vtilitatis publicæ, fundamentum, altrix, radix pacis, lætissimæ prænuncia segetis, quam quisquis dirimit, hic omnis humanitatis hostis est. Porrò etsi sapiens in se abũdè reperit quo contentus esse possit, tamẽ quòd intelligit humanam vitam concordia constare, quod est vinculum omniũ fortissimum, quo quicquid nõ cõstringitur, collabascit, eos quoq; sibi libẽter asciscit quos sibi æquet, quibuscũ sua bona communicet, quorum societate gaudeat. Scilicet, hac firmitate nixus, & hac suauitate perfusus vberius fruitur suis bonis. Et verò ad concordiam, pręter naturalem irritationem, communis quoque indigentia ducit. Ideóque concordia humanæ imbecillitatis simul & excellentię specimen est. Imbecillitatis, quòd nemo tam altè positus est, vt sit extra omnem ictum, ac non aliquãdo alienæ opis indigeat. Væ illi, qui sibi vnus est consiliarius, sibi vnus auxiliarius. Nam quæ singula, quamlibet valida, facilè deturbãtur & proteruntur, coniuncta per concordiã conualescũt, redduntúrque inconcussa & impenetrabilia. Quin è pluribus infirmis inuicem consibulatis existit illa sanè firmitas, quæ vnitatis propria est. Et hoc est illud quod dico humanæ excellentiæ specimen, quod eminet in concordia, quæ est omnium vtilitatũ conciliatrix, cuius vi parua crescũt, magna stabiliuntur, firma solidantur. Hac dempta, frustrà spes quicquam cõcipit, nequicquam sapientia meditatur, frustra prudẽtia disponit, frustra animi alacritas & magnitudo rem institutam perficit. Denique quicquid felicitas amplectitur illico diffluat, nec vllã lætitiæ occasionem cuiquam præbeat. At concordia est illa vis contra quam nullæ insidiæ sunt opportunæ, nulla calliditas satis experrecta, nulla vis satis valida. Concordia omnes eos metus ac terrores, qui homines plerunque circumsistũt, proturbat, omnia pericula propellit, quicquid inimicum est, profligat, in tuto cuncta sistit. Illa ipsa quæ in mutuam perniciẽ colliderentur, salutari consensione cogit seruire vtilitati publicæ. Hæc illa est, quę omnem ex hominum cœtu depulit

agrestem

agrestem feritatem, legitimas & irruptas coniugum copulas instituit & protegit, vrbes ædificauit, ciuitates auxit, prouincias finiuit, rerumpublicarum formas inuenit, ac omnimodam & salutarem illam regnorum potentiam stabiliuit. Quibus tot, tãtisque vtilitatibus adducti homines templa huic virtuti ædificarunt, eique dies festos instituerunt, vt numini potentissimo, cuius ope homines ea sperare audent quæ & consilio & labore obtineri possunt, ea adsequuntur quæ honestè & vtiliter suscipiuntur, iis feliciter fruuntur quæ omnibus expediunt. Nec enim quicquam cuiquam expedit, quod non idem sit publicum commodum, præ quo omnes probi omnia postputant. Cùm omnis humana vita constet ratione & fide, vtraq; ducit ad cõcordiam, hæc ad felicitatẽ. Hi sunt alterni illi ac dimidiati Dij Castor & Pollux à poëtis ficti & celebrati, consociatis dotibus potentissimi. Hæ sunt illæ sonoræ fides, quibus intenta est lyra Mercurij, qui eius inuentor fuisse dicitur, hoc est author symphoniæ & concordiæ. Hoc signat ille Musarum concentus, quæ sese in cœlo & in hisce locis excipiũt vocibus diuinis. Hæc est expressa effigies concordis illius discordiæ, per quam Heraclitus omnia fieri tradidit, quæ denique est illa elementorum connexio, illa omniũ principiorum colligatio, illud æquilibrium, quo leuia cum grauibus, calida cum frigidis coniunguntur, omnia opposita suis oppositis adæquãtur. Hic est inter homines veluti alter Zodiacus, qui a sinistra parte pergit ad dextram, hęc est imitatio cœli, quod à dextra tendit ad sinistram. Hæc est quædam cœlestis harmonia, ad quam omnes humanæ aures hebescunt, eius tantùm intelligentes illi sunt qui degũt in his locis. Hoc ipsum significarunt illa celebrata tot amicorum paria, cuiusmodi Achilles & Patroclus, Theseus & Pirithous, Agathocles & Dinias, Eustrydicus & Damon, Aretæus & Eudamidas, Zenothemis & Eudamidas, Zenothemus & Menoctates, Amizocas & Dandamides, Belerra & Bastes, Abarchas, & Gyndanes, denique Orestes & Pylades, quorum res gestas Scythæ, ob admirationem, in aurea columna in templo Orestis erecta descripserunt, suis liberis documentum & exemplum. Ipsis feris natura hanc ipsam consensionem indidit, cuius typus esse potest grex gruum, quarum nulla se aliis præponit, nulla se

necessariò labori subducit, vigilant in vices, alternis pascuntur, nulla sibi priuatim consulit, omnes in commune quærunt. Quæ consensio illas Pygmæis & formidabiles & lethales reddit.

Cap LXXVIII.

Concordiæ discordia inimica est.


VAM optabile bonum concordia, tam detestabile malum discordia est. Quàm illa est humano generi salutaris, tam hæc est furialis, feralis, monstrifica. Id quod vtinam luctuosissimis experimentis nuperrimè non esset cognitum. Hoc vitium ab leuitate & inconstantia multa mutuatur. Discors est homo aut ipse secum aut aliis. Secum, quoties inter sensus oritur seditio. Tūc scilicet domesticis, atque adeò intestinis quibusdam certaminibus totus discerpitur. A'iis, id est iis à quibus ipse seorsim sentit, siue de re inter multos communi, siue publica inter cunctos quibus ipse acriter aduersatur. Prior illa discordia est eius animi labes, qui dum rationem per deuios tramites virat, quod nunc probat, post fœdè improbat. Si fortè quà ratiò monstrat, pedem intulit, eum mox, vnius suasu cupiditatis, inde retrahit. Est prorsus maculosissima humani ingenij nota. Quippe hominū vix vllus est, qui vbi re optata & sperata potitus est, ad illam non illico nauseet. Cui abūdè debuit esse, si egestatem propelleret, is nullo opum aggestu satiari potest. Qui morbos reformidat ea tubutcinatur quæ morbos inducūt. Cui mors nunquam non est in conspectu, huic ipsi nihil quicquam pensi est quàm honestè viuat, & quale nomen apud posteros relinquat. Qui vita functos laudat vt felices, is ad nullam vehementius, quàm ad mortis mentionem trepidat. Ille ipse qui, quòd est mersus miseriis, factus est osorvitæ metuit mori. Qui ne vlla fallacia ducetur etiam atque etiam circumspicit, is non dubitat insidiari alienæ simplicitati. Belli fugitans idem pacis est impatiens. Qui togatus inermes & imbecilles audacter opprimit, is ad sagati conspectum contremiscit. Qui in alio tyrannidem detestatur, hic sibi tyrannidem molitur. Nullus tam deploratæ sortis

est qui

est qui turpia non culpet, vix vllus qui turpibus abstineat. Quem prosperitas inflauit, hunc ipsum aduersa prosternunt. Qui Deum precatur vt omnis boni largitorem, is eundem non timet vt improbitatis vltorem. Hęc sunt humanæ leuitatis crepundia, quæ discordiæ effectus, & quidem ferales è vestigio consequuntur, nimirum vbi ad res, actionesque ventum est. Natura tam male affectos accedens discordia leuitatis partus ita diuidit, vt vnius & eiusdem hominis dextræ partes stent contra sinistras. Quod manifestæ dementiæ signum est, maxima pars non solum cum altero pugnant, sed ipsi secum, sibimet sunt incerti, huc illuc fluctuant, in ordine vitæ secum perpetuo disconueniunt. Tātum potest vel leuissima à ratione defectio. Vt enim ratione nihil est firmius, ita affectibus nihil est leuius. Quisquis hanc amplectitur, & ei constāter adhęret, eadem quoque constanter reiicit, constanter eadē probat. Cuicunque affectus illudit, qui à sensibus circumducitur, non solum non est in portu, sed ne in vllo quidem vado. Nunc in summo fluctu est, nūc eò deturbatur vbi ima dehiscunt. Modò in his, modò in illis partibus hoc vnum assequitur, vt se intimè conficiat. Porrò hoc omnibus vitiis peculiare est, vt sibi inuicem quidem blandiantur, sed nunquam ament inter se, nunquam consentiant, semper discordent, semper digladientur. Vna virtus & semper & vbique æqualis, vbique teres est. Vbique in suam perfectionem compactilis nulli se rei applicat nisi rationi, hoc est, ipsi sibi. Ergo quacunque accesseris, semper vnam & vniformem inuenies. Virtus a se nunquam dissentit, nūquam sibi dissimilis sibi reconciliari opus habet, aut secum redire in gratiā. Non noua veteribus, non deteriora melioribus mutat. Eius decreta omni loco ac tēpore deprehenduntur proba, factu vtilia, euentu prospera & laudabilia. Eius dictis nulla actio discordat, quia non alia loquitur aut statuit quam se digna. Apud ipsam facta dictis consentiunt. Vis ergo credi te virtuti militare? Ne vnquam abs te dissenseris. In institutis, in moribus, in omni actione vnus idemq; appare. Tibi semper consta. Abs te ipso, quando frugi, bonus, constans es, nunquam discede. Iouem imitare, cuius decreta sunt immutabilia. Vt improbitatis certissimum documentum est, sibimet esse cōtrarium, ita animus sedatus,

nullisque diuersis affectibus dilaceratus est fidelis & indubius index virtutis. Hęc est interior hominis discordia, qua nihil vsquam est fœdius, nihil humanitati infensius. Alterū discordiæ genus illud esse dixi, quo hominum communio dissociatur. Quàm illud prius homini secum pugnanti, tā hoc posterius cūctis, qui in vnū Reipub. corpus coaluerūt funestum est. Nam quantum concordia, cœleste bonum, congregat, tantum discordia infernale monstrum dissipat. Quicquid illa firmat, roborat, extendit, hæc disgregat, debilitat, extinguit. Enimuero hoc discordia perficit, vt se quisque & sua omnia ad vnum se redigat, se vno nitatur, hoc est arūdine, re fluxa & caduca, ea quæ est nullo numero. Ergo væ illi ciuitati, vbi sunt tot sensus quot capita. Vę illi aulæ, in qua primores dissidio segregātur. Recentissima exempla docent quantum sint domestica mala hostiū cōsiliis & conatibus perniciosiora. Is morbus, inquit medicorum summus, multò difficillimus est, in quo vultus ægrotantis fit dissimillimus. Nulla res validissimas, munitissimasq; gentes hostibus peruias & obnoxias reddidit, quàm nulla ad propulsandū cōmune periculum contensio. Græcorum calamitates Homerus ad ipsorum discordias refert. Qui singuli satagunt rerum suarum, vix est vt vnquā prosperè rem gerant. Qui singuli pugnant plerunque hoc assequuntur vt vniuersi vincantur. Nulla ciuitas tantis opibus floret, nullæ tantæ copiæ regnum propugnāt, quas discordia non conuellat. Hoc quoque malum omnium malorum extremum, progignit nimius amor sui, illa, inquam, arrogans persuasio, qua quisque tumidus se plus aliis sapere ac posse existimat. Quippe ex hac tam cænosa scaturigine manat contemptus aliorum. Ex eo contemptu acerrima illa & immortalia primorum odia, diuidiæ ac dissensiones, vulnera insanabilia. Coniugia, obsequia, amicitiæ hinc dissoluuntur. Nec enim quisquam æquis oculis aspicit eum, à quo se, suamque qualemcunque sapientiam cōtemni intelligit. Eum potiùs pessimè odit. At inter quos odia perdurant, aduersus hos nullis opus est neque artibus, neque armis. Ipsi se derepente confecerint. Ea re nascentes in Repub. simultates continuò & poni, & Reipubl. remitti debent, ne quisquam pertinax, ne quisquam duret implacabilis. Nam priuatorum inimicitiis Rempub. sensim labefactari

factari constat. Neque verò hostilis calliditas in hoc semper est intenta, vt manu rem gerat, & vim vi expungat. Nimirum, ante oculos est belli alea, quæ quòd communis est, summa cura vitatur. Ergo ferales discordiæ faces inter eos, qui poterant esse quieti & concordes, callidè iniiciuntur, hoc est iis artibus, quarum hodierna impietas callentissima est. Hinc illa incendia, quæ vniuersas gentes populantur. Hac ratione sæpissime in spem ventum est, rem, quamlibet validissimam, posse dissolui, quam, si cócors maneat, nullæ conglobatæ vires perrumpant, nedum euertant. Factio, seditio, interna mala quò infestioribus & occultioribus causis progignuntur, hoc & difficilius curantur, & perniciosius agunt. Vix est vt semel in partes distracti cóglutinari possint. Hæc item est prævalidorum corporum conditio, vt, quæ ab externis locis nulla esse poterat, hanc domi perniciem inueniant. Quæ nullis aliis causis cócuti possunt, suis ipsa viribus concidant. Qui aliis terrori erant, hi inter se cócurrunt infensissimi. Ergo & ipsi fratres committuntur, ipsi liberi à parentibus segreges fiunt. Quàm quisque cognatione proximo omnia fausta cupiebat, tot in eũ diræ & imprecationes torquentur, postquam eos hęc furia quassit. Illic non amplius homines conspicis, sed ferocientes belluas, & occursu formidabiles, à quibus, scilicet, bellum denominatur. Vt enim humanæ naturæ propria est concordia, ita, simulatque pabulum, aut aliquod oblectamentum belluis obiicitur, cóféstim de eo pugnant. Itaque discordia parit seditionem. Seditiò tantò deterior est bello, quanto bellum deterius est pace. Discordiam Aristophanes vocauit omnium Dearum maximam, id est, valentissimam, & Pindarus iustitiæ filiam, credo, quòd est acerrima peccatorum vltrix. Verius magisque propriè is, qui dixit, Discordiam esse deam perniciosam, Quæ quòd ad concilium siue conuiuium Deorum non esset inuitata, triũ Dearum litem aurei mali suppositione commenta est, Vnde illæ tot rixæ inter ipsa numina. Plerũque hoc malum sese iis infert, qui conditione sunt pares. Hæc paritas primùm aliqua iniuriæ opinione labefactatur, fomitem hìc aut illic suggerente inuidia, comitibus & suastricibus auaritia & ambitione. Hinc sequuntur mordaces æmulationes, Hinc inimicitiæ feruentes & furentes. Hæ, vt quidam bei-

reditarij morbi, minoribus quasi per manus traditi vsque ad seram posteritatem propagantur. Transeunt quoque ad proximos, mox ad longinquos vt incendia. Hanc furiam quidam verè dixit, si consistat inter Deos, cõfestim fore vt cœlum ruat. Typus discordiæ potest esse is, qui apud Æschylum describitur, homo nudus, ignifer, lãpade manus habens armatas cum flammeis literis, quæ hoc sonant, incendam vrbem. Potest quoque huius diritatis symbolum esse effigiatus ille Typhon igniuomus & fumiuomus, Tũ ille Tydeus homicida, seditiosus, malorum sator, minister furiarum, sacerdos cædis. Denique illa Erinnis, quæ, missa inter homines furiali face, quod est signũ pugnæ, nõ aliter exultat, quàm si sit circumfusa aceruis cadauerum. Ipsam discordiam antiquitas ita effigiauit? In ipsis eius faucibus posuit cruorem concretum, qui est ei cibus. Oculos habet contusos, nimirum liuore & odio, dentes rubiginosos, linguam tabo fluentem. Faciei dracones inerrant. Dextra est cruẽta, vestis lacera. Ipsa horribili strepitu incedit, tota circumdata nube quadam sanguinea. Arma habet adamantina tabo fœdato. Manus hastile quatit, illudque sæpe huc illuc vibrat. Sub eius pedibus terra tremit. Sæpe ex ore vaporem exhalat atrum & horrendum. Quapropter assiduis precibus à Deo petendum, atque in id omni ope incumbendum, vt perpetuò eliminetur hoc malum: inducatur & colatur concordia, quæ vt humilia erigit, sic debilia firmat. Hic mihi Hospitalius tacere visus, & ego somno solutus sum.

FINIS.



INDEX ALPHABETICVS IN VIRTVTES ET VITIA.

A.

FINIS.

